



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.






600019313N

1419. d 130

= S.Th Y 40.3/24





600019313N

1419. d. 130

= S. Th Y 4

THE
THEOLOGICAL WORKS

OF

WILLIAM BEVERIDGE, D.D.

SOMETIME LORD BISHOP OF ST. ASAPH.



VOL. XII.

CODEX CANONUM ECCLESIAE PRIMITIVÆ
VINDICATUS AC ILLUSTRATUS.

OXFORD:

JOHN HENRY PARKER.

MDCCCXLVIII.

CODEX

CANONUM ECCLESIAE PRIMITIVÆ

VINDICATUS AC ILLUSTRATUS.

AUCTORE

GUILLIELMO BEVEREGIO,

OLIM EPISCOPO ASAPHENSI.

EDITIO NOVA,

CUI ACCESSERUNT OPUSCULA QUÆDAM EODEM AUCTORE.

TOM. II.



OXONII:

APUD J. H. PARKER.

MDCCCXLVIII.

LONDINI :

TYPIS EXCUDEBAT G. BARCLAY, CASTLE STREET, LEICESTER SQUARE.:

ELENCHUS CAPITUM

LIBRI SECUNDI.

CAP. I.

- I. *Discussis in priori libro externis, interna contra Canones Apostolorum argumenta modo discutienda restant.* II. *Si nihil in hoc Codice secundi, tertiique seculi disciplinæ dissentaneum esse constiterit, controversia de antiquitate istius, ut a nobis asserta, dirimetur.* III. *Hanc, de rebus in hoc Codice comprehensis, adversarii etiam nobis extorserunt dissertationem.* IV. *Methodus ejusdem, necnon finis fructusque 1*

CAP. II.

- I. *Primus Apost. Canon vindicatur. Episcoporum supra presbyteros auctoritas nullo unquam Canone, aut lege ecclesiastica instituta fuit, et tamen ubique semper obtinuit. Unde eam Apostolicæ institutionis esse liquet.* II. *Ut Episcopus a duobus aut tribus Episcopis ordinetur, Apostolorum doctrinæ consonum est. Quid sit πρεσβυτεριον apud D. Paulum.* III. *Secundus Canon defenditur. Episcopi et presbyteri vocabula secundo saltem seculo distincte usitata sunt. Proinde non mirum est, quod ita in hoc Codice usurpentur.* IV. *Secundo tertioque seculo præter Episcopos, presbyteros, et diaconos, alii in Ecclesia constituti sunt clerici, hypodiaconi, lectores, cantores, etc.* V. *Incensum oblationis tempore a primitiva Ecclesia usurpari solitum, juxta quod tertio Apost. Canone præcipitur.* VI. *Quartus Canon Apost. lege cæremoniali non innititur, sed ei potius adversatur.* VII. *Fructuum primitias ab Ecclesia primitiva offerri solitas, e quarti seculi, necnon secundi, tertiique monumentis probatur 5*

CAP. III.

- I. *Canones Apost. V. et VI., adversariis judicibus, et ævo et doctrinæ Apostolorum consentanei sunt.* II. *Canon VII. defenditur ac illustratur. Asianæ tantum Ecclesiæ Pascha quarta-*

decima luna celebrabant. III. Idem quod hoc Canone continetur, a primitivis Synodis ex Apostolica traditione constitutum fuit. IV. Canones VIII. et IX. de frequenti communione agentes illustrantur. V. Primitivi Christiani quocumque sacros habebant conventus, mystici Corporis Sanguinisque Christi participes erant. VI. Sacrorum conventuum et Eucharistiæ in iis celebrandæ modus antiquus, e Justino M. illustratus. VII. Hoc Sacramentum in omnibus primorum Christianorum conventibus celebratum fuisse, e Plinio Secundo, Tertulliano, et Clemente Alexandrino ostenditur. VIII. Plurimi e primitivis Christianis quotidie communicabant. Egregius de ea re D. Ambrosii locus. S. Basilius quater saltem singulis septimanis communicavit. D. Chrysostomi exhortatio ad frequentem communionem. IX. Ipsi Apostoli Eucharistiam frequenter celebrare consueti sunt. Κατ' ὄλιγον in Act. Apost. idem quod ἐν ὄλιγον. X. Qui a frequenti communione se abstinent, merito excommunicantur, juxta quod hoc Canone Apost. constituitur 16

CAP. IV.

I. Canon Apost. XVII. de digamis et concubinariis non ordinandis vindicatur. II. Canones XXI., XXII., XXIII. de Eunuchis defenduntur. Valesii hæretici his Canonibus occasionem dedisse videntur, vel post eos Origenes. III. Leontium a se castratum, nec ad laicam communionem admittendum esse affirmat S. Athanasius. Quod de solo Canone Apost. XXIV. intelligi potest, non de Nicæno I., utpote quo nihil ea de re decernitur. IV. Ex eo quod Epiphanius Canones Apostolicos contra Valesios non laudavit, nequaquam sequitur eos tunc temporis non exstitisse. V. Canones Apostolici XXVII. et XXX., de Episcopis, presbyteris, et diaconis alios verberantibus, et vel pecunia, vel secularium potestatum ope promotis agentes, vindicantur 29

CAP. V.

I. Canon Apost. XXXIV. de primis Episcopis defenditur. Τὰ ἀρχαῖα ἔθνη apud Synodum Nicænam non novitatem sed antiquitatem jurium Metropolitanorum indicant. Antiqua consuetudo pro lege habenda est. II. Privilegia a Synodo Nicæna nonnullis Ecclesiis asserta Metropolitana erant. Quænam illa fuerunt. Ex iis antiquitas Canonis hujus Apostolici evincitur. III. Horum supra illos Episcopos præsentia e Synodis de Pascha habitis demonstratur. Singulæ istæ Synodi suos habebant præsides. Quare Palma Amastridis Episcopus Synodo

Ponticæ præerat, cum Heraclea istius provincie Metropolis esset. IV. Cæsarea Metropolis erat Palæstinæ: hinc Episcopus Cæsariensis Hierosolymitano præfertur: illique a Synodo Nicæna jura sua Metropolitanica confirmantur, huic consequentia tantum honoris indulta. V. Quare in Palæstina duo, in aliis Synodis unus præsedisse dicatur, ut Victor Romanæ. Metropolitanarum, non item aliarum sedium, Episcopi nominatim ab historicis recensentur. VI. Lugdunum Gallie Metropolis erat. Quid vox *παροικία* antiquitus significarit? Irenæus Lugdunensis totius Gallie primas erat. Quare Synodi in Osroena habitæ nullus præses nominatur. VII. Ephesus Asiæ Proconsularis Metropolis fuit. Hinc Polycrates Ephesinus omnibus Asiæ Episcopis præerat. Unde Metropolitanorum antiquitas asseritur: necnon ex Ignatii et Dionysii Corinthiaci scriptis. VIII. Africa etiam suum Metropolitanum habuit, Episcopum Carthaginiensem. Quam lata fuerit ejus provincia. Triplex vocis Africæ significatio. Ut Numidia et Mauritanie Africæ adjectæ sunt. Carthago omnium Africæ provinciarum Metropolis. IX. Aliæ in Africa erant Metropoles et primæ sedes, ab Episcoporum ordinatione denominatæ. Unde singulare Afris censuræ genus. X. D. Cypriani tempore, is ut Episcopus Carthaginiensis omnibus Africæ, Numidiæ, et Mauritanie Episcopis præerat, quod ex ipsius Epistolis probatur. XI. Hinc colligitur tribus primis seculis Metropolitanos in universa Ecclesia constitutos esse, quorum jura a Synodo Nicæna asseruntur. XII. Romanum Imperium initio Evangelii in provincias distributum fuit, quæ singulæ singulos habebant præsides. Ad hanc Imperii dispositionem Apostolos in Ecclesia propaganda respexisse e variis Scripturæ locis probatur. XIII. Idem ex Epistolis D. Pauli, ad provincias Metropoles aut Metropolitanos omnibus missis, demonstratur. XIV. Item e Synodo Hierosolymitana ab Apostolis habita: necnon ex Actis Apostolorum, et D. Joannis Apocalypsi. XV. Quare Apostoli summam Metropoleon curam habuerunt? Hinc Metropolitanorum primatum ab Apostolis manasse asseritur: licet non particularia eorum privilegia. XVI. Nonnullæ Ecclesiæ honorem præ aliis habuerunt, ut ab ipsis Apostolis fundatæ. Sed illæ, nisi Metropoles essent, aliis subjectæ sunt. Quod e Synodis Nicæna, Antiochena, et Taurinensi probatur. E præmissis Canon Apost. XXXIV. vindicatur. XVII. Metropolitanus jure primus est ubique gentium Episcopus, et speciatim in Anglia; ut cujus Metropolis erat Cantuaria, cum primo ad fidem conversa est. XVIII. Metropoles in Ecclesiæ notitia semper eadem. Imperii mutationibus non subjectæ. Quod e Canonibus et Actis Synodi Chalcedonensis probatur. XIX. In Ecclesia Anglicana Cantuaria, juxta Synodi Chalcedonensis decretum, primatum semper obtinuit; licet Lichefelda et Londinum eum sibi nonnunquam vindicarint.

De Archiflaminibus nihil in antiquitate occurrit. Hodie non constat, quænam olim fuerit Britannorum Metropolis. XX. Controversia inter Archiepiscopos Cantuariensem et Eboracensem alius erat generis, et cito sedata. XXI. Hujus dissertationis Epilogus 38

CAP. VI.

I. Canon Apost. L. *de trina mersione in baptismo. Quam antiquus fuerit iste ritus. A S. Patribus inter Apostolicas traditiones recensetur. II. Nihil est ineptiæ, nedum vitii, in hac sanctione, per quam deponuntur illi soli, qui una mersione in mortem Domini data baptizant. III. Objectio contra hujus Canonis antiquitatem, ex eo petita, quod Eunomiani, quarto seculo exorti, non trina sed una mersione in mortem Domini primi baptizasse perhibeantur. IV. Huic objectioni respondetur. Nec Socrates, nec Sozomenus Eunomium dixit in mortem Domini primum baptizasse. Alii, longe ante Eunomium, in Nomine Solius Christi baptizantes hæretici amplam satis huic condendo Canonis materiam præbuerunt. V. Eunomii historiam, ut a Theodoro traditam, antiquitatem hujus Canonis confirmare potius quam elevare ostenditur. VI. Traditiones non scriptæ Patribus eæ dicuntur, quæ in Sacris Scripturis non continentur. Non eæ, quæ nec in scriptis ecclesiasticis habentur. Cujus rei specimen e S. Basilio datur 87*

CAP. VII.

I. *Quid contra Canones Apost. LII. et LXII. de pœnitentibus recipiendis objectum sit. II. Pœnitentes secundo tertioque seculo ab Ecclesia receptos esse probatur. Quod si clerici essent, ad laicam tantum communionem admissi sunt. III. Quicquid his Canonibus decernitur Apostolorum doctrinæ convenit. IV. Canon LX. de libris hæreticis. Multi hujusmodi libri istis diebus editi sunt. A Valentino, Marcione, et aliis. Evangelium secundum Ægyptios, secundum Hebræos, Judæ, Veritatis. V. Canon Apost. LXIII. Apostolorum doctrinæ et decreto consonat. Lex Mosaica de sanguine et suffocatis non edendis necessaria judicata est observatu aliquandiu post Apostolos. Ab Ecclesia Occidentali diu observata fuit, ab Orientali ad hunc usque diem. VI. Canon LXVI. defenditur. Primitiva Ecclesia die Dominico non jejunabat, neque Sabbato, nisi Magno. Hæresis Marcionis huic de Sabbato non jejunando sanctioni materiam dedit. VII. Post extinctam istam hæresin, nonnullis in locis Sabbato jejunatum est, aliis non. D. Ambrosii de hujusmodi rebus consilium 99*

CAP. VIII.

- I. Canon Apost. LXIX. de Quadragesima et quarta sextaque feriis jejunandis, in proximo libro seorsim vindicatur. II. Canon LXXII. defenditur. Cera et oleum ab Ecclesia primitiva quamobrem usitata. III. Canon LXXIII. vindicatur. Apostolos ædes Dei cultui consecratas habuisse plusquam verisimile est. Vasa et aurea et argentea proximis post eos seculis in usu fuisse certissimum. IV. Canones LXXXI. et LXXXIII. de iis, qui civiles una cum ecclesiasticis dignitatibus obtinebant, defenduntur. Paulus Samosatenus et Episcopus fuit et Ducenarius 112

CAP. IX.

- I. Ultimus Canon Apost. Quot et quales contra eum objectiones edidit Dallæus. Quæ tamen Turrianicam magis quam nostram opinionem perstringunt. II. Libros Maccabæorum antiquitus in hoc Canone non recensitos esse, Jo. Antiocheni collectio, et Ecclesiæ Græcæ usus fidem faciunt. III. Libri illi inter canonicos S. Scripturæ libros ante Synodum Nicænam numerati sunt: nec duo tantum sed tres. IV. Constitutiones Apostolorum, ut hodie in hoc Canone lectæ. Has easdem esse ac διδαχὰς sive διδαχὴν τῶν Ἀποστόλων ab Eusebio et Athanasio memoratas nonnulli judicarunt. V. Quare ista opinio nobis etiam verisimilis videatur. Constitutionum opus Doctrina sæpe appellatur. VI. Constitutiones Apost. Epiphanio visæ sunt, laudatæ, et perinde habitæ ac si ab ipsis Apostolis editæ fuissent. VII. Haud mirum est, si Constitutiones istæ inter sacros Scripturæ libros numeratæ essent ante Synodum Nicænam. VIII. Verum hoc ultimo Canone Apost. inter canonicos S. Scripturæ libros non recensentur, sed ab iis aperte distinguuntur. IX. Earum mentio alia ac primi conditoris manu huic Canoni inserta est. Inter Canones et Constitutiones antiquas disconvenit. X. Clementis Epistolæ, ut hic memoratæ. Duæ ab antiquis Patribus celebratæ, ab ipso etiam Dionysio Corinthiorum Episcopo: cujus verba explicantur. Quæ secunda dicitur, prima scripta fuit, idque sub Clementis, ut altera Ecclesiæ Romanæ nomine. XI. Quæcunque pro Sacris habitæ sunt Scripturis, olim una cum canonicis promiscue numeratæ sunt. XII. In MS. Alexandrino hæ duæ Clementis Epistolæ libris canonicis subjunguntur. Syllabus librorum, qui in isto Codice habentur. Non mirum est, quod hæ Epistolæ huic Canoni insertæ sint. XIII. Ex Apocalypsi in hoc Canone prætermissa nihil contra ejus antiquitatem concludi potest. Liber iste diu in dubium vocatus fuit. Ex ultimo hoc Canone antiquitas hujus Sylloges adstruitur potius quam elevatur 119

CAP. X.

- I. *Communia Dallæi argumenta contra Canones Apost. Quorum primum e vocabulis ibi usitatis sumitur. II. Hæc objectio nostram opinionem non attingit. Vocabula κληρικὸς, ἱερεὺς, λαϊκὸς, ἱερατικὴ διοίκησις, ἀναγνώστης, Ἰάλτης, ab Ecclesiæ primordiis usitata esse ostenditur. III. Idem probatur de vocabulis προσφορὰ, θυσία, sacrificium, θυσιαστήριον, altare. IV. Discrimen inter βωμὸν et θυσιαστήριον a Patribus diligenter observatum. Eucharistia, quare θυσία, sacrificium et oblatio, dicatur, et sacra mensa altare. Ita ab Irenæo et Justino M. dicuntur. V. E vocabulis Πεντηκοστή, Κυριακὰ, et Ὑπερβερεταῖος, et πρῶτος ἐν ἐπισκόποις, nihil contra antiquitatem horum Canonum concludi potest 145*

CAP. XI.

- I. *Altera communis objectio contra Canones Apost. ex eo petita, quod Episcopi et presbyteri in iis distinguantur. Ista distinctio ab Ecclesia recens nata obtinuit. II. Clemens Alex. Episcopum et presbyterum non minus quam presbyterum et diaconum distinguit. III. Eadem distinctio ex Origene, et Dionysio Alex. demonstratur, necnon ex Tertulliano, qui Episcopum 'Summum Sacerdotem' vocat. IV. Clemens Alex., Origenes, et Tertullianus Episcopos in ipsis Apostolorum scriptis distinctos esse a presbyteris, adeoque ab ipsis Apostolis distincte institutos judicarunt. V. Idem ex Tertulliano iterum probatur, necnon ex Irenæo. Multi presbyteri Episcopo Romano subjecti sunt, qui tamen nihil magni momenti sine eo facere potuerunt. VI. Polycarpus Episcopus ab Apostolis ordinatus presbyteros sibi subjectos habuit. Primi Ecclesiarum Episcopi soli celebrantur, non item presbyteri. VII. Episcoporum a presbyteris distinctio, eorumque super hos auctoritas, e Dionysio etiam Corinthiaco demonstratur. VIII. Nonnullos proxime post Apostolos, primo presbyteros, et deinde Episcopos ejusdem Ecclesiæ fuisse probatur. IX. Hæc distinctio ex iis etiam qui cum Apostolis versati sunt, Ignatio, et Clemente Romano evincitur. Episcopi, presbyteri, et diaconi in Ecclesia Christiana, æque ac Pontifex, Sacerdotes, et Levitæ in Judaica distincti, iisdemque nominibus antiquitus appellati sunt. X. Clementis I. locus explicatur. Διάκονος istis diebus generale erat omnium Ecclesiæ ministrorum nomen. Clemens non de sua atate loquitur, sed, quid Apostoli statim post Domini ascensum agebant, docet, cum Ecclesiæ regimen perpetuo duraturum nondum institui potuit. XI. Quod Episcopi ab Apostolis presbyteri nominentur, nihil contra nos facit. Nam initio Ecclesiæ Judaicæ 'Summus Sacerdos' etiam simpliciter 'Sacerdos' dictus*

fuit. XII. *Ex iis, quæ Apostoli statim post Christi ascensum fecerunt, nihil de perpetuo Ecclesiæ regimine concludi potest. Ipsi Spiritum per Christum sibi insufflatum per χειροθεσίαν aliis communicarunt. Quo modo in Apostolorum successores perpetuo infunditur.* XIII. *Quæstio de Episcoporum supra presbyteros auctoritate, ut rite instituantur, ita ut determinari possit.* XIV. *Singuli Apostoli totam Apostolicam auctoritatem sibi commissam habuerunt, ac proinde eandem in singulares personas transmittere debuerunt.* XV. *Hanc auctoritatem Apostoli singulis personis, Timotheo et Tito, commiserunt; ideoque et aliis; siquidem uniformitati in Ecclesia studerent.* XVI. *Eandem apud singulares personas ab Apostolis depositam fuisse, historiæ ecclesiasticæ fidem faciunt. Ipsi etiam adversarii negare nequeunt, quin singulares personæ eandem statim post Apostolos exercuerint.* XVII. *Primi Apostolorum successores ecclesiasticæ administrationis formam ab iis institutam nec voverunt, nec potuerunt immutare. Nullus unquam presbyter ante nostrum et præcedens seculum præter Arium se Episcopo parem existimavit.* XVIII. *Nihil inter jus Divinum et Apostolicum interest. Antiquissimi Patres episcopalem auctoritatem jure Divino institutam consenserunt.* XIX. *Hujus dissertationis conclusio 153*

CAP. XII.

- I. *Canones Apost. XLVI., XLVII., LXVIII., de hæreticorum baptismo non admittendo. Quid contra eos objectum est.* II. *Hæreticorum baptismus ante D. Cyprianum condemnatus est, et pro nullo habitus.* III. *Quæ de Romana Ecclesia affert vir doctus, sententiam nostram confirmant. Quare Donatistæ hæreticorum baptismum respuebant. S. Augustinus baptismum sine Evangelicis verbis collatum nullum esse pronunciavit.* IV. *S. Basilius hæreticorum quorumlibet baptismum repudiavit, et Canonis Apost. XLVI. de hac re editi meminit. Qui tamen Canon de antiquis tantum hæreticis intelligendus est.* V. *Canonibus Nicænis cum Apostolicis optime in hac re convenit. Παυλιανίσαντες a Synodo Nicæna quinam dicti. Eorum ordinatio æque ac baptismus exploditur.* VI. *Hujus capituli librique secundi Epilogus 188*

LIBRI TERTII.

CAP. I.

- I. Canon Apost. LXIX. *de Quadragesimali, necnon quartæ, sextæque feriæ jejunio, hoc libro vindicatur.* II. *Jejunium Quadragesimale ante annum Dom. CCCLXX. passim celebratum fuisse, ipse fatetur Dallæus. Idem ante annum Dom. CCCLXV. observatum fuisse, e Synodo Laodicensi probatur.* III. *Synodus Nicæna Quadragesimam, non minus quam autumnus tempus, ubique et omnibus notam supponit.* IV. *Id ipse Dallæus negare nequit. Quod nostræ de Canonum Apostolicorum antiquitate opinioni vindicandæ satis est 201*

CAP. II.

- I. *Quadragesimam a Synodo Nicæna memoratam unius, vel duorum, vel ad summum sex dierum fuisse opinatur Dallæus, eamque opinionem duabus conatur firmare rationibus: quibus respondetur. Quid per 'pulum munus' isto tempore oblatum intelligendum sit.* II. *Eodem quo habita est Synodus Nicæna seculo, Quadragesimam quadraginta dierum fuisse, ex D. Ambrosio, Gregorio Nazienzeno, aliisque demonstratur.* III. *Exinde Quadragesimam a Synodo Nicæna memoratam quadraginta dierum fuisse legitime concludatur.* IV. *Idem ex ipsa voce τεσσαρακοστή a Synodo usitata evincitur 209*

CAP. III.

- I. *Ex eo quod alia subinde jejunia 'Quadragesimæ' nomine nuncupentur, opinio illa, quæ antepaschale quadraginta dierum fuisse statuit, confirmatur potius quam destruitur.* II. *Argumentum ex Hieronymo sumptum, ex eodem eliditur. Vox 'Quadragesima' posterioribus seculis commune fuit omnium jejuniorum nomen.* III. *Palmario e Socrate petito argumento respondetur 217*

CAP. IV.

- I. *Argumentum e Cassiano petatum refellitur, eumque Quadragesimam eo dictam putasse ostenditur, quod quadraginta dierum esset.* II. *Vocis 'Quadragesimæ' ratio a Dallæo exinde sumpta, quod quadraginta horarum esset jejunium.* III. *Istam*

rationem nequaquam admitti posse probatur, ex eo quod istiusmodi jejunii nusquam in omni antiquitate, nedum in Synodo Nicæna, mentio fiat. IV. Rigaltii de hujus nomenclaturæ ratione conjectura a Dallæo laudata refellitur. Ea Dallæanam sententiam destruit. V. Vera vocis 'Quadragesimæ' ad jejunium antepaschale denotandum usitatæ ratio explicatur. Τεσσαρακοστή a quadragesimo die ante Pascha vocatur, ut Πεντηκοστή a quinquagesimo die post Pascha. VI. Quo sensu vox Τεσσαρακοστή a Synodo Nicæna usurpatur 224

CAP. V.

I. Testimonia pro jejunio quadragesimali e S. Athanasio petita ab exceptionibus vindicata. II. Eusebii testimonium de Quadragesima ex eo sumptum, quod is Therapeutarum ritus, ut a Philone descriptos, a Christianis suæ ætate observatos esse asseruerit. III. Therapeutas plerique Essenos fuisse opinantur. Cujus opinionis fundamentum evertitur. Quantum discriminis Essenos inter et Therapeutas fuit. IV. Inter Therapeutas et Christianos tanta fuit convenientia, ut Eusebius eos Christianos fuisse putaret. Sic etiam S. Hieronymus et Epiphanius. Quorum verba vindicantur et explicantur. V. Nulla datur ratio, eos non fuisse Christianos evincens. Argumentis ex eo petitis, quod antiquos auctores et allegoricas Scripturas habuerint, respondetur. VI. Aliæ contra hanc Patrum opinionem exceptiones diluuntur. VII. Haud mirum est, quod Therapeutæ hymnos et cantica Deo canerent, etsi Christiani fuissent. Ista consuetudo in Ecclesia semper obtinuit. Illi iisdem, quibus Christiani, in canendo ritibus usi sunt, ut antiphonis et ἀρχοσελευτίοις. VIII. In jejniis etiam peragendis, Therapeutis cum Christianis optime convenit. Nulla secta tot regiones istis diebus peragraverat, quot Philo Therapeutas incoluisse tradit, præter Christianos. IX. Quare ea, quæ Therapeutas Christianos fuisse statuit, opinio nobis probabilis videtur. Ex eo saltem quod antiqui Patres ita senserint, jejunii quadragesimalis antiquitas evincitur . . . 236

CAP. VI.

I. Constantini M. verba de jejunio antepaschali explicata. II. Dionysii Alexandrini responsio de solutione jejunii antepaschalis. Quanta religione ultimi sex Quadragesimæ dies antiquitus observati sunt. III. Non modo Parasceve et Sabbato Magno, diebus illis quibus ablatas est Sponsus, sed et ante eos celebratum fuisse jejunium ex ipso Tertulliano probatur. IV.

Dies illos jejuniis antepaschali consecratos quadraginta fuisse ex Origene, Tertulliano æquali, demonstratur. Cujus verba ab exceptionibus vindicantur. V. Illustre pro jejuniis antepaschalibus e Synodis istis, quæ secundo exeunte seculo de paschali festivitate celebranda habitæ fuerunt, argumentum assertum et explicatum 262

CAP. VII.

- I. Irenæi verba de diversis jejunii antepaschalis formis. Ea nonnulli ita interpretantur, ac si quadraginta horæ antiquitus a nonnullis jejunatae essent. II. Ista interpretatio refellitur, ex eo quod talis jejunii nulla in antiquitate occurrat mentio, quodque verba Irenæi istum sensum non ferent. III. Vera eorum verborum interpretatio explicatur et defenditur. Quid sit 'per horas diurnas nocturnasque jejunare?' IV. Ex illis verbis evincitur accuratam esse jejunandi formam, qua quadraginta dies jejunati sunt. Quod etiam e proximis ejusdem verbis fuse explicatis confirmatur. V. Ex istis Irenæi verbis probatur accuratam jejunandi ante Pascha formam ipso Irenæo judice eam esse, qua quadraginta dies jejuniis isti consecrantur. VI. E præmissis Irenæi verbis et illis quæ ea sequuntur, jejunium quadragesimale ab ipsis Apostolorum diebus religiose observatum fuisse demonstratur 274

CAP. VIII.

- I. D. Hieronymi jejunium quadragesimale ad Apostolicam traditionem referentis, verba ab exceptionibus defenduntur. II. Illum Quadragesimam credidisse æque antiquam fuisse et ab Apostolis institutam atque ipsam diem Dominicam, ex ejus verbis demonstratur. III. Idem aliique jejunium quadragesimale necessario observandum esse statuerunt. Unde Apostolica ejusdem institutio evincitur. IV. Argumento e S. Augustino contra Apostolicam hujus jejunii institutionem petito respondetur, eumque nobis consensisse ostenditur. V. Ea sententia, quæ hoc jejunium ab Apostolis traditum statuit, aliis veterum, tam Latinorum, quam Græcorum, Patrum testimoniis confirmatur 287

CAP. IX.

- I. Ἀνακεφαλαίωσις eorum, quæ de jejunio quadragesimali hactenus dicta sunt. E quibus Apostolica ejusdem institutio infertur. II. Idem ex eo probatur, quod, etiamsi ubique observatum, eccle-

siastica tamen auctoritate nunquam institutum fuit. Juxta auream D. Augustini regulam, quæ defenditur et explicatur. III. Nostra de Apostolica hujus jejunii institutione opinio explicata. Dies 'quibus ablati sunt Sponsus,' ipsi Apostoli jejuniis transegisse, aliisque jejunandos tradidisse videntur. IV. Quadraginta dierum jejunium ab aliis primo susceptum videtur, sed ab Apostolis postea traditum ab iis, qui illud ferre poterant, suscipiendum. V. Ex hac hypothesi, quicquid in antiquitate de hoc jejuniis dictum fuit et clarum est, et sibi constans. VI. Prudentis est Christiani, hoc jejunium religiose quotannis observare: ut e quo nihil incommodi, sed multum utilitatis emergat. VII. Quo modo hoc jejunium antiquitus observatum fuit, et adhuc observari debet . 297

CAP. X.

I. Jejuniis quartæ sextæque feriæ in Canone Apost. LXIX. memoratur et injungitur. Unum sine altero in antiquitate nusquam occurrit. II. Has duas ferias antiquitus religiose observatas fuisse, et jejuniis dicatas e Basilio M., Hieronymo, Epiphano, et Constitutionibus Apost. probatur. III. Idem e S. Augustino et Petro Alexandrino demonstratur. IV. Eisdem ferias etiam tertio ineunte seculo jejuniis consecratas fuisse ex Origene et Clemente Alexandrino evincitur. V. Tertullianus has duas ferias stationibus dicatas asserit. VI. Vera stationum notio inquiritur. Tertullianus stationes et jejuniis nonnunquam distinguit. Alibi jejuniis stationum nomine appellat. Quo sensu vox statio et ante et post Tertullianum usitata est. VII. Stationes breviora erant jejuniis, hora nona terminata. Et quartæ sextæque feriis peculiaris. VIII. Exceptiones contra argumentum pro his jejuniis e Tertulliano petitum diluuntur. IX. Hæc jejuniis longe ante Tertullianum observata fuisse ex Hermæ Pastore ostenditur. Unde ab ipsis Apostolis instituta videntur 310

TABULA AUCTORUM ET EDITIONUM	323
INDEX AUCTORUM	325
INDEX CANONUM	331
INDEX CONCILIORUM	332
INDEX RERUM	333

APPENDIX.

<i>Prolegomena in Συνοδικόν, sive Pandectas Canonum</i>	. . .	iii
<i>Præfatio ad Annotationes in Canones Apostolicos</i>	. . .	xlix
<i>De Linguarum Orientalium Præstantia, Necessitate, et Utilitate, quam et Theologis præstant et Philosophis</i>	. . .	lxxxiii

CODICIS CANONUM ECCLESIAE PRIMITIVÆ

VINDICATI AC ILLUSTRATI,

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Synopsis.

- I. *Discussis in priori libro externis, interna contra Canones Apostolorum argumenta modo discutienda restant.*
- II. *Si nihil in hoc Codice secundi, tertiique seculi disciplinae dissentaneum esse constiterit, controversia de antiquitate istius, ut a nobis asserta, dirimetur.*
- III. *Hanc, de rebus in hoc Codice comprehensis, adversarii etiam nobis extorserunt dissertationem.*
- IV. *Methodus ejusdem, necnon finis fructusque.*

I. CANONES Apostolicos, sive Apostolorum vulgo dictos, non modo ante quintum adultum, verumetiam ante quartum inceptum æræ Christianæ seculum sancitos fuisse, collectos, ac divulgatos, ex iis, quæ superiori libro disputavimus, abunde satis, ut opinor, constat. Ubi scilicet Canones istos ab Imperatoribus, a Patribus, necnon a Synodis, tam Œcumenicis, quam provincialibus, nunc sub ecclesiasticorum, nunc sub antiquorum, nunc etiam sub deserto Apostolicorum nomine, quarto quintoque seculo laudatos fuisse demonstravimus. Et quandoquidem Joannes Dallæus, et vestigiis ejus insistens anonymus Observator, quasdam contra nonnulla e testimoniis, quæ adduximus, exceptiones excogitarunt, eas omnes quales quales, et quotquot fuerunt, quanta potuimus brevi-

tate pariter atque perspicuitate expensas, discussas, confutatas dedimus. Quinetiam alia omnia externa argumenta, quæcunque ab utrovis eorum, vel e testimoniis, vel e silentio veterum de hisce Canonibus, ad astruendam suam, vel ad nostram de iis opinionem evertendam adducta sunt, profligavimus adeo et refellimus, ut nihil modo ad plenissimam sententiæ nostræ fidem faciendam superesse videatur, nisi ut ostendamus insuper, nihil in tota hac Canonum Apostolicorum collectione occurrere, quod cum primitivæ Ecclesiæ disciplina non accurate admodum et polite convenit. Quod si et hoc etiam probatum dederimus, nemo sane, in re saltem adeo antiqua, majorem requirat certitudinem, neque in posterum dubitabit quispiam, quin hi Canones longe antiquiores fuerint, quam Dallæus et Observator opinati sunt: et non minus antiqui, si non et antiquiores etiam, quam nos statuimus.

II. Enimvero, si in toto hoc Codice nihil prorsus decernatur, quod tribus prioribus Christianismi seculis in Ecclesia non observatum fuit; si nullum usurpetur verbum, quod istis temporibus non usitatum invenimus; si nulla damnetur hæresis, quæ non ante quartum seculum exorta est; si nihil per totam dicatur syllogem ritibus ac institutis Ecclesiæ primitivæ dissentaneum; si singulorum in eo Canonum, sanctionum, phrasium, et ipsarum etiam vocularum idea purioribus istis religionis nostræ seculis apprime congruat; qua quispiam ratione suspensus deinceps, et incertus hæreat, annon istis diebus constituti sint hi Canones, quibus exacte adeo et ad amussim quadrant? Sane si hoc demonstratum fuerit, tota hæc de Canonum Apostolicorum antiquitate controversia finietur. Si nihil enim iis inesset, nisi quod omnibus placeret, antiquitas eorum in controversiam nunquam venisset. Verumenimvero in illis Episcoporum supra presbyteros eminentia ac auctoritas asseritur. Jejunium quadragesimale, et reliqua ab Ecclesia instituta, religiose observanda esse præcipitur. Et alia istiusmodi nonnullorum auribus ingrata occurrunt. Et hinc est, quod tantum in eos odium concitatum fuit. Hinc est, quod tot eruditi viri omnia corraserunt argumenta, quibus, si fieri potuit, ipsa etiam antiquitas horum Canonum rescinderetur, atque ita omnis iis in istiusmodi agitandis controversiis auctoritas

aufferetur. Quod si nullum in hoc Codice decretum exstare constiterit, quod non ex aliis istorum seculorum monumentis, æque ac ex eo, probari potest, adeo ut, quæcunque in eo discernuntur, ab Ecclesia primitiva instituta esse ac observata manifestum fiat, etiamsi hic Codex in lucem nunquam prodiisset, quid opus erit de ejus antiquitate ulterius disputemus? Hoc itaque est, quod nos in præsentī demonstratum imus, eo præsertim inducti, quod cardo, ut aiunt, controversiæ in hoc fere vertatur. Ut ex quo necessario saltem consequetur, omnes hosce, quos Apostolicos vocamus, Canones istis temporibus summe consentaneos esse, quibus nos eos sancitos editosque fuisse arbitramur.

III. Adhæc, alia quoque ratio a nobis postulat, ut de ipsis rebus, quæ in hac antiqua Canonum collectione constituuntur, paulo fusius hic disseramus. Nimirum Dallæus Turriani, qui hos Canones ab ipsis Apostolis sancitos, et a Clemente Romano editos fuisse contendit, opinionem impugnans, plurima ex ipsis etiam Canonibus argumenta petit, quibus eam evincat. Dum Turrianum autem internis hujusmodi rationibus urget, nonnulla subinde inserit, quibus credulo et incauto lectori persuadere conatur, ex ipsis Canonibus manifestum esse, eos non a primitiva Ecclesia, nec ante quintum adultum seculum conditos fuisse. Quapropter ne Observator, aliive posthæc conquerantur, me omnibus, tam internis, quam externis, Dallæi argumentis non respondisse, quicquid ille, vel post illum Observator, ex ipsis Canonibus ad suam de iis confirmandam nostramve refellendam opinionem collegisse videtur, a nobis hic retundatur necesse est. Quod tamen fieri non potest, nisi totam percurramus syllogen, et si non singulos Canones, eos saltem omnes quos illi ad elevandam eorum auctoritatem in medium protulerunt, Ecclesiæ primitivæ ritibus moribusque consonare ostendamus.

IV. Quo hoc autem effectum demus, non opus est Dallæi procedamus methodo, qui primo contra ultimos XXXV., et ultimo contra primos L. Canones disputat. Nos enim, ut ratio postulat, a primo incipientes, in ultimo ordinatim desinemus, eosque omnes non modo a primis Ecclesiæ Christianæ seculis non abhorrire, sed cum iis etiam ita consentire demonstrabimus, ut illis proprii ac peculiare videantur. Et si quid Dallæus aut Observator e contra objecit,

[De Pseud.
Ap. lib. iii.
capp. xii.-
xvii.]

illud, Deo volente, ita removebimus, ut cuivis constet, hos Canones primis istis temporibus optime accommodatos esse, illorumque ecclesiasticam disciplinam ita exhibere, ut si adversariis demus, quod falsissimum est, eos non ante quintum, vel etiam sextum, seculum in unum corpus collectos esse, longe tamen antea sancitos fuisse ac constitutos pro certo habeamus et explorato. Unde liquido simul patebit, hunc Codicem Canonum Ecclesiæ Primitivæ meritissimo jure nuncupari posse, utpote qui antiquissimos illos contineat Canones, quibus Ecclesia, si non universa, Orientalis saltem administrata fuit, priusquam vel Nicæni, vel Ancyrani, vel alii, quos scimus, Canones in lucem emissi sunt. E quibus hoc etiam boni commodique et nobis, et aliis quibuscunque se primitivorum Christianorum moribus conformes gerere cupientibus, emerget, quod præ oculis habeamus, qua ratione vitam nostram ad eorum exemplar instituamus, quos plurimos martyrii corona redimitos, et ad summam gloriam evectos perfecta in cœlis felicitate ab eo usque tempore perfructos esse, perfruique credimus.

CAPUT II.

Synopsis.

- I. Primus Apost. Canon vindicatur. *Episcoporum supra presbyteros auctoritas nullo unquam Canone, aut lege ecclesiastica instituta fuit, et tamen ubique semper obtinuit. Unde eam Apostolicæ institutionis esse liquet.*
- II. *Ut Episcopus a duobus aut tribus Episcopis ordinetur, Apostolorum doctrinæ consonum est. Quid sit πρεσβυτέριον apud D. Paulum.*
- III. Secundus Canon defenditur. *Episcopi et presbyteri vocabula secundo saltem seculo distincte usitata sunt. Proinde non mirum est, quod ita in hoc Codice usurpentur.*
- IV. *Secundo tertioque seculo præter Episcopos, presbyteros, et diaconos, alii in Ecclesia constituti sunt clerici, hypodiaconi, lectores, cantores, etc.*
- V. *Incensum oblationis tempore a primitiva Ecclesia usurpari solitum, juxta quod tertio Apost. Canone præcipitur.*
- VI. *Quartus Canon Apost. lege cæremoniali non innititur, sed ei potius adversatur.*
- VII. *Fructuum primitias ab Ecclesia primitiva offerri solitas, e quarti seculi, necnon secundi, tertiique monumentis probatur.*

I. PRIMO itaque antiquus hic Canonum ecclesiasticorum Codex ab Episcopi, per quem omnis ecclesiastica disciplina administratur, constitutione orditur, jubetque Episcopum a duobus tribusve Episcopis ordinari. Ἐπίσκοπος, inquit, χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν. Supponit igitur Episcopus istis etiam diebus ubique ordinatos, aliosque eorum denatorum loco ordinandos esse. Ut Episcopi enim, a presbyteris distincti, iisque superiores, ubique gentium ordinentur, nullus unquam Canon, nulla lex ecclesiastica de-

[Can. Ap. i.
Pan. Can.
tom. i. p. 1,
A.]

crevit. Quod quidem luculento nobis est argumento, episcopalem auctoritatem, ordinem, ac eminentiam, non ecclesiasticæ, sed Apostolicæ institutionis esse: hoc est, sanctos Apostolos a Magistro suo nostroque edoctos, talem in Ecclesia pastorum evangelicorum ordinem instituisse, quibus incumberet presbyterorum aliorumque vitas inspicere, in delinquentes animadvertere, et providere, ut fides Christiana fideliter prædicetur, Christi præcepta et promissa religiose promulgentur, et Sacramenta ab Ipso instituta rite administrantur. Si tale enim officium ab ipsis Apostolis non institutum fuisset, non dico incredibile, sed et impossibile prorsus esset, ut, ipsis Apostolis adhuc superstitionibus, vel proxime saltem post eorum mortem, omnibus terrarum locis exerceretur, quibus religio Christiana suscepta est: idque licet nullum exstaret ecclesiasticum decretum, quo illud introductum fuit, vel etiam introduci potuit, si Ipsius Christi ac Apostolorum Ejus institutioni adversaretur. Ipsi autem acerbissimi ordinis episcopalis oppugnatores, nunquam diffiteri potuerunt, quin in ipsis Ecclesiæ primordiis tales ubique constituti sunt Episcopi, qui ecclesiastica istiusmodi munia obierunt: quales erant Clemens Romæ, Ignatius Antiochiæ, Polycarpus Smyrnæ, Anianus Alexandria. Hos enim simplices fuisse presbyteros, aliosque sibi subjectos non habuisse, non modo omni ecclesiasticæ antiquitati, verum ipsi etiam rationi contradicit, quæ scilicet nunquam permittet, ut credamus, quod in tantis civitatibus, ubi tam numerosi erant Christiani, unus omnibus Ecclesiæ muneribus fungeretur. Quod si alii ibidem essent, quibus ipsi, in sua quisque Ecclesia, præsidebant, quo jure, qua auctoritate hanc sibi præsentiam arrogabant? Ab Ecclesia quidem eam habere non potuerunt, utpote in cujus potestate nunquam situm fuit, novum instituere pastorum ordinem, aut talem quibuslibet auctoritatem dare, quæ ipsis a Christo et Apostolis Ejus negata fuit. Nemo etiam vel caritate, vel fide imbutus Christiana credat eos, qui toti erant in Deo Christoque colendo, quique doctrinam et ritus a Christo institutos sanguine suo consignare assiduo parati erant, ullam sibi dignitatem usurpare voluisse, quam nec a Christo, nec ab Apostolis Ejus traditam acceperant. Restat itaque, ut quamcunque Episcopi tunc temporis auctoritatem exer-

cebant, eam totam, si non Ipsi Christo, Apostolis saltem Ipsius, acceptam tulerint. Et hinc est, quod in omnibus antiquis Ecclesiæ monumentis primæ Episcoporum supra presbyteros constitutionis nec vola exstet nec vestigium. In hoc saltem vetusto admodum Canonum Ecclesiæ primitivæ Codice, etiamsi frequentissima occurrat Episcoporum mentio, de prima tamen eorum institutione altissimum est silentium. Hic enim eos antea et ab origine institutos fuisse pro confesso habetur, et propterea cavetur tantummodo, quo ritu quispiam in hoc ordinum ecclesiasticorum fastigium evehatur, nimirum a tribus vel duobus saltem ejusdem ordinis. Quibus vero rationibus hæc cautio innitatur, in Annotationibus ad hunc Canonem explicuimus.

[Annot. ad
Pan. Can.
p. 10, tom. ii.
ad fin.]

II. Verum Jo. Dallæus in hunc primum Apostolicorum Canonem gravissime invehitur, contenditque eum, Episcopum a duobus aut tribus Episcopis ordinari præcipientem, Apostolicis temporibus alienum esse, ut *quibus*, inquit, *ex Paulo constat a presbyteris solitas imponi manus*. Et nos quidem non asserimus hunc Canonem, totidem saltem verbis, ab ipsis Domini Apostolis sancitum esse. Veruntamen locus ille D. Pauli a Dallæo indicatus, minime vetat, quin ab iis sanciri posset. Sic enim ait D. Paulus, *Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος ὃ ἐδόθη σοὶ διὰ προφητείας μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου*. Per πρεσβυτέριον hoc in loco Dallæus cœtum, vel classem, ut vocant, presbyterorum intelligit, istiusmodi scilicet, qui isthoc nomine hodie nuncupantur. Quo nihil absurdius effingi potest. Dato enim vocabulum istud πρεσβυτέριον collective hic sumendum esse pro cœtu eorum, qui istis diebus πρεσβύτεροι vocabantur; nemo nescit hanc vocem e synagoga Judaica in Ecclesiam Christianam translata esse, eamque apud Judæos idem fere significasse atque ἡγεμόνα sive ἄρχοντα, ut e sexcentis patet veteris Testamenti locis, quibus Præfecti, Magistratus ecclesiastici, ipsique principes כּהֲנִים, Πρεσβύτεροι, sæpe appellantur. Quo factum est, ut ipsi Apostoli in Ecclesia recens nata hoc sibi nomen primo vindicarent. Sanctus enim Petrus se πρεσβύτερον vocat, necnon D. Joannes eodem se nomine appellat, initio secundæ tertięque Epistolæ ab ipso conscriptæ. Ipsum etiam D. Paulum unum fuisse in hoc presbyterio, a quo Timotheus χειροθεσίαν accepit, ipse diser-

De Pseud.
lib. iii. cap.
14, [pp. 595,
596.]

1 Tim. iv. 14.

1 Pet. v. 1.

tissime attestatur, eidem Timotheo in altera Epistola hæc
 2 Tim. i. 6. dicens, Δι' ἣν αἰτίαν ἀναμιμνήσκω σε ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ
 Θεοῦ, ὃ ἐστὶν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. Idem itaque
 χάρισμα, quod alibi per presbyterii, hic per D. Pauli χειρο-
 θεσίαν datum fuisse dicitur. Quod quidem dici non potuit,
 nisi ille partem saltem istius presbyterii constituisset,
 suasque Timotheo manus imposuisset. Sanctum autem
 Paulum purum putum hodierno sensu presbyterum fuisse,
 nemo, ut opinor, affirmabit, quippe qui unus, nec minimus
 quidem ex ipsis Apostolis fuit. Quapropter πρεσβυτέριον illud,
 a quo Timotheus ordinatus dicitur, nihil aliud esse potuit,
 quam cœtus istiusmodi Apostolicorum Ecclesiæ pastorum,
 quos Apostoli sibi successores designaverant, quibusque D.
 Paulus tanquam Primas in hoc negotio præfuit. Alioquin
 enim dicere non potuit illud per suam manuum impositionem
 dari, quod alibi μετ' ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου datum
 fuisse profitetur. Unde Theodoretus in locum per presby-
 1 Theod. in
 1 Tim. iv. 14,
 Op. tom. iii.
 p. 662.] terium τοὺς τῆς ἀποστολικῆς χάριτος ἡξιωμένους intelligendos ait:
 ac proinde, non obstantibus istis D. Pauli verbis, idem quod
 hoc primo Canone Apostolico decernitur, ab ipsis Domini
 Apostolis tradi ac sanciri potuit, nimirum ut Episcopus non
 nisi a duobus aut tribus Episcopis ordinetur. Imo quidem
 hic Canon illis ipsis Apostoli verbis adeo consentaneus est,
 ut ex iis formatus videatur. Cum ipse enim Apostolus non
 solus, sed cum aliis, πρεσβυτέριον sive cœtum Apostolorum
 constituentibus, Timotheum ordinarit, ex illius exemplo legi-
 time hic cavetur, ne unus quispiam Episcopus Episcopum
 constituat, sed et alii una cum eo manus imponant. Adeo
 ut nemo dubitare possit, quin, hic Canon Apostolicæ insti-
 tutioni summe consonet. Saltem ipse Dallæus nihil in hoc
 Canone invenire potuit, quod eum nec cum proximo post
 Apostolos seculo convenire ostendat. Cum enim inter
 omnes constet, secundo saltem a Christi nativitate currente
 seculo Episcopos proprie sic dictos ubique terrarum con-
 stitutos esse, Ecclesiasque suas cura atque auctoritate pas-
 torali administrasse, magnæ et necessariæ causæ postulabant,
 ut talis Canon sive decretum ecclesiasticum de legitima
 eorum ordinatione ederetur, ne quis furtim et clandestino ad
 tantam in Ecclesia dignitatem ascenderet. Quod facillime
 fieri, vel potius vix evitari potuit, si uni cuivis Episcopo

alios, quos ipse voluit, ordinare licuisset. Cum hoc itaque primo Canone Apostolico nihil aliud definiatur, nisi quod ab ipsis Domini Apostolis sanciri potuit, et a proximis eorum successoribus determinari debuit, nemini mirum esse potest, si secundo æræ Christianæ seculo constitutus editusque fuerit; cum, ipsis etiam fatentibus ordinis episcopalis adversariis, tales, quos ipsi oppugnant, Episcopi passim et quotidie ordinati sunt. Quod quidem nostræ de his Canonibus opinioni confirmandæ satis superque est.

III. Ut primus Canon de Episcopi, secundus de presbyteri, diaconi reliquorumque clericorum ordinatione agit, statuitque eos ab uno Episcopo ordinandos esse.¹ Ubi concedamus Dallæo hunc Canonem istis temporibus fuisse conditum ac conscriptum, quibus Episcopi et presbyteri vocabula inter se distinguebantur, suamque alterum ab altero divisam significationem in vulgari Ecclesiæ usu habebant. Concedamus etiam hunc vocabulorum istorum proprium ac divisum usum Apostolicæ Ecclesiæ, quam ipsi scilicet Apostoli adhuc superstites regebant, tempori non convenire, utpote quo hæc nomina indistincte et promiscue usitata videantur, adeo ut primi æque ac secundi ordinis ministri *πρεσβύτεροι* nonnunquam dicerentur. His, inquam, concessis, negari tamen nequit, quin, si non viventibus adhuc nonnullis Apostolorum, mox tamen postea, communis, quæ hodie inter ista nomina observatur, distinctio vulgo recepta fuerit. Hoc enim ex eo certissimum sit, quod proximi post Apostolos ecclesiastici scriptores, Clemens Romanus, Ignatius, Pius I. Romanus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, aliique, tres sacrorum ministrorum ordines, Episcopos dico, presbyteros, et diaconos, distincte recensuerunt, ut in Annotationibus observatum est, et fusius postea probatum erit. Secundo autem inclinato et ad finem vergente seculo illud observatum fuisse inter duo hæc vocabula discrimen, nec ipse Dallæus negare potuit nec Observator. Atque ideo, ipsis etiam horum Canonum adversariis iudicibus, distinctio illa inter Episcopum et presbyterum in hoc aliisque hujus sylloges Canonibus caste adeo et religiose ob-

[Annot. in Pan. Can. pp. 12-15, tom. ii. ad fin.]

In post. Vind. part. [cap. xxxi.] pp. 306, 307. [Vide lib. i. cap. i. sect. 6, tom. i. pp. 9, 10.]

¹ [*Πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς ἐπισκόπου κληρικοί.—Can. Ap. ii. Pan. Can. tom. χειροτονίῳ, καὶ διάκονος, καὶ οἱ λοιποὶ* i. p. 1, F.]

servata, nequicquam impedit, quo minus, secundo saltem exeunte, vel tertio ineunte seculo, sanciri poterant.

IV. Præterea Dallæus Canones hosce non Apostolicis temporibus conditos, nedum ab ipsis Apostolis editos ac promulgatos fuisse, ex eo etiam arguit, quod alii clerici præter Episcopos, presbyteros, et diaconos hoc secundo Canone memorentur, *Apostolis enim*, inquit, *non alios legimus cognitos fuisse clericos, quam Episcopos, sive presbyteros et diaconos.* Esto. Secundo tamen tertioque post Christum incarnatum seculo, alios in Ecclesia passim constitutos fuisse clericos inferiores, velut hypodiatonos, lectores, cantores, etc., ex iis qui istis scripserunt seculis abunde constat. Tertullianus enim, *Alius*, inquit, *hodie Episcopus, cras alius. Hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus.* Ubi observare licet, non modo Episcopum, presbyterum, et diaconum distincte et sigillatim recensitos, verumetiam lectorem tanquam alium e clericis una commemoratum. D. Cyprianus etiam Celerinum et Aurelium lectores constitutos, et ita clero conjunctos asserit:² lectorisque officium sic describit, *ut loci altioris celsitate subnixus, et plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta, et Evangelium Domini.* Alibique idem hoc habet, *Fecisse me autem sciatis lectorem Saturnum, et hypodiatonum Optatum Confessorem, quos jampridem communi consilio clero proximos feceramus.* Ubi, ut videre est, hypodiatoni etiam mentio occurrit. Adhæc, Cornelius Romanus, D. Cypriani æqualis, in Epistola ad Fabium, præter presbyteros et diaconos, etiam subdiaconos, acolythos, exorcistas, et lectores cum ostiariis in Ecclesia sua constitutos docet.³ In Canonibus quarto seculo nondum adulto editis hujusmodi inferioris ordinis clericos sæpe memoratos esse, neminem latere potest. Patres quidem Laodicensi Canone XXIV. edicunt, quod non oportet sacratum, a presbytero usque ad diaconum, et dein-

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 14, p. 599.]

Tertull. de Præscript. adv. Hær. cap. xlii. [p. 217, C.]

Cyprian. Epist. xxxiv. [Pamel. xxxix. Fell.] ad Cler. et Pleb. [p. 77.] Id. Epist. xxiv. [Pamel. xxix. Fell.] ad Cler. [p. 55.] Apud. Euseb. Hist. Eccles. lib. vi. cap. 43, [p. 312.]

² [“Celerinum fratrem nostrum virtutibus pariter et moribus gloriosum, clero nostro non humana suffragatione, sed divina dignatione conjunctum.”—Cyprian Epist. xxxiv. Pamel. xxxix. Fell. p. 76. “Jungendus in lectione Aurelio fuerat.”—Ibid. p. 77, conf. Ep. xxxviii. Fell. pp. 74, 75.]

³ [Ἐν ἧ οὐκ ἠγνόει πῶς γὰρ; πρεσβυτέρους εἶναι τισσαράκοντα ἕξ, διακόνους ἰπτὰ, ὑποδιακόνους ἰπτὰ, ἀπολούτους δύο καὶ τισσαράκοντα ἕξ ἄμα πωλωροῖς δύο καὶ πιντήκοντα.—Euseb. Hist. Eccles. lib. vi. cap. 43, p. 312.]

ceps quemlibet ecclesiastici ordinis usque ad ministros, vel lectores, vel cantores, vel exorcistas, vel ostiarios, vel ordinis monachorum, in cauponam ingredi.⁴ Et hæc sane inferiora ecclesiastica officia priscis admodum temporibus instituta fuisse, ex eo conficitur, quod licet quarti, necnon secundi tertiique seculi scriptores de illis sæpe meminerint, primæ tamen eorum institutionis nulla uspiam vestigia invenire possumus. Ex eorum itaque mentione in hisce Canonibus subinde facta, nihil ad oppugnandam Codicis hujusce antiquitatem a nobis assertam, ulla vel arte, vel machina, torqueri potest.

V. Contra tertium Canonem nihil habuit quod excipere potuit Dallæus, nisi quod in eo significetur tempore, quo conditores vixerunt, offerri solitum in Ecclesia θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς, *Incensum tempore sanctæ oblationis.*⁵ Hoc autem, ut ait vir doctus, non modo ab Apostolis alienum est, sed ne Tertulliani quidem ævo usitatum apud Christianos thymiama fuit in religionis sacris, ut qui nostros purgans a paganorum criminatione, qui eos infructuosos esse in negotiis dictitabant, *Thura plane*, inquit, *non emimus. Si Arabiae queruntur, scient Sabæi pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis.* Cujus agnosco verba, sed consequentiam ex iis deductam nego. Etiam si enim hic ritus in Ecclesia Africana Tertulliani ævo fortasse non obtinuerit, minime tamen exinde sequitur, quin aliis in locis eodem tempore usitatus esset. Imo quidem Hippolytus, Portuensis Episcopus, Clementis Alexandrini discipulus, ac propterea ejusdem fere ac Tertullianus ætatis, in oratione de Consummatione Mundi disertissimam hujus rei mentionem facit, dicens, Πενθοῦσι δὲ αἱ ἐκκλησίαι πένθος μέγα, διότι οὔτε προσφορὰ, οὔτε θυμίαμα ἐκτελεῖται. Quemadmodum etiam in Annotationibus ad hunc Canonem observatum est. Ubi et D. Ambrosii eundem ritum sua ætate, hoc est quarto currente seculo, observatum

Tertul. Apol. cap. xlii. [p. 34, B.]

[S. Hipp. tributus liber de Consum. Mundi, cap. xxxiv. Op. App. p. 21.]

⁴ [Ὅτι οὐ δὲ ἱερατικὸν ἀπὸ πρεσβυτέρου ἕως διακόνου, καὶ ἐξῆς τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως ἕως ὑπηρετῶν, ἢ ἀναγναστῶν, ἢ ψαλτῶν, ἢ ἱεροκιστῶν, ἢ θυρωρῶν, ἢ τοῦ τάγματος τῶν ἀσκητῶν εἰς καπηλιῶν

εἰσιναί.—Can. Laod. xxiv. Παρ. Can. tom. i. p. 464, A.]

⁵ [Μὴ ἰξὸν δὲ ἔστω προσάγεσθαι τι ἕτερον εἰς τὸ θυσιαστήριον, ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα, κ. τ. λ.—Can. Ap. iii. Pan. Can. tom. i. p. 2, B.]

esse confirmantis testimonium e commentariis ejus in S. Lucæ Evangelium cap. i., de Angeli apparitione adduximus.⁶

De Pseud.
lib. iii. cap.
14, [pp. 599,
600.]

VI. Quartum etiam Canonem unica hac objectione impugnat Dallæus, *Neque cum Apostolorum, inquit, dogmate vel ævo congruit, quod quarto Canone jubentur fructuum primitiæ Episcopo et clericis solvi, et in eorum ædes comportari. Id enim ad legem Mosaicam cæremonialem pertinet, quam veri Apostoli Dominica morte abrogatam docent, nedum ut aliquam ejus partem a fidelibus observari præcipiant.* Primo autem immerito reprehendit Canonem, quasi jubentem fructuum primitias Episcopo et clericis solvi, ac si nimirum e lege Mosaica iis debitæ essent. Hoc enim

[Can. Ap. iv.
Pan. Can.
t. m. i. p. 3,
A.]

Canon non jubet, sed dicit tantummodo, Ἡ ἄλλη πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποστελλέσθω, ἀπαρχὴ τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ θυσιαστήριον, *Omnis alius fructus domum mittatur, primitiæ Episcopo, et presbyteris, sed non ad altare.*

Deinde, quod hoc Canone constituitur, ad legem Mosaicam cæremonialem usque adeo non pertinet, ut ei prorsus contrarium sit. Ex ista enim lege primitiæ fructuum in ipso Dei templo, et coram altari offerendæ erant, Deut. cap. xxvi., et sæpe alibi. Hic autem id diserte prohibetur, et contrarium plane constituitur, ut scilicet non ad altare, sed ad Episcopi ædes mittantur. Et quidem ipsa fructuum et primitiarum oblatio longe ante legem cæremonialem instituta fuit. Nam Cain obtulit מַסְרֵי הָאֲרָמָה מִנְחָה לַיהוָה, *ex fructu terræ munus Domino.* Ab ipsa itaque mundi origine obtinuit, vel ex positivo Dei mandato, vel ex lege naturali ortum habens, cum nihil rationi magis sit consentaneum, quam ut primitiæ fructuum Deo offerantur, a Quo eos aliaque omnia gratis accipimus. Ac propterea hujusmodi oblationes fieri hoc Canone non jubetur, sed cavetur duntaxat, quomodo faciendæ sunt: ut fructus nimirum et primitiæ non super altare, nec in templo Dei, ut lege cære-

Gen. iv. [3.]

brosius, "Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus, assistat Angelus."—Ambros. in Luc. cap. i. de Angeli Apparitione. Exp. in Luc. lib. i. cap. 28. Op. tom. i. col. 1275, E.]

⁶ ["Incensum autem iisdem etiam temporibus in usu fuisse, fidem facit Hippolytus, qui tertio ineunte seculo claruit, dicens, Πισθοῦσι δὲ αἱ ἐκκλησίαι," κ. τ. λ.—Hippol. de Consummat. Mundi, [cap. xxxiv. Op. App. p. 21.] Ergo antea usitata fuerunt. D. Am-

brosius, "Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus, assistat Angelus."—Ambros. in Luc. cap. i. de Angeli Apparitione. Exp. in Luc. lib. i. cap. 28. Op. tom. i. col. 1275, E.]

moniali præcipitur, offerantur, sed ad Episcoporum ædes comportentur, ut ab illis cum presbyteris distribuuntur. Quod itaque cæremoniale fuit in hujusmodi oblationibus, hic abrogatur, ac proinde ab ipsis Apostolis sanciri potuit hic Canon, qui legem cæremonialem Dominica morte abrogatam docuerunt.

VII. Fruges autem ac primitias, de quibus hoc Canone agitur, in primitiva Ecclesia a fidelibus offerri solitas esse, ex antiquis ejusdem monumentis patet. Inter Constitutiones enim Apostolicas vulgo dictas, quas, licet non vere Apostolicas, antiquas tamen esse nemo dubitat, una de primitiis decimisque agit, præcipientes, ut omnes primitiæ offerantur Episcopo, et presbyteris, et diaconis, ad eorum alimentum, utque omnes decimæ offerantur ad alendos reliquos clericos, et virgines, et viduas, et pauperes. *Αἱ γὰρ ἀπαρχαὶ, inquit, τῶν ἱερέων εἰσὶ, καὶ τῶν αὐτοῖς ἐξυπηρετουμένων διακόνων, Primitiæ enim sacerdotum sunt, et iis ministrantium diaconorum.*

Const. Apost.
lib. viii. cap.
30. [Pat. Ap.
tom. i. p.
412.]

Præterea Synodus Gangrena iisdem fere temporibus, ac Nicæna, habita, Eustathianos inter alia condemnat, propterea quod *καρποφορίας τε τὰς ἐκκλησιαστικὰς, τὰς ἀνέκαθεν διδομένας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἑαυτοῖς καὶ τοῖς σὺν αὐτοῖς, ὡς ἀγίοις, τὰς διὰ δόσεις ποιούμενοι, Primitias etiam fructuum atque eorum oblationes, quas veterum institutio Ecclesiæ tribuit, sibimet et suis tanquam sanctis dispensandas vindicarent.* Hinc iidem Patres Canonem huic Apostolico similem ediderunt, præcipientem, ut is qui fructus Ecclesiæ oblatos accipere vel distribuere audet extra Ecclesiam, præter Episcopi sententiam, vel ejus cui cura eorum commissa est, sit anathema.⁷ Unde constat hunc in antiquiori Ecclesia ritum obtinuisse, ut non modo fructus a fidelibus offerrentur, sed et eorum distributio penes Episcopum esset, juxta quod hoc Canone Apostolico definitur. Quinetiam eodem, hoc est, quarto nondum finito seculo Patres Carthaginenses decretum de primitiis rite offerendis ediderunt, quod etiamnum exstat in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, nostræ editionis Canon XL.⁸ Iisdem diebus Gregorius Nazianzenus hæc scripsit,

Syn. Gangr.
in Præf.
[Pan. Can.
tom. i. p. 416,
D.]

Can. Gang.
VII.

⁷ [Ἐἴ τις καρποφορίας ἐκκλησιαστικὰς ἰδίῳ λαμβάνειν ἢ δίδοναι ἕξω τῆς ἐκκλησίας παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ἢ τοῦ ἐγκλημιασμένου τὰ τοιαῦτα, καὶ μὴ μετὰ

γνώμης αὐτοῦ ἰδίῳ πράττειν, ἀνάθημα ἔστω.—Can. Gang. vii. Pan. Can. tom. i. p. 420, A, B.]

⁸ [Ἀπαρχὴ δὲ, εἴτε μίλι, εἴτε γάλα,

Greg. Naz.
Epist. lxxx.
[lxi. Bened.]
ad Aerium et
Alypium,
[Op. tom. i.
p. 54.]

"Ὡσπερ ἀπαρχὰς ἀλῶνός τε, καὶ ληνοῦ, καὶ τέκνων, τοὺς ἀληθῶς φιλοτέκνους ἀνατιθέναι Θεῷ δίκαιόν τε καὶ ὄσιον, ὅτι παρ' αὐτοῦ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ καὶ τὰ ἡμέτερα, *Quemadmodum areæ, et torcularis primitias, et filiorum, eos qui vere filios amant, Deo consecrare justum et pium est, quoniam ab Ipso et nos ipsi et nostra omnia sunt.* Adhæc, Concilium Hispalense anno DXC.

Apud Ivon.
[Carnot.
Decret.]
part. iii. cap.
174, [p. 93,
Op. Paris.
1647.]

habitu decrevit, ut *omnes primitias ac decimas, tam de pecoribus, quam de frugibus, dives simul ac pauper, Ecclesiis suis rite offerant.* Quod si hæc recentiora sint testimonia, quam quibus fides in re adeo antiqua habeatur, alii, iique antiquissimi, et omni exceptione majores, præsto sunt testes, Irenæus et Origenes. Irenæus enim de Servatore nostro verba habens, *Sed et Suis, inquit, discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex Suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit. Offerre igitur oportet Deo primitias Ejus creaturæ.* Et nonnullis interjectis,

Iren. cont.
Hær. lib. iv.
cap. 32,
[Massuet.
17. sect. 5, p.
249, 2.]

Ibid. cap. 34,
[Mass. 18,
sect. 4, p.
251, 1.]

Oportet enim nos oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inveniri Fabricatori Deo, in sententia pura, et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione ferventi, primitias earum quæ sunt Ejus creaturarum offerentes; et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert Fabricatori, offerens Ei cum gratiarum actione ex creatura Ejus. Et Origenes, postquam dixisset

Orig. cont.
Cels. lib. viii.
[cap. 34, Op.
tom. i. p. 766,
E, F.]

Celsum velle, ut primitiæ dæmonibus dicarentur, addit, *ᾧ δὲ τὰς ἀπαρχὰς ἀποδίδομεν, τούτῳ καὶ τὰς εὐχὰς ἀναπέμπομεν, Nos autem cui primitias offerimus, ad eundem etiam preces nostras dirigimus.* E quibus omnibus videre est, veterem ipsamque primitivam Ecclesiam in ea fuisse sententia, quod, etiam post abrogatam legem cæremonialem, primitiæ a fidelibus Christianis offerri debeant; quodque earum oblatio ab ipsis Ecclesiæ primordiis instituta fuit. Quo factum est, ut Ecclesia Græca hunc ritum perpetuo observarit. In cujus propterea Euchologio variæ exstant precandi formulæ pro iis, qui fructus suos offerunt, ut *Εὐχὴ περὶ τῶν προσφερόντων ἀπαρχὰς ὀπίωρας.* Item, *Εὐχὴ ἐπὶ τῶν καρποφορούντων.* Quinetiam in veteri Latino D. Gregorii Sacramentario ejusmodi

[Goar. Rit.
Græc. pp.
655, 656.]

ὡς εἰσὶν, προσφιεῖσθαι ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἰδίῳ
εἰς τὴν τῶν νεπίων μυστήριον . . . μνηδὴν
δὲ πλὴν ἐν ταῖς ἀπαρχαῖς προσφιεῖσθαι,

ἢ ἀπὸ σταφυλῶν καὶ σίτου.—Can. Eccl.
Afr. xl. Pan. Can. tom. i. p. 565, A, B.]

oratio habetur his verbis concepta, *Domine, [Sancte Pater Omnipotens, Æterne Deus,] Qui cælum, et terram, et omnia creasti, Te supplices quæsumus, ut hunc fructum novum benedicere et sanctificare digneris, et multiplicare abundanter offerentibus Tibi, ut repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti et vini, ut lætantes in iis referant Tibi Deo omnipotenti laudes et gratias.* Quæ cum ita sint, nemini mirum esse videatur, quod unus ex antiquis hisce Canonibus de primitiis et fructibus rite offerendis agat. Cumque Dallæus aliud non habuit, ex quo hunc Canonem ab ipsis Apostolis non constitutum fuisse contra Turrianum probaret, nisi quod primitiarum in eo occurrat mentio, quæ ab Ecclesiæ perpetuo, ut constat, oblatae sunt, nihil saltem ex hoc Canone colligere licet, quod nostræ opinioni refragatur, quæ hosce Canones non ab ipsis Apostolis, sed a primitiva Ecclesia multis post Apostolos annis conditos, pluribusque collectos fuisse statuit. Primitias enim ante quartum saltem seculum a fidelibus oblatas, et ab Episcopis distributas esse, nemo, ut opinor, modo inficias ibit.

[Benedictio ad fructus novos, S. Greg. Sacram. p. 192. Paris. 1642.]

CAPUT III.

Synopsis.

- I. *Canones Apost. V. et VI., *adversariis iudicibus, et ævo et doctrinæ Apostolorum consentanei sunt.*
- II. Canon VII. *defenditur ac illustratur. Asianæ tantum Ecclesiæ Pascha quartadecima luna celebrabant.*
- III. *Idem quod hoc Canone continetur, a primitivis Synodis ex Apostolica traditione constitutum fuit.*
- IV. Canones VIII. et IX. *de frequenti communione agentes illustrantur.*
- V. *Primitivi Christiani quandocunque sacros habebant conventus, mystici Corporis Sanguinisque Christi participes erant.*
- VI. *Sacrorum conventuum et Eucharistiæ in iis celebrandæ modus antiquus, e Justino M. illustratus.*
- VII. *Hoc Sacramentum in omnibus primorum Christianorum conventibus celebratum fuisse, e Plinio Secundo, Tertuliano, et Clemente Alexandrino ostenditur.*
- VIII. *Plurimi e primitivis Christianis quotidie communicabant. Egregius de ea re D. Ambrosii locus. S. Basilius quater saltem singulis septimanis communicavit. D. Chrysostomi exhortatio ad frequentem communionem.*
- IX. *Ipsi Apostoli Eucharistiam frequenter celebrare consueti sunt. Κατ' οἶκον in Act. Apost. idem quod ἐν οἴκῳ.*
- X. *Qui a frequenti communione se abstinent, merito excommunicantur, juxta quod hoc Canone Apost. constituitur.*

I. QUINTO e Canonibus Apostolorum cautum est, *Ne Episcopus, presbyter, aut diaconus uxorem suam sub religionis prætextu ejiciat,*¹ Sexto, *Ne quis eorum seculares curas sus-*

¹ [Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλίτω προφάσει ὑλαβείας· ἴαν δὲ ἐκβάλλῃ, ἀφο-

ρίζισθω· ἐπιμείνων δὲ, καθαιρίζισθω.—Can. Ap. v. Pan. Can. tom. i. p. 3, D.]

*cipiat.*² Qui duo Canones Apostolorum doctrinæ ac ævo usque adeo consentanei sunt, ut ipse acutissimus Dallæus nullum ex iis argumentum exsculpere posset, qui ab ipsis eos Apostolis non sancitos esse demonstraret. Quibus propterea intactis ad septimum stylo properato transilit.

II. Septimus vero Canon sic habet, *Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἀγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσει, καθαιρείσθω. Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, sanctum Paschæ diem ante vernum æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponatur.* Hunc Canonem et S. Apostolis abjudicandum, et veteri Ecclesiæ incognitum fuisse, ex eo arbitratur Dallæus, quod id ipsum, quod hic sub depositionis pœna vetatur, diu in multis iisque sanctissimis parœciis, imo diœcesibus Asiæ, Orientis, et Syriarum servatum fuit.³ Quod quidem de Asiana diœcesi verum esse confiteor, non item de reliquis, si de istis saltem loquamur temporibus, quibus Victor Romanæ, et Polycrates Asianæ Ecclesiæ præerat, hoc est, de secundo ad finem vergente seculo, quo hæc, de Paschatis celebrandi die, quæstio tanta vehementia agitata fuit. Eusebius enim omnes quidem per Asiam Ecclesias, vetusta quadam traditione nixas, quarta decima luna Paschæ salutaris diem, in quamcunque demum septimanæ feriam inciderit, celebrasse scribit; addit enim, *Οὐκ ἔθους ὄντος τοῦτον ἐπιτελεῖν τὸν τρόπον ταῖς ἀνὰ τὴν λοιπὴν ἅπασαν οἰκουμένην ἐκκλησίαις, ἐξ Ἀποστολικῆς παραδόσεως τὸ καὶ εἰς δεῦρο κρατῆσαν ἔθος φυλαττούσαις ὡς μηδ' ἐτέρα προσήκειν παρὰ τὴν τῆς ἀναστάσεως τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἡμέραν τὰς νηστείας ἐπιλύεσθαι.* *Cum tamen reliquæ omnes totius orbis Ecclesiæ alio modo utebantur, qui ex Apostolica traditione profectus etiamnum servatur: ut scilicet non alio quam resurrectionis Dominicæ die jejunia solvi liceat.* Excepta igitur diœcesi Asiana, quæ in notitia Imperii proprium sibi Proconsulem, et in notitia Ecclesiæ proprium Metropoli-

[Pan. Can. tom. i. p. 4, F.]

Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 15. [p. 601.]

[Vide supra, lib. i. cap. 2, sect. 4, tom. i. p. 15.]

Euseb. Hist. Eccles. lib. v. cap. 23, [p. 242.]

² [Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβάνειν, εἰ δὲ μὴ, καθαιρείσθω. — Can. Ap. vi. Pan. Can. tom. i. p. 4, C.]

³ [“Nos supra [lib. i. cap. i. pp. 30–46] abunde demonstravimus, nunquam hoc, quod præcipit hic Canon, decrevisse veros Christi Apostolos, nunquam hoc

ab Apostolis decretum credidisse, vel scivisse veterem Ecclesiam; quippe quæ id ipsum, quod hic sub depositionis pœna vetatur, diu in multis, iisque sanctissimis parœciis, immo diœcesibus Asiæ, Orientis, et Syriarum servavit.”—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 15, pp. 601, 602.]

tanum, Polycratem scilicet, habebat, reliquæ omnes per universum terrarum orbem Ecclesiæ Pascha tunc temporis, non cum Judæis, sed juxta præsentem Canonem celebrabant. Et quidem ut Polycrates, qui omnibus Asiæ Episcopis, qui Paschalem celebritatem quarta decima luna cum Judæis peragebant, præfuit, sese suamque Ecclesiam hac in re traditionem a S. Joanne, Philippo aliisque viris Apostolicis acceptam sequi asseruit; sic et aliæ omnes Ecclesiæ se festum istud ἐξ Ἀποστολικῆς παραδόσεως celebrare affirmarunt. Adeo ut Apostolica traditio in utramque partem laudata fuerit.

III. Cum omnes igitur Ecclesiæ, præter Asianam, Paschalem festivitatem secundo labente seculo juxta præsentem Canonem observarint, idque ex Apostolica, ut aiebant, traditione, veri plusquam simillimum est, aliquem, si non plures, ex Apostolis, vel viris saltem Apostolicis, vel exemplo suo vel præcepto id tradidisse, quod hoc Canone constituitur. Alioquin enim incredibile prorsus est, ut celeberrimæ omnium Ecclesiæ, Romana, Hierosolymitana, Alexandrina, et reliquæ omnes, una excepta Asiana, tanta concordia in eundem ritum conspirarent, eundemque ipsis Apostolis, proximo post eos seculo, acceptum referrent. Hoc saltem constat, id, quod hoc Apostolico Canone continetur, ante secundum finitum seculum a plurimis Synodis provincialibus, Romana sub Victore, Palestina sub Theophilo Cæsariensi et Narcisso Hierosolymitano, Pontica sub Palma, Gallicana sub Irenæo Lugdunensi, nec non ab alia in Osroenæ provincia celebrata, sancitum editumque fuisse.

[Vide supra, lib. i. cap. 2, sect. 2, tom. i. pp. 13, 14.]
Hist. Eccl. lib. v. cap. 23, [p. 242.]

Ipsas enim harum Synodorum epistolas de hac re scriptas usque ad Eusebii ætatem exstitisse, ipse testatur. Quin ab istis itaque diebus hic Canon constitutus fuerit, nemo dubitare potest. Nihil enim in eo occurrit, quod non in istud multo melius, quam in aliud quodcunque seculum quadrat. Saltem post Nicænam Synodum, quæ hanc de Paschali celebritate quæstionem verbis disertissimis ita definit, ut istius definitioni omnes protinus Ecclesiæ consentirent, nihil magis absurdum esse potest, quam ut talis, qualis est hic Apostolicus Canon, ederetur, qui idem sane quod Synodus ista sanxit, sed adeo breviter atque obscure, ut nisi ex præcognita Ecclesiæ primitivæ historia vix intelligi

possit. Nihil enim statuit, præterquam ne Pascha ante vernal æquinoctium cum Judæis peragatur. At Synodus Nicæna Paschales terminos accurate constituit, et decrevit, ut celebritas ista post æquinoctium vernal ut tunc temporis commissum, sive post Mart. xxi., necnon ut post quartam decimam lunam isti æquinoctio proximam, et denique ut die Dominica quartam decimam istam consequente perageretur. Si auctor igitur Apostolici hujusce Canonis post editam istam Concilii Nicæni sanctionem vixisset, exactius istum propiusque ad universalis Synodi rationem procul omni dubio condidisset. Hic ergo Canon tantum abest ut materiam suspicandi præbeat, se ante quintum ad ultimum seculum non natum fuisse, ut ipse potius se Synodo Nicæna antiquiorem esse testetur.

IV. Proximi duo Canones de Eucharistia fidelibus laicis pariter atque clericis percipienda agunt, edicuntque, octavus quidem, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, προσφορᾶς γενομένης, μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω, καὶ ἐὰν ᾗ εὐλογος, συγγνώμης τυγχανέτω· εἰ δὲ μὴ λέγοι, ἀφορίζεσθω, ὡς αἴτιος βλάβης γενόμενος τῷ λαῷ, καὶ ὑπόνοιαν ἐμποίησας κατὰ τοῦ προσενέγκαντος, ὡς μὴ ὑγιᾶς ἀνεύγκαντος, *Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel ex sacerdotali catalogo, facta oblatione, non communicaverit, causam dicat, et, si probabilis fuerit, veniam consequatur. Si autem non dicat, segregetur, ut qui populo offensionis causa sit, et suspicionem det adversus eum qui obtulit, tanquam non recte offerentem.* Nonus autem, Πάντας τοὺς εἰσίσοντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἀγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρὴ, *Omnes fideles qui ingrediuntur et Scripturas audiunt, in precatatione autem et sancta communionem non permanent, ut Ecclesiae confusionem afferentes, segregari oportet.* Hisce duobus Canonibus nihil objecit Dallæus, præterquam eos a Romana hodie Ecclesia non observatos esse: *Jam octavum, inquit, nonumque Canones Romana certe Ecclesia, quos abrogavit, Apostolicos non esse eo ipso confessa est. Quis enim eam, quod ab Apostolis Domini præceptum sancitumque esse putaret, neglecturam, violaturamque fuisse crediderit? Esto Romana Ecclesia hos Canones ab ipsis Apostolis non sancitos fuisse credidit. Idem et nos credimus, si de ipsis Canonum verbis intelli-*

[Pan. Can. tom. i. p. 5, E.]

[Ibid. p. 6, D.]

Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 15. [p. 604.]

gatur. Hæc autem decreta Apostolicæ doctrinæ consona esse, ipse Dallæus negare nequit. Verum Romana, inquit, Ecclesia, hos Canones violavit, indiesque violat. Ita prorsus est. Sed ipsa id viderit, nostra enim haudquaquam refert, qui nihil laboramus, utrum hi Canones a Romana Ecclesia violati, sed utrum a primitiva observati fuerint. Si hoc enim constiterit, nostra de his Canonibus sententia firma manebit et immobilis, etiamsi non a Romana modo, sed et ab aliis quibuscunque Ecclesiis hodierno die violentur.

V. Verumenimvero, licet in Romana Ecclesia ille solus, qui confecit, Eucharistiam sæpe assumit, licetque ultimis hisce diebus plerique, qui Christi nomen præ se ferunt, a primitivorum Christianorum moribus degeneres, in aliis, quas scimus, omnibus Ecclesiis, postquam Sacras Scripturas lectas ac expositas audierunt, satiati contentique discedunt, sacrosanctam Eucharistiam susque deque habentes, ac si res adiaphora esset, et nullius plane momenti, idem tamen de primitivis etiam Christianis vel dicere vel cogitare religio est. Illi enim Dominici illius præcepti, *Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν*, perpetuo memores, nefas duxerunt a publicis Ecclesiæ cœtibus recedere, priusquam Sacramenti Corporis ac Sanguinis Christi participes essent. Idque, etiamsi in omnibus eorum solennioribus saltem synaxibus distributum esset. Adeo ut, quandocunque ad publicum Dei cultum conveniebant, spirituali hoc cibo repleti fuerint: Christum a se cultum non opinantes, nisi summum hoc maximumque religionis Christianæ mysterium celebrassent. Quod ne gratis dictum videatur, illud ex vetustissimis quæ exstant Ecclesiæ monumentis demonstrare non pigebit. Quo nos, qui eandem, quam primitivi Christiani, fidem profitemur, eorum exemplo ducti, in sacra hac percipienda communionem quam creberimi in futurum simus. Unde etiam patebit, hos Canones, tam clericis, quam laicis, quotiescunque sit oblatio, communicare sub gravissimis pœnis præcipientes, ut ab Ecclesia Romana aliisque hodie violatos, primitivæ nihilominus et Apostolicæ Ecclesiæ ita accommodatos esse, ut nemini mirum videatur, si ab ea constituti sunt.

VI. Ut sciamus autem, quomodo primi religionis nostræ cultores ac confessores in publicis ipsorum congregationibus se gesserint, quidque ibi fecerint, neminem melius quam

[L. c. xxii.
19.]

Justinum Martyrem consulere possumus; utpote qui statim post ipsos Domini Apostolos vixit. Hic autem in doctissima illa, quam pro Christianis scripsit, Apologia ad Antoninum Pium missa, omnia fuse et sincere tradidit, quæ Christiani ad communes preces congregati istis diebus peragere solebant. Dicit autem quod, precibus finitis, mutuis se invicem osculis salutabant. Deinde ei qui fratribus præerat offerebatur panis, et poculum aquæ et vini, quibus acceptis ille laudem et gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii et Spiritus Sancti offerebat, et Eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eo quod ipsos donis hisce suis dignatus est, prolixè exequabatur. Ubi autem preces ac gratiarum actiones ille absolvit, populus, qui aderat, omnis fausta approbatione acclamabat Amen. Præsiciens porro postquam gratiarum actionem perfecerat, et populus universus apprecatione læta eam comprobaverat, diaconi distribuebant unicuique præsentium, ut participaret eum, in quo gratiæ actæ fuerant, panem, vinum, et aquam, et ad absentes perferebant,⁴ *Και ἡ τροφή, inquit, αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῶν Εὐχαριστία, Et hoc alimentum vocatur a nobis Eucharistia.* Hoc modo, et quidem totidem fere verbis, S. Justinus M. Eucharistiam ut suis diebus celebratam describit. Unde nihil dubii esse potest, quin primitivi Christiani, quotiescunque ad publicas Ecclesiæ preces conveniebant, Eucharistiam etiam celebrarint; quam quidem istis temporibus, tanti, ut par est, faciebant, ut eam omnibus omnino Christianis summe necessariam esse crederent. Usque adeo, ut non modo illi, qui precibus et synaxi intererant, eam participarent omnes, sed et isti etiam, qui morbo aut necessitate aliqua impediti sunt, quo minus interesse poterant. Ad eos enim per diaconos missa est. Paucis autem interjectis idem doctissimus pater

[Apol. i. cap. 66, Op. p. 83, B.]

⁴ [Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν· ἵπιτα προσφέρεται τῷ προϊστάτῃ τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κρέματος· καὶ οὗτος λαβὼν, αἶνον καὶ δόξαν τῷ Πατρὶ τῶν ὄλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Πνεύματος τοῦ Ἁγίου, ἀναπίπτει· καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιώσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιῆται· οὐ συντιλίσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν,

πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἱπιυφημιὶ λέγων, Ἀμήν. . . . εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προϊστά-
τος, καὶ ἱπιυφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῶν διάκονοι δίδασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι.—
S. Just. Mart. Apol. i. cap. 65. Op. pp. 82, D, E; 83, A.]

solenniores hosce Christianorum conventus, ut sua ætate peractos, planius describit, hoc modo: Τῇ τοῦ ἡλίου, inquit, λεγομένη ἡμέρα, *Solis qui dicitur die, omnium, qui vel in urbibus vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit. Et commentaria Apostolorum aut scripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lectore quiescente, præsidens orationem habet, qua populum instruit, et ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur. Sub hæc consurgimus communiter omnes, et preces profundimus: precibus autem peractis panis offertur, et vinum et aqua. Et præsidens iterum, quantum pro virili sua potest, preces et gratiarum actiones fundit, et populus fauste acclamat Amen. Καὶ ἡ διάδοσις, καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἐκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. Et distributio communicatioque fit eorum in quibus gratiæ sunt actæ cuique præsentī, et absentibus per diaconos mittitur.*⁵ Hæc verba eo transcripsimus, quod dignissima sint quæ ab omnibus observentur, quodque clarissime ostendant, omnibus tunc temporis Christianis solenne fuisse Eucharistiam unaquaque hebdomade una celebrare. Ut ex his enim Apostolici viri verbis patet, omni die Solis, sive Dominico, omnes Christiani, sive in oppidis, sive ruri degentes, in unum convenire solebant. Congregati autem commentaria Apostolorum vel alias Scripturas audiebant, precesque suas communes, et gratiarum actiones Deo Omnipotenti fundebant. Quibus peractis, preces et gratiarum actiones Eucharisticas celebrabant, quibus scilicet elementa oblata in mysticum Corpus et Sanguinem Christi consecrantur. Quæ consecrata omnibus præsentibus, omnibus qui precibus intererant, et Sacras Scripturas audierant, distributa sunt et ab iis participata. Nemo itaque prius exhibat, quam spirituali hoc cibo pastus esset. Ac proinde, hi duo Canones Apo-

⁵ [Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένη ἡμέρα πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μινόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνίλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκονται μίχρῃς ἰγχωρεῖ. Ἐἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προϊστάς διὰ λόγου τὴν νοθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσις ποιῆται. Ἐπιτα ἀνι-

στάμιθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πίμπομεν· καὶ, ὡς προίφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφίρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ· καὶ ὁ προϊστάς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπίμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπιυφημιῖ λίγων τὸ Ἀμήν· καὶ ἡ διάδοσις, κ. τ. λ.—S. Just. Mart. Apol. i. cap. 67. Op. p. 83, D.]

stolici nihil aliud præcipiunt, nisi ut Apostolica illa primorum Christianorum in publicis suis conventibus disciplina, a S. Justino M. descripta, ab omnibus accurate observetur, qui in Ecclesiæ communionem manere cupiunt.

VII. Idem de primis illis Christianis ex ipso etiam Plinio Secundo, eorum adversario, colligere est. Is enim in literis ad Trajanum missis, Imperatorem certiore facit, quod nonnulli, qui aliquando fuerant, sed jam desierant esse Christiani, *Affirmabant hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem, sequere Sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum.* Stato ergo die, hoc est, Dominico convenire solebant, idque ante lucem, ne persecutioni, quæ in ipsos sæviebat, se obnoxios redderent. In istis autem cœtibus, licet antelucanis, ut hymnos Christo quasi Deo secum invicem canebant, sic et Sacramento se obstringebant, ne quid mali perpetrarent, quod quidem de alio intelligi nequit, quam de Corporis Sanguinisque Christi Sacramento. Nec mos erat discedendi, priusquam hæc omnia peracta essent. Quinetiam hoc Sacramentum, et in illis ante lucem habitis, et in aliis quibuscunque solennibus Christianorum cœtibus, celebratum fuisse, Tertullianus attestatur dicens, *Eucharistiæ Sacramentum, et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsentium sumimus.* Et, ne plura in re adeo perspicua accumulemus testimonia, Clemens Alexandrinus unumquemque synaxi præsentem Eucharistiæ participem fuisse his verbis docet, *ἡ καὶ τὴν εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὸν δὲ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μὸζραν ἐπιτρέπουσιν, Quemadmodum Eucharistiam cum quidam dividerint, ut mos est, unicuique ex populo ejus partem sumere permittunt.*

Plin. Epist.
lib. x. cap.
97. [p. 567.]

Tertul. de
Corona Mil.
cap. iii. [p.
102, A.]

Clem. Alex.
Strom. lib. i.
[cap. i, p.
271, Paris.
318. Potter.]

VIII. Sed non omittendum est, veteres Christianos tanto Christi amore et mystici Ejus Corporis Sanguinisque desiderio flagrasse, ut non Dominicis modo, sed et indies, si fieri potuit, communicarent. D. Cyprianus, *Hunc autem panem,* inquit, *dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus,*

Cyprian. de
Orat. Domin.
[p. 147.]

et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi Corpore separemur. Hunc morem ad suam usque ætatem Romæ obtinuisse subindicat D. Hieronymus, ubi ait, *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi Corpus accipiant.* Divus etiam Ambrosius omnes ad quotidianam hujus Sacramenti participationem adhortatur, Græcosque reprehendit, quod contrariam introduci consuetudinem permisissent. Verba doctissimi Patris dignissima sunt quæ præ oculis semper habeamus. Unumquemque enim Christianum hoc modo alloquitur, *Si quotidianus est panis (Eucharisticus) cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo Job sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in sermone peccassent. Ergo tu audis quod quotienscunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, et remissio peccatorum; et panem istum vitæ non quotidianum assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est cœleste et venerabile Sacramentum. 'Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.' Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit.* Eadem fuit S. Basilii sententia, dicentis, *Καὶ τὸ κοινωνεῖν [δὲ] καθ' ἐκάστην ἡμέραν καὶ μεταλαμβάνειν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, καλὸν καὶ ἐπωφελές· αὐτοῦ σαφῶς λέγοντος, ὁ τρώγων μου τὴν σαρκά, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον. Τίς γὰρ ἀμφιβάλλει, ὅτι τὸ μετέχειν συνεχῶς τῆς ζωῆς, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ζῆν πολλαχῶς; Singulis autem diebus communicare et participare Sancti Corporis et Sanguinis Christi, bonum est et perutile. Cum Ipse perspicue dixerit, Qui comederit carnem Meam, et biberit sanguinem Meum, habet vitam æternam. Jam vero quis dubitet, quin vitæ frequenter participem fieri, nihil aliud sit omnino quam frequenter vivere? Ubi etiam statim subdit, se quater saltem singulis septimanis communicare, Dominica, feria quarta, Parasceue et Sabbato, necnon in martyrum memoriis.*

Hieron. [Ep. xlviii ad Pammach.] Apol. adv. Jovinian. [sect. 15, Op. tom. i. col. 225, C.]

Ambros. de Sacrament. lib. v. cap. 4, [sect. 25, 26. Op. tom. ii. coll. 378, D, E, 379, A.] Vide et lib. iv. cap. 6, [sect. 28. Op. tom. ii. col. 372, D, E.]

Basil. Epist. cclxxxix. ad Cæsariam Patriciam, [Bened. xciii. Op. tom. iii. p. 186, C, D.]

Ibid. [D.]

'Ἡμεῖς μὲν τοιγε, inquit, τέταρτον καθ' ἐκάστην ἐβδομάδα κοινωνοῦμεν,

ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι, [καὶ] ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ τῷ σαββάτῳ· καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις ἐὰν ᾖ μνήμη μάρτυρος [ἁγίου] τινος. Unde liquet D. Ambrosii verba superius laudata, Græcos non nisi post annum Eucharistiam sumere consuetos esse, non intelligenda esse de iis, qui se totos pietati devovissent, sed de vulgo solo Græcorum, qui salutis suæ parum consulebant. In ipsa enim Ecclesia Orientali antiquus hic Eucharistiam quotidie celebrandi ritus adhuc obtinebat, ut e

D. Chrysostomo colligere est, sic perorante, Ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις καιροῖς οὐδὲ καθαροὶ πολλάκις ὄντες προσέρχεσθε, ἐν δὲ τῷ πάσχα, καὶ ἢ τι τετολμημένον ὑμῖν, πρόσσιτε· ὡ τῆς συνηθείας, ὡ τῆς προσλήψεως· εἰκῆ θυσία καθημερινή, εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ· οὐδεὶς ὁ μετέχων. *In aliis quidem temporibus plerumque nequidem puri existentes acceditis. In Pascha autem, etiamsi scelus aliquid a vobis admissum sit, acceditis. Oh consuetudinem! Oh præsumptionem! Frustra est quotidianum sacrificium. Frustra adstamus altari, nemo est qui participat.* Quæ quidem verba clarissime demonstrant, καθημερινὴν θυσίαν, *quotidianum sacrificium* in Ecclesia Orientali tunc temporis celebratum esse, etiamsi Christianorum ardor adeo refrixisset, ut pauci admodum communicarent. Hinc est, quod idem eloquentissimus Pater tanto zelo pariter atque elegantia auditores suos ibidem ad frequentem communionem excitet; ad hunc modum eos compellans: *'Frustra adstamus altari; nemo est qui participat. Hæc dico, non ut participetis solummodo, sed et vos communionem dignos reddatis. Non es dignus sacrificio, nec participatione? Ergo nec prece dignus es. Audis præconem stantem et dicentem, 'Quicumque estis in pœnitentia, abite.'* Omnes qui non participant, sunt in pœnitentia. Si es ex iis, qui sunt in pœnitentia, non debes communicare. Nam qui non communicat, est in pœnitentia. Cur ergo dicit, 'Abite qui non potestis precari;' tu autem stas impudenter? At non es ex his, sed ex iis qui possunt participare. Et nihil curas? Rem nihil esse putas? Considera, quæso. Adest mensa regia, adsunt Angeli ministrantes, adest Rex Ipse: et tu stas oscitans? Vestes tibi sunt sordidæ? et nulla a te hujus habetur ratio? Sunt mundæ? Accumbe igitur, et participato.'

Chrys. in
Epist. ad
Ephes. Hom.
iii. [Op. tom.
iii.] p. 778.

⁶ [Εἰκῆ παρεστήκαμεν τῷ θυσιαστηρίῳ, μετίχνητι, λίγω, ἀλλ' ἵνα ἄξιους ἑαυτοῦς οὐδεὶς ὁ μετίχων. Ταῦτα οὐχ ἵνα ἀπλῶς κατασκινάζητι. Οὐκ εἰ τῆς θυσίας ἄξιος,

sostomus, aliaque quam plurima eodem in loco profert, quæ attentum piūque lectorem non possunt non inflammare ad frequentissimam Divini hujus Sacramenti participationem, quod Ipse Dominus ac Servator noster Jesus Christus in Sui Ipsius recordationem nobis instituere dignatus est.

IX. In primitiva itaque Ecclesia, qui religionem Christianam sincere coluerunt, hi sæpius, illi rarius, sed nulli non Dominico communicare consueti sunt. Quod etiam a S. Augustino docemur, dicente, *Alii quotidie communicant Corpori et Sanguini Dominico; alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo [non] offeratur, alibi Sabbato tantum et Dominico, alibi Dominico tantum.* Et quidem licet hoc mirum nostris diebus videatur, quibus magnum hoc Sacramentum ubique propemodum neglectui plus nimio habetur, nihil tamen aliud est, quam quod ab ipsis Domini Apostolis usitatum fuit. Hi enim καθ' ἡμέραν τε προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιᾷσει καὶ ἀφελότητι καρδίας. Ubi viri eruditi observarunt, κατ' οἶκον idem esse atque ἐν οἴκῳ, in domo, vel conclavi aliquo ad Templum pertinente, quod fortasse erat ὑπερῶν illud, quo Apostoli post Domini ascensionem ad sacra celebranda ascendebant. Et quidem particulam κατὰ pro ἐν in Novo Testamento usurpatam esse nemo dubitet, qui Rom. xvi. 5 cum 1 Cor. xvi. 19, contulerit, ubi ἢ κατ' οἶκον αὐτῶν Ἐκκλησία nihil aliud significare potest quam Ecclesiam in domo eorum. Quomodo phrasis ista κατ' οἶκον in hoc ipso Actuum loco a Syro pariter atque ab Arabico interprete explicatur. Ille enim {صوم}, hic في المنزل in domo vertit. Ex hoc itaque loco colligere licet, Apostolos in Templo quotidie perseverantes, ibidem et panem Eucharisticum quotidie comedisse. Dominicis autem diebus eo

Aug. Epist. cxviii. [Bened. liv.] ad Januar. [cap. ii. Op. tom. ii. col. 186. A.]

Act. ii. 46.

Act. i. 13.

οὐδὲ τῆς μεταλήψεως; Οὐκοῦν οὐδὲ τῆς εὐχῆς. Ἀκούεις ἰστώτος τοῦ κήρυκος, καὶ λέγοντος, Ὅσοι ἐν μετανοίᾳ, ἀπίθβητε πάντες. Ὅσοι μὴ μετίχουσιν, ἐν μετανοίᾳ εἰσίν. Εἰ τῶν ἐν μετανοίᾳ εἰ, μετασχῶν οὐκ ὀφείλεις. Ὁ γὰρ μὴ μετίχων, τῶν ἐν μετανοίᾳ ἰστί. Τίνος οὖν ἵνα κιν λέγει, Ἀπίθβητε οἱ μὴ δυνάμεινοι διηθῆναι; σὺ δὲ ἴσθηκας ἰταμῶς; Ἀλλ' οὐκ εἰ τούτων, ἀλλὰ τῶν δυναμένων μετίχων, καὶ οὐδὲν

φροντίζεις, οὐδὲν ἠγῆ τὸ πρᾶγμα. Σκόπει, παρακαλῶ τράπεζα πάριστι βασιλικῆ, ἄγγελιοι διακονοῦμενοι τῇ τραπέζῃ, αὐτὸς πάριστιν ὁ Βασιλεὺς, καὶ σὺ ἴσθηκας χασμώμενος; Ῥυπαρά σοι τὰ ἱμάτια, καὶ οὐδὲς σοι λόγος; ἀλλὰ καθαρά ἰστί; οὐκοῦν ἀνάπτεσον, καὶ μίτεχε. — S. Chrys. Hom. iii. in Epist. ad Eph. Op. tom. iii. p. 778.]

præcipue et imprimis conveniebant, ut Divinum hoc mysterium celebrarent. Hoc ex Act. xx. 7, videre est, ubi dicitur, Ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον. *In prima autem Sabbatorum, sive septimanæ, congregatis discipulis ad frangendum panem.* Non quod nihil aliud tunc temporis agerent, sed quod hæc maxima sit ac præcipua pars illius cultus, quem prima Sabbati, sive die Dominico, Christo exhibere obstringebantur. Adeo ut quicquid hodiernis videatur Christianis, Apostolis ab ipso Christo edoctis nihil antiquius fuit, quam ut omnibus saltem sollemnioribus ipsorum conventibus, Domini sui nostrique mortem, Eucharistiam ab Eo institutam peragendo, commemorarent.

X. Qui præmissa æqua iudicii lance perpendit, mirari nequit, quod in antiquis hisce Canonibus in eos, sive clericos, sive laicos, qui facta oblatione non communicant, tam severe animadvertatur, ut a communionem postmodum arceantur. Enimvero cum primitivis, ut ostensum est, Christianis solenne esset, Sacramentum Corporis et Sanguinis Dominici, juxta Ipsius institutionem et Apostolorum Ejus exemplum participare, quotiescunque publicis Ecclesiæ conventibus interessent, (adeo ut Evangelicum præceptum transgredi judicarentur, qui illud unquam omittebant,) necesse erat ut ecclesiastica aliqua sanctione ad id præstandum tenerentur, ne paulatim, decrescente eorum zelo, longe improbissima ista consuetudo introduceretur, quæ hodie, in summum ætatis nostræ opprobrium, per universam fere Ecclesiam obtinet: ut multa, nimirum maxima, pars eorum, qui baptizati, et sacris Christianis imbuti, nomina sua Christo dederunt, hoc nihilominus maximum optimumque religionis nostræ mysterium perinde negligunt, ac si ab Ipso Christo nunquam institutum fuisset. Quibus quidem nulla aptior, justiorve pœna imponi potest, quam quæ Apostolicis hisce Canonibus constituitur, ut communionem scilicet priventur. Ipsi enim se prius non communicando excommunicant. Adeo ut Ecclesia, hoc ab iis supplicium exigens, nihil aliud in eos sanxerit, quam ut illud coacte facerent, quod ante fecerunt voluntarie. Neque etiam tales Christianorum communionem digni habeantur, qui sese ab Ipsius Christi communionem

sponte et nefarie subducunt. Et hinc est, quod Synodus etiam Antiochena, antiquam hanc primitivæ Ecclesiæ legem renovans, eandem ab istius violatoribus pœnam expetierit.⁷

⁷ [Πάντας τοὺς εἰσίσοντας εἰς τὴν ἐκ-
κλησίαν, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας,
μὴ κοινοῦντας δι' εὐχῆς ἅμα τῷ λαῷ. ἢ
ἀποστρεφόμενοι τὴν ἁγίαν μιτάληψιν τῆς
εὐχαριστίας κατὰ τινὰ ἀταξίαν, τούτους

ἀποβλήτους γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας, ὡς
ἂν ἰξομολογησάμενοι, καὶ διέξαντες καρποὺς
μιστανείας, καὶ παρακαλίσαντες, τυχὴν
δυνηθῶσι συγγνώμης, κ. τ. λ.— Can. Ant.
ii. Pan. Can. tom. i. p. 431, A, B.]

CAPUT IV.

Synopsis.

- I. Canon Apost. XVII. *de digamis et concubinariis non ordinandis vindicatur.*
- II. Canones XXI., XXII., XXIII. *de Eunuchis defenduntur. Valesii hæretici his Canonibus occasionem dedisse videntur, vel post eos Origenes.*
- III. Leontium a se castratum nec ad laicam communionem admittendum esse affirmat S. Athanasius. *Quod de solo Canone Apost. XXIV. intelligi potest, non de Nicæno I., utpote quo nihil ea de re decernitur.*
- IV. *Ex eo quod Epiphanius Canones Apostolicos contra Valesios non laudavit, nequaquam sequitur eos tunc temporis non exstitisse.*
- V. Canones Apostolici XXVII. et XXX., *de Episcopis, presbyteris, et diaconis alios verberantibus, et vel pecunia, vel secularium potestatum ope promotis agentes, vindicantur.*

I. UNDECIM sequentes Apostolorum Canones, a nono scilicet usque ad vicesimum primum, nihil prorsus Apostolorum vel doctrinæ, vel ævo dissentaneum continent, ipso etiam Dallæo iudice: quippe qui, licet omnibus vestigiis inquisiverit, nihil in iis invenire potuit, quod vel vitio ipsis Canonibus verteret, vel contra Turrianicam de illis opinionem objiceret, nisi quod aliqua pars Canonis XVII. ab Ecclesiæ Romanæ usu et praxi discedat. Nimirum Canon sic habet, Ὁ δυοὶ γάμοις συμπλακεῖς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλ-
λακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ
διάκονος, ἢ ὄλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. Quod vero de digamo in ordinem sacerdotalem non admittendo hic asseritur, et Apostolicæ et primitivæ Ecclesiæ praxi ac disciplinæ consonare, ex D. Paulo, Origene, Tertulliano aliisque antiquis Ecclesiæ scriptoribus in Annotationibus ad hunc

[Pan. Can.
tom. i. p. 11,
D.]

Canonem ostendimus.¹ Idem de concubinario Dallæus negare nequit, ac propterea observat tantummodo, quod id ab Ecclesia Romana intolerabile ducitur: *cujus est hic*, inquit *Canon, Concubinatum irregularitate non puniri.*² Verum ut corrupta sit in hac aliisve rebus hodierna Ecclesiæ Romanæ praxis, id Canones hosce minime attingit, nedum antiquitatem eorum elevat. Quos quidem si Ecclesia illa religiose observasset, ista saltem corruptione nunquam contaminata fuisset. Nos autem hoc in loco non de Ecclesia

Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 16,
[p. 612.]

¹ ["D. Paulus Episcopum unius uxoris virum esse præcipit, 1 Tim. iii. 2; item presbyterum, Tit. i. 6, et diaconum, 1 Tim. iii. 12. Unde Origenes, *Neque enim Episcopus, nec presbyter, nec diaconus, nec vidua, possunt esse digami.* Orig. Hom. xvii. in Lucam, [Op. tom. iii. p. 953, E.] *Unius matrimonii esse oportere, qui alleguntur in ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini digamos loco dejectos.* Tert. de Exhort. Castit. cap. 7, [p. 522.] *Presbyter esse non alius potest quam laicus, semel fuerit maritus.* Ibid. *Quantum detrahant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ et præscriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit præsidere.* Id. ad Uxor. lib. i. cap. 7, [p. 165.] *Διυτι-εργαμον δι ουκ εστι διχισθαι εν αυτη εις ιερωσυνην.* Epiph. Expos. Fidei Cath., [Num. xxi. Op. tom. i. p. 1104, A.] *Quam sancta sit digamia hinc ostenditur, quod digamus in clerum eligi non potest.* Hieron. lib. i. adv. Jovinian., [cap. xiv. Op. tom. ii. col. 263, D.] *Quemquam lege sacerdotali teneatur et laicus, qui talem præbere se debet, ut possit eligi in sacerdotium. Non enim eligitur si digamus fuerat.* Id. Epist. [cxxxiii.] ad Geront. [Ageruchiam] de Monog. [sect. 6. Op. tom. i. col. 898, E.] *Ut dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum.* Augustin. de Bono Conjug. cap. xviii. [Op. tom. vi. col. 559,

C.] Vide Theodoret. [Op. tom. iii. p. 653,] et Ambros. [tom. ii. Append. p. 295, C.] in 1 Tim. iii., et Leonis I. Epist. lxxxvii. cap. 1, [xii. cap. 3, Ballerin.] ad Episcopos Cæsar. Maurit. [Quanto magis sub Evangelii gratia constituti Apostolicis debemus servire præceptis, ut quamlibet quis bonis moribus præditus et sanctis operibus inveniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad diaconi gradum, vel ad presbyterii honorem, vel ad Episcopatus culmen ascendat, si aut ipsum non unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuisse clauerat. Op. tom. i. col. 661.] Justinian. Novel. vi. [Μητι δι τον διυτιερους εχοντα γαμους, η σχοντα χειροτονισθαι διακονον η πρεσβυτερον. Pp. 25, 26, edit. Scrimgeri, 1558.] et Egbert. Excerpt. Can. xxxii. [Canones quoque docent, ut si quis acceperit viduam aut dimissam mulierem, aut qui bis duxerit uxorem, nunquam fiat diaconus, nunquam sacerdos. Wilkins, Concil. tom. i. p. 103.]—Bev. Annot. ad Can. Ap. xvii. Annot. p. 23. Pan. Can. tom. ii. ad fin.]

² ["Itidem ab Ecclesiæ Romanæ usu et praxi discedit, quod Turrianici Apostoli decernunt, Canone xvi. . . . Primo quod concubinarium a sacro ministrorum censu arcet, id bona Roma ducit intolerabile; cuius est hic (sane sanctissimus meritoque inviolabilis) Canon, *Concubinatum irregularitate non puniri.*"—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 16, p. 612.]

Romana, sed de Canonibus Apostolicis disputamus; quos omnes a primitiva Ecclesia non constitutos esse, hodierna nec Romanæ, nec alius cujuscumque Ecclesiæ contraria praxis ullam suspicandi materiam præbere potest.

II. Ab isto itaque sive XVII., Dallæus ad tres istos Canones transit, qui de eunuchis agunt. Hi sunt primus, secundus, et tertius supra vicesimum. Quorum primo quidem cautum est, ut eunuchus, si ex hominum injuria factus sit, vel in persecutione virilibus privatus, vel sic natus, et dignus sit, Episcopus fiat.³ Secundus, ut qui seipsum mutilavit, ne sit clericus, ut qui sui homicida sit, et Dei opificii hostis.⁴ Tertio, ut si quis cum sit clericus, seipsum mutilaverit, deponatur, ut sui homicida.⁵ Quibus etiam

[Vide infra, sect. 3.]

proximus sive vicesimus quartus adjungatur, præcipiens, ut laicus, qui seipsum mutilavit, tribus annis segregetur, ut sui ipsius vitæ insidiator. Hæc decreta Dallæus *recta justaque esse fatetur. Sed tamen hujusmodi quæ non videntur ab ipsis Apostolis constituta.*⁶ Idem et nos persuasum habemus: ea

Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 17, [pp. 617, 618.]

etiam ratione inducti, quod leges e morum vitiis et singularium peccatorum exemplis plerumque nascantur, ac proinde non verisimile est, hos in absurdum adeo perrarumque facinus constitutos fuisse Canones, priusquam eorum ferendi occasionem editum ab aliquo tanti facinoris exemplum præbuisset. Tale autem exemplum editum non legimus ante exortam Valesiorum hæresin, de quibus Epiphanius, *Εἰσὶ δὲ πάντες ἀπόκοποι, Omnes autem castrati sunt.* Ubi etiam ait, quod quemcumque hæretici isti in suam disciplinam receperint, quamdiu nondum ei exsecta essent virilia, ab animatis abstinerebat:⁷ posteaquam autem sive illi persuaserint,

Epiph. Hær. lviii. Vales. [Num. i. Op. tom. i. p. 489.]

³ [Εὐνούχος, εἴ μὲν ἐξ ἐπιτηρίας ἀνθρώπων ἰγίνετό τις, ἢ ἐν διωγμῷ ἀφηρεῖται τὰ τῶν ἀνδρῶν, ἢ οὕτως ἔφυ, καὶ ἔστιν ἄξιός, ἐπισκόπος γινέσθω.—Can. Ap. xxi. Pan. Can. tom. i. p. 14, F.]

⁴ [Ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν, μὴ γινέσθω κληρικὸς, ἀυτοφονιυτῆς γὰρ ἔστιν ἑαυτοῦ, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δημιουργίας ἰχθρός.—Can. Ap. xxii. Pan. Can. tom. i. p. 15, C.]

⁵ [Εἴ τις κληρικὸς ᾧν, ἑαυτὸν ἄν ἀκρωτηριάσει, καθαιριέσθω φονιὺς γὰρ ἔστιν

ἑαυτοῦ.—Can. Ap. xxiii. Pan. Can. tom. i. p. 15, C.]

⁶ [“Vera quidem ratio et rectum decretum; sed tamen hujusmodi, quod non videtur ab Apostolis ipsis constitutum.”—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 17, pp. 617, 618.]

⁷ [Καὶ ὅταν λάβωσιν ἄνθρωπον εἰς μαθησίαν, καὶ ὅσον μὲν χρόνον οὔπω τῶν μορίων ἀπτετμήθη, ἐμψύχων οὐ μεταλαμβάνει.—Epiph. Valesior. Hær. lviii. num. i. Op. tom. i. p. 489, C, D.]

Hist. Eccles.
lib. vi. cap. 8,
[pp. 264, 265.]
Hær. lxiv.
[Origeniar-
orum, num.
iii. tom. i.
p. 527, A.]

[Annot. in
Cann. Ap.
xxi.-xxiv.
Annot. in
Pan. Can.
p. 24, tom. ii.
ad fin.]

[Pan. Can.
tom. i. p. 15,
C.]
[Observat. in
Annot. Bever.
c. p. xiii.] pp.
66, 67.

sive violenter exsecuerint, tunc demum quodcunque cibi genus ei permittebatur. Post eos Origenes idem in se facinus perpetraverit, ut tradit Eusebius, et Epiphanius. Adeo ut ampla satis Canonum horum condendi materia, istis saltem diebus, offerretur, primo quidem a Valesiis, et postmodum ab Origene. ‘Cujus facinus Demetrius, Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus, primo quidem admiratus, deinde scriptis ad omnes ubique terrarum Episcopos literis tanquam absurdissimum proscindebat,’ quemadmodum etiam in Annotationibus ex Eusebio a nobis observatum est. Unde veri haud dissimile nobis videri diximus, ‘aliquos saltem eorum, si non omnes, ad quos Demetrius scripserat, in unum congregatos hac de re deliberationem iniisse, et quatuor hosce de Eunuchis Canones vel primo constituisse, vel ante constitutos renovasse.’ Quod ultimum mihi magis arridere dixi, ‘propterea quod Demetrius Cæsariensem et Hierosolymitanum Episcopos criminatus est, quod Origenem in presbyterii gradum promovissent, nimirum contra Can. XXII., quo constituitur, ut ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν μὴ γινέσθαι κληρικὸς.’ Aliter autem Observatori visum est, qui probare enititur hunc Canonem Origeni non cognitum fuisse, neque Demetrio.⁸ Cum autem ad præsentem quæstionem, ad nostram

⁸ [“ Veri tamen haud dissimile videtur, si Beveregium [Annot. in Can. Ap. xxi.-xxiv.,] audimus, aliquos saltem eorum, si non omnes, ad quos Demetrius scripserat, Episcopos, in unum congregatos, hac de re deliberationem iniisse, et quatuor hosce de Eunuchis Canones vel primo constituisse, vel ante constitutos renovasse, quod ultimum illi magis arridet. Mihi vero summopere displicet, non solum quia omni prorsus veri specie caret Origenem adeo audax facinus fuisse aggressurum, si exstitisset aliquis ejusmodi Canon, sed etiam quoniam Demetrius de violato ab Origene nusquam conquestus est. *Istiusmodi Canonis, inquit vir doctus, expresse non meminit, eum tamen obscure indigitare videtur, cum de spontanea Origenis exsectione certior factus, eum, bono*

animo esse jubet, Euseb. Hist. Eccles. lib. vi. cap. 8, [p. 265.] Quis præter Beveregium ex istis Demetrii verbis concluderet aliquem adversus eos qui se abscindunt Canonem ab Origene violatum esse? Nonne abunde sufficiebat Demetrio, quod Origenes rem adeo absurdam, et a naturæ, civitatumque, ac Dei denique Ipsius legibus alienam ausus esset, ut illum bono animo esse juberet? Nollem equidem negare, neque negabat Dallæus, quin ex Origenici facinoris occasione aliquis fortasse ab Alexandrinis ante Concilium Nicænum hac de re constitutus fuerit Canon. At inde non sequitur ad eandem ætatem pertinere quam habemus Canonum Apostolicorum sylogem.”—Observat. in Annot. Bever. cap. xiii. pp. 66, 67.]

saltem de his Canonibus opinionem, nihil intersit, utrum paulo ante Origenem, an ex ejus facinoris occasione conditi fuerint, nihil est quod de eo laboremus. Licet enim demus Observatori, quod ipse nondum demonstravit, nec, ut opinor, demonstrare potest, hos de illis qui se abscindunt Canones Origenem latuisse, vel etiam ante facinus illud ab eo patratum non exstitisse, nostra tamen de iis opinio firma satis stabilisque manet, si vel ex ista occasione constituti fuerint, quippe quæ tertio vixdum incepto seculo data fuit. Nec opus est, ut hisce probandis immoremur, cum ipsum Dallæum fatentem habeamus, verisimile esse, *ex Origenici facti occasione vetitum fuisse ab ecclesiasticis præpositis, ne quis tale quid pietatis specie vel illius viri exemplo auderet: et si quis auderet, is e sacris submoveretur, eamque deinceps regulam et apud Ecclesias obtinuisse, et a Nicænis Patribus primo ipsorum Canone intelligi.* Imo vero diserte ait, *Non ergo Apostolorum temporibus, sed secutis seculis ex Origenici facti occasione decreta constitutaque, et inde ad Nicænos Patres propagata videtur illa regula, quam ipsi hoc loco memorant.* Quod quidem cum nostra opinione, quæ hos Canones Origenica circiter tempora sancitos asserit, apprime convenit.

Dall. de Pseud. lib. iii. [cap. 8, p. 505.]

[Ibid. p. 506.]

III. Post hæc Dallæus contra hos Canones e S. Athanasio disputat, de Leontio primo presbytero, mox et Episcopo Antiocheno Arianarum partium, verba faciente, ejusque Origenico simile facinus invidiosissime exagitante, nullam tamen, ut is ait, memorante Apostolicam contra istum legem, sed hæc tantum habente,⁹ *Λεόντιος ὁ ἀπόκοπος, ὃν οὐδὲ ὡς λαϊκὸν κοινωνεῖν ἔχρην, διότι ἑαυτὸν ἀπέκοψεν, ὑπὲρ τοῦ μετ' ἐξουσίας λοιπὸν κοιμᾶσθαι μετὰ Εὐστολίου τινός, γυναικὸς μὲν δι' αὐτὸν, λεγομένης δὲ παρθένου.* *Leontius ille castratus, quem ne sub laici quidem specie ad communionem admitti oportuit, eo quod seipsum abscidit, ut libere cum Eustolio quadam dormiret, revera quidem ejus muliere, virgine autem dicta.* Ex his verbis Dallæus, *Nemo, inquit, non videt multo fortius et invidiosius*

Athanas. Epist. ad Solit. Vlt. agent. [Hist. Arian. ad Mon. cap. xxviii. Op. tom. i. p. 360, B.]

⁹ [“ Quid quod annis post id tempus circiter centum, Athanasius de Leontio primum presbytero, mox et Episcopo Antiocheno Arianarum partium, verba faciens, ejusque simile fa-

cimus invidiosissime exagitans, nullam tamen memorat Apostolicam contra istos legem; sed hæc tantum habet.” —Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 17, p. 622.]

Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 17.
pp. 622, 623.

*dicturum fuisse Athanasium, si ex Apostolico Canone hanc Leontio sui facinoris mercedem deberi adjecisset. Quod non adjecit, eo fatetur, nullum sibi ea de re Apostolorum Canonem fuisse cognitum. Quo ergo, inquis, Canone Leontium decebat presbyterio abdicari, et laica ipsa communione multari? Nempe inquam, ait ille, ex Nicæno annis, antequam Leontius presbyter fieret, aliquot condito, et ex aliquo fortasse antiquiori ab Alexandrinis ex Origenici facinoris occasione, [ut supra diximus], constituto. Verumenimvero Leontium Eunuchum a se factum laica propterea communione ex Canone Nicæno primo hic indicato multari non potuisse, ex ipso Canone cuius patet, utpote qui nihil plane de Eunuchis excommunicandis dicit, sed tantum de iis in clerum admittendis vel non admittendis agit; nulla prorsus mentione facta de laica communione iis deneganda, ut cuius Canonem legenti patet, ac proinde fieri non potuit, ut Leontius isto supplicii genere ex Canone Nicæno multaretur, quod scilicet in eo nullum memoratur. Cum Sanctus igitur Athanasius Leontium, nec ut laicum ad communionem admitti debuisse affirmet, et de nulla alia ecclesiastica pœna ei ob facinus istud a se perpetratum debita loquatur, ad Canonem Nicænum respicere non potuit, nec ad ullum, quem scimus, alium, præterquam Apostolicum XXIV. disertissimis verbis id quod voluit S. Athanasius statuentem, viz. *Λαϊκὸς ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσας, ἀφοριζέσθω ἕτη τρία· ἐπίβουλος γὰρ ἐστὶν τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς. Laicus, qui seipsum mutilavit, tribus annis segregetur. Est enim sui ipsius vitæ insidiator. Qui segregatur autem, nec ut laicus ad communionem admitti potest: ex cujus propterea Canonis præscripto S. Athanasius verissime asseruit, quod Leontium οὐδὲ ὡς λαϊκὸν κοινωεῖν ἔχρην. Adeo ut hæc sanctissimi Patris verba Canonem istum Apostolicum tunc temporis obtinuisse clarissime demonstrant. Ex eo autem, quod S. Athanasius Leontium οὐδὲ ὡς λαϊκὸν κοινωεῖν oportuisse dicat, perspicue satis innuit, istum contra legem canonicam, non modo ad laicam communionem, sed et in clerum admissum fuisse, quod prohibetur a Canone Apostolico XXII. Unde conjicere licet Leontium istum Patribus Nicænis primi sui Canonis condendi, vel antiqui illius sive Apostolici renovandi occasionem præbuisse. Neque enim credibile est, Patres talem vel edere vel renovare voluisse**

[Pan. Can.
tom. i. p. 15,
D.]

Canonem, nisi ex aliqua singulari occasione ipsis tunc temporis oblata. Synodi vero Nicænæ tempore nullum immanis hujusce facinoris exemplum a quopiam editum traditur, præterquam ab hoc Leontio. Cujus propterea solius causa Nicænus iste Canon constitutus, vel Apostolici potius Synodi Œcumenicæ auctoritate confirmati videntur. Ex isto enim Canone Leontius paulo post presbyterii gradu abdicatus est, ut testatur Socrates.¹ Cumque postea ad thronum Antiochenum promotus esset, id Theodoretus contra Canones Nicænos esse observat.²

Hist. Eccles.
lib. ii. cap.
26, [p. 119.]
Hist. Eccles.
lib. ii. cap.
24, [p. 105.]

IV. Cum ipse autem Dallæus diffiteri nequeat, quin aliquis Nicæno antiquior de Eunuchis Canon exstiterit, isque ex Origenici forsitan cœpti occasione editus, nulla necessitas nec ratio postulat, ut hos Apostolicos pluribus defendamus. Quod enim a nobis de iis asseritur, utrinque pro concessio habetur, eos scilicet de Eunuchis agentes ante Synodum Nicænam publicatos esse. Quapropter ea etiam, quæ Dallæus postea subjungit de Valesiis, nihil nostræ opinioni detrimenti affert. Etiam si enim *Epiphanius Valesiorum, qui seipsos abscindebant, sectam ac dogma refellens, argumentis tum a reipsa, rectaque ratione, tum ab Apostolorum, Paulique nominatim in Epistolis doctrinâ petitis, nullam istorum Canonum mentionem fecerit*, et licet exinde sequatur forsitan eos ab ipsis Apostolis non constitutos esse, vel Epiphanium saltem ita non sensisse, neutiquam tamen ex eo sequitur dictos Canones nec tertio seculo prodiisse. Epiphanius enim, in omnibus ejus contra hæreticos disputationibus et commentariis, Canones ecclesiasticos nunquam citat: imo quidem nec ipsum Nicænum de Eunuchis conditum, ubi nefarios Valesiorum mores redarguit, ac proinde, haud mirum est, quod de Apostolicis nihil habeat. Ex eo autem quod is Valesiorum hæresin ante Origenicam ponat, illos prius quam Origenem, se emasculare solitos fuisse constat: qui idcirco Episcopis Ecclesiam tunc tem-

[Dall. de
Pseud. lib. iii.
cap. 17, p.
623.]

¹ ["Ὅστις, ἡνίκα πρεσβύτερος ἦν, ἀφηρίθη τῆς ἀξίας, ὅτι γυναικὶ συνδημιουργῶν Εὐστολίῳ ὄνομα, καὶ τὴν εἰς αὐτὴν αἰσχρὰν ὑπόνοιαν ἐπικρούψαι σπουδάσας, τῶν γυναικῶν ἰξίτιμιν ἑαυτὸν.—Socr. Hist. Eccles. lib. ii. cap. 26, p. 119.]

² [Λεόντιος τὴν προεδρίαν ἰδίξατο, παρὰ τοὺς ἐν Νικαίᾳ γραφίνας ὄρους ταύτην λαβών.—Theodos. Hist. Eccles. lib. ii. cap. 24, p. 105.]

poris administrantibus horum condendi Canonum amplam satis materiam suppeditarunt. Usque adeo ut illi curæ sibi commissæ rationem nunquam reddere potuissent, nisi tam flagitiosam et sceleratam hæresin in Ecclesia exortam legibus ecclesiasticis quam citissime coercuissent et confodissent. Sed nihil est quod dubitemus, utrum hoc ab iis factum fuerit, cum Apostolicos hosce ea de re editos habeamus Canones; quos ante Synodum Nicænam constitutos fuisse ipsi adversarii diffiteri nequeunt, nosque in priori libro inter testimonia afferenda fuse evicimus. Quod si nihil amplius contra reliquos qui in hac collectione occurrunt, quam contra hos de Eunuchis Canones, dici potest, hunc antiquissimum esse Canonum ecclesiasticorum Codicem sole meridiano clarius elucescet.

V. Hinc duobus proximis sive XXV. et XXVI., necnon XXVIII. et XXIX. prætermittis, ut rectæ rationi et Apostolicæ doctrinæ consonis, Dallæus Canones XXVII. et XXX. aggreditur, quorum ille *deponi jubet Episcopum, presbyterum, et diaconum verberantem fideles qui peccant, vel infideles injuriam facientes;*³ hic vero eadem pœna Episcopum multat, qui *secularibus potestatibus usus Ecclesias per ipsas obtinet.*⁴ Atqui, inquit vir doctus, *non patitur temporum Apostolicorum ingenium, ut vel Christianorum Episcopos verberibus in quenquam sæviisse, (quod diu postea planeque sero in Ecclesiam, jam corruptis nostrorum moribus invectum est,) vel potestates seculares, quæ tum erant nobis infestissimæ, quenquam suo favore ad episcopalem dignitatem vel invadendam vel retinendam adjuvisse.* Verum, quod ad primum spectat, sive XXVII. Canonem, is ipsius D. Pauli doctrinæ congruit, decernentis Episcopum non oportere esse πλήκτην sed ἄμαχον. Proinde non mirum est, quod hi Apostolorum Canones idem sanxerint. Et quamvis potestates seculares Apostolorum temporibus infestissimæ essent Christianis, neminem tamen latet complures

Dall. de
Pseud. lib.
iii. [cap. 17.]
p. 624.

1 Tim. iii. 2,
3; Tit. i. 7.

³ [Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, τύπτοντα πιστοὺς ἁμαρτάνοντας, ἢ ἄπιστους ἀδικήσαντας, καὶ διὰ τούτων φοβιῆσθαι θίλοντα, καθαιριῆσθαι προστάτομεν.—Can. Ap. xxvii. Pan. Can. tom. i. p. 17, A, B.]

⁴ [Ἐἰ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος δι' αὐτῶν ἰγκρατῆς ἐκκλησίας γίνηται, καθαιριῆσθω, καὶ ἀφοριζήσθω, καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ ἄπαντες.—Can. Ap. xxx. Pan. Can. tom. i. p. 18, E.]

earum secundo tertioque æræ Christianæ seculo illis fuisse : quarum propterea ope nonnullos ecclesiasticas dignitates assecutos esse plusquam verisimile est, vel potius certissimum : si quidem ipsius etiam Origenis ætate nonnulli ex Episcopis, aliisque ecclesiasticis ministris quæstui magis quam curæ sibi commissæ consulebant, et aliorum scelerum maculis notati erant : usque adeo ut ille querimonias de iis gravissimas sæpe jactet ; præsertim in commentariis ejus in S. Matthæum, de iis qui Templo ejecti sunt ; ubi inter alia hæc habet, *Καὶ νομίζω ἀρμόζειν τὸν περὶ τῶν παλούντων τὰς περισσευὰς λόγον τοῖς παραδιδούσι τὰς ἐκκλησίας αἰσχροκερδέσι, καὶ τυραννικοῖς, καὶ ἀνεπιστήμοσι καὶ ἀνευλαβέσιν ἐπισκόποις, ἢ πρεσβυτέροις, ἢ διακόνοις.* *Ego vero, quod de columbarum venditoribus scriptum est, his convenire existimo; qui Ecclesias avaris, tyrannicis, indoctis, et irreligiosis Episcopis, presbyteris, et diaconis tradunt.* Quamplurimæ hujusmodi querimoniæ apud antiquissimum istum scriptorem occurrunt, contra nonnullos eorum habitæ, qui istis etiam diebus in Ecclesia præsidebant. Ut tales igitur ab ecclesiasticis in posterum dignitatibus secluderentur, caute quidem hoc et præcedenti Canone ab Ecclesia prospectum est, ne quis pecunia, aut secularium potestatum ope, sed libera tantum cleri populique electione promoveatur. Adeo ut Ecclesia primitiva nec salutis suæ, nec fidelium ædificationi, nec Evangelii propagationi, qua par est, cura atque fidelitate consulisset, nisi hujusmodi Canones edidisset, quibus, coercita aliorum audacia, probatissimi quique episcopalem dignitatem obtinerent.

Orig. in
Matt. [tom.
xvi. cap. 22.
Op. tom. iii.
p. 752, A.]

CAPUT V.

Synopsis.

- I. Canon Apost. XXXIV. *de primis Episcopis defenditur.*
Tὰ ἀρχαῖα ἔθνη apud Synodum Nicænam non novitatem sed antiquitatem jurium Metropolitanorum indicant. Antiqua consuetudo pro lege habenda est.
- II. *Privilegia a Synodo Nicæna nonnullis Ecclesiis asserta, Metropolitana erant. Quænam illa fuerunt. Ex iis antiquitas Canonis hujus Apostolici evincitur.*
- III. *Horum supra illos Episcopos præsentia, e Synodis de Pascha habitis demonstratur. Singulæ istæ Synodi suos habebant præsides. Quare Palma Amastridis Episcopus Synodo Ponticæ præerat, cum Heraclea istius provinciæ Metropolis esset.*
- IV. *Cæsarea Metropolis erat Palæstinæ: hinc Episcopus Cæsariensis Hierosolymitano præfertur: illique a Synodo Nicæna jura sua Metropolitana confirmantur, huic consequentia tantum honoris indulta.*
- V. *Quare in Palæstina duo, in aliis Synodis unus præsedisse dicatur, ut Victor Romanæ. Metropolitanarum, non item aliarum sedium, Episcopi nominatim ab historicis recensentur.*
- VI. *Lugdunum Galliæ Metropolis erat. Quid vox παροικία antiquitus significarit? Irenæus Lugdunensis totius Galliæ primas erat. Quare Synodi in Osroena habitæ nullus præses nominatur.*
- VII. *Ephesus Asiæ Proconsularis Metropolis fuit. Hinc Polycrates Ephesinus omnibus Asiæ Episcopis præerat. Unde Metropolitanorum antiquitas asseritur: necnon ex Ignatii et Dionysii Corinthiaci scriptis.*
- VIII. *Africa etiam suum Metropolitanum habuit, Episcopum*

- Carthaginiensem. *Quam lata fuerit ejus provincia. Triplex vocis Africæ significatio. Ut Numidia et Mauritaniam Africæ adjectæ sunt. Carthago omnium Africæ provinciarum Metropolis.*
- IX. *Aliæ in Africa erant Metropoles et primæ sedes, ab Episcoporum ordinatione denominatæ. Unde singulare Afris censuræ genus.*
- X. *D. Cypriani tempore, is ut Episcopus Carthaginiensis omnibus Africæ, Numidiæ, et Mauritaniam Episcopis præerat, quod ex ipsius Epistolis probatur.*
- XI. *Hinc colligitur tribus primis seculis Metropolitanos in universa Ecclesia constitutos esse, quorum jura a Synodo Nicæna asseruntur.*
- XII. *Romanum Imperium initio Evangelii in provincias distributum fuit, quæ singulæ singulos habebant præsides. Ad hanc Imperii dispositionem Apostolos in Ecclesia propaganda respexisse e variis Scripturæ locis probatur.*
- XIII. *Idem ex Epistolis D. Pauli, ad provincias Metropoles aut Metropolitanos omnibus missis, demonstratur.*
- XIV. *Item e Synodo Hierosolymitana ab Apostolis habita: necnon ex Actis Apostolorum, et D. Joannis Apocalypsi.*
- XV. *Quare Apostoli summam Metropoleon curam habuerunt? Hinc Metropolitanorum primatum ab Apostolis manasse asseritur: licet non particularia eorum privilegia.*
- XVI. *Nonnullæ Ecclesiæ honorem præ aliis habuerunt, ut ab ipsis Apostolis fundatæ. Sed illæ, nisi Metropoles essent, aliis subjectæ sunt. Quod e Synodis Nicæna, Antiochena, et Taurinensi probatur. E præmissis Canon Apost. XXXIV. vindicatur.*
- XVII. *Metropolitanus jure primus est ubique gentium Episcopus, et speciatim in Anglia; ut cujus Metropolis erat Cantuaria, cum primo ad fidem conversa est.*
- XVIII. *Metropoles in Ecclesiæ notitia semper eadem. Imperii mutationibus non subjectæ. Quod e Canonibus et Actis Synodi Chalcedonensis probatur.*
- XIX. *In Ecclesia Anglicana Cantuaria, juxta Synodi Chalcedonensis decretum, primatum semper obtinuit: licet Lichefelda et Londinum eum sibi nonnunquam vindicarint: de Archiflaminibus nihil in antiquitate occurrit. Hodie non constat quænam olim fuerit Britannorum Metropolis.*

XX. *Controversia inter Archiepiscopos Cantuariensem et Eboracensem alius erat generis, et cito sedata.*

XXI. *Hujus dissertationis Epilogus.*

I. PRIMUS, secundus, tertiusque supra tricesimum Canonem Apostolicum, nihil plane statuunt, quod vel ipsis Domini Apostolis indignum sit, vel ab eorum ætate alienum. Quibus propterea intactis, Dallæus ad tricesimum quartum

[Pan. Can. tom. i. p. 22, D. E.]

σε convertit; sic habentem, Τοὺς ἐπισκόπους ἐκάστου ἔθνους εἰδέναι χρῆ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδὲν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης· ἐκεῖνα δὲ μόνον πράττειν ἐκάστον, ὅσα τῆ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὸν χώραις, ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιεῖτω τι. *Episcopus uniuscujusque gentis nosse oportet eum qui in iis primus est, et existimare ut caput, et nihil facere, quod magni sit momenti, præter illius sententiam: sed ea sola facere unumquemque, quæ ad suam paræciam pertinent, et ad pagos qui ei subsunt, sed nec ille sine omnium sententia aliquid agat.*

Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 17, pp. 624, 625

Hoc Canone, inquit Dallæus, *Episcoporum Metropolitanorum jura constituuntur, quorum (præterquam quod nullum in veris ac indubitatis Apostolorum monumentis apparet vestigium) illud etiam novitatem confirmat, quod Nicæna Synodus hæc istorum jura et ad consuetudinem refert, et secundum eam constituit, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατεῖτω, [inquit,] ‘Antiqui mores obtineant.’ Nulla Apostolicæ vel auctoritatis, vel legis meminit. Novum sane ac inauditum argumentum! Synodus Nicæna Metropolitanorum jura τὰ ἀρχαῖα ἔθη, antiquos mores, vocavit: ergo erant nova, sic enim argumentatur vir doctus, novitatem eorum ex istis universalis Synodi verbis confirmans.*

Can. Nic. vi. [Pan. Can. tom. i. p. 66, A.]

Quibus contrarium prorsus disertissime asseritur, Τὰ ἀρχαῖα ἔθη, inquit Synodus, κρατεῖτω· τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὡσπερ τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν [τὴν] ἐξουσίαν· ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. *Antiqui mores servantur, qui sunt in Ægypto, Libya, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium potestatem habeat: quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter et in Antiochia, et in aliis provinciis sua privilegia Ecclesiis servantur.* Quibus sane verbis nihil de novo constituitur,

sed tantum antiqua illa privilegia, quæ nonnullæ Ecclesiæ ante hominum memoriam obtinuerant, Œcumenicæ Synodi auctoritate iisdem confirmantur. Unde luculentissime constat, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, aliasque nonnullas Ecclesias sua quamque jura ac privilegia longe ante primam universalem Synodum sibi concessa habuisse: adeo ut, licet sedes Patriarchicæ nondum essent, nec Metropolitanicæ vocarentur, primæ tamen sedes, aliarum iis inferiorum respectu, et vocarentur, et essent. Quod aliunde non opus est probemus, quam ex hoc ipso Patrum Nicænorum Canone, ut quo nonnullarum supra alias Ecclesias privilegia, eaque antiqua asseruntur. Nihil etiam moramur, quod ea ἴθι hic appellentur, dummodo ἀρχαῖα sint. Nam *diuturna consuetudo pro jure et lege, in his quæ non ex scripto descendunt, observari solet*, ut ait Ulpianus,¹ et Hermogenianus,² *Sed et ea quæ longa consuetudine comprobata sunt, velut tacita civium conventio, non minus quam ea quæ scripta sunt, jura servantur.* Cum itaque consuetudines a Patribus Nicænis memoratæ antiquæ sint, et diurnæ, jure merito ab iisdem hic confirmantur, et quidem sub antiquarum consuetudinum nomine, ut omnibus pateret, eos nihil novi in Ecclesiam induxisse, nec alia Ecclesiis quibusvis privilegia asseruisse, quam quæ majores ipsorum iisdem concesserant.

II. Privilegia autem hoc Nicæno Canone Ecclesiis quibusdam asserta Metropolitanica erant, talia scilicet, quæ Metropolitanis, in sua quisque provincia, sibi vindicare solent. Hoc ex ipso Canone conficitur, ut de provinciis, iisque solis, agente. Καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις, inquit, ἐπαρχίαις. Verum inter omnes constat ἐπαρχίας, sive provincias, proprias esse Metropolitanorum, in veteris saltem Ecclesiæ notitia. Quin hoc etiam e proximis Canonis verbis evincitur. Cum Patres enim antiqua sua jura sive privilegia singulis provinciis atque Ecclesiis asseruissent, protinus subjiciunt, Καθόλου δὲ πρῶτον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὤρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον. *Illud autem est omnino manifestum, quod si quis absque Me-*

¹ [Lib. i. de Officio Proconsulis; apud Pand. lib. i. tit. 3,] de Legibus, leg. 33. [Corp. J. C. tom. i. p. 114, col. 2.]

² [Lib. i. Juris Epitomarum; apud Pand. lib. i. tit. 3, de Legibus,] leg. 35. [Corpus Jur. Civ. tom. i. p. 114, col. 2.]

[Can. Nic. vi. Pan. Can. tom. i. p. 66, A.]

tropolitani sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definivit non debere esse Episcopum. Ac si dixissent, Cum antiqua sua privilegia singulis provinciis conservata esse velimus, hoc cuique manifestum est, ut nemo Episcopus ordinetur in aliqua provincia sine Metropolitanis ejusdem sententia. Unde certissime colligitur, eos nec de Patriarchis, nec de singularibus Episcopis hic agere, sed de Metropolitanis, qui totis provinciis præerant. Quibus propterea confirmatio omnium in provincia sua Episcoporum ordinationis ab iisdem Patribus Nicænis Canone quarto adstruitur; ubi cum decreverant, Episcopum ab omnibus qui sunt in provincia, vel saltem a tribus præsentibus, et absentibus quoque suffragium suum scripto ferentibus, constituendum esse, addunt, Τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Præter hoc, magnum sane privilegium, singulis Metropolitanis summa Synodi omnium celeberrimæ auctoritate, et quidem ex antiqua consuetudine confirmatum, in eorum etiam potestate situm fuit, in mores ac opiniones Episcoporum sibi subjectorum inspicere, omnes provinciæ suæ Episcopos ad Synodos sub se celebrandas convocare, causas inter Episcopos suos litigantes determinare, aliaque omnia ecclesiastica negotia, quæ majoris momenti essent, et ad totam provinciam pertinerent, administrare. Quæ cum omnes Metropolitanis in potestate sua antiquitus habuissent, eadem hoc etiam Nicæno Canone iis confirmata sunt. Adeo ut, si aliud non suppeteret argumentum, quo Canonem Apostolicum, omnes Episcopos sine primo suo nihil quod magni sit momenti facere jubentem, cum ecclesiastica primitivæ Ecclesiæ disciplina convenire probemus, hic ipse Canon Nicænus illud extra dubium ponat. Cum enim inter ἀρχαῖα ἔθνη hic recenseatur, ut Episcopus Alexandrinus, et alii similiter Metropolitanis ἐξουσίαν habeant in suis quique provinciis, adeo ut sine ipsis nullus Episcopus jure et canonice ordinaripotest, nemini dubium esse potest, quin multis ante hanc Synodum annis, in unaquaque gente sive provincia, unus aliquis esset Episcopus, qui primus diceretur, reliquisque aliquo modo præsideret, ut Metropoli sive primariæ civitati provinciæ præfectus, vel ob aliam aliquam rationem reliquis prior et superior factus.

[Can. Nic. iv.
Pan. Can.
tom. i. p. 63,
A.]

Sed quoniam hujus rei dilucidatio non modo ad præsentem Canonem Apostolicum vindicandum, verumetiam ad universam Ecclesiæ primitivæ disciplinam enucleandam quam plurimum conferet, paulo fusius eam prosequemur. Et ex vetustissimis, quæ habemus, Ecclesiæ monumentis atque historiis manifestum faciemus, etiam tribus prioribus Christianismi seculis, ac proinde ante Synodum Nicænam, Episcopos cujusque gentis alicui inter se Primo sive Primati subjectos fuisse, qui plerumque is erat qui Metropóli ejusdem præsidebat; sine quo reliquarum urbium Episcopi nihil magni momenti, sed ea sola, quæ ad suam cujusque parœciam spectabant, facere consueti sunt: juxta quod a præsentis Canone Apostolico sancitum est. Etiamsi enim pauca tantum istorum seculorum commentaria nobis conservata sint, in iis tamen quæ exstant haud obscura veteris hujusce primatu vestigia videre est.

III. Primo itaque aliqualem nonnullorum supra alios Episcoporum primatum videre licet e Synodis illis, quæ de Paschali festivitate secundo labente seculo celebratæ sunt. Enimvero Synodo in Palestina de ista controversia habitæ præsidebant Theophilus Cæsariensis, et Narcissus Hierosolymitanus; Romanæ Victor Romanus; Ponticæ Palma Amastridis Episcopus, et Gallicanæ Irenæus Lugdunensis, ut ex Eusebio discimus, dicente, *Φέρεται δὲ εἰσέτι νῦν τῶν κατὰ Παλαιστίνην τηνικάδε συγκεκροτημένων γραφῆ, ὧν προὔτετακτο Θεόφιλος τῆς ἐν Καισαρείᾳ παροικίας ἐπίσκοπος, καὶ Νάρκισσος τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις· καὶ τῶν ἐπὶ Ῥώμῃς δὲ ὁμοίως ἄλλη περὶ τοῦ αὐτοῦ ζητήματος, ἐπίσκοπον Βίκτορα δηλοῦσα· τῶν δὲ κατὰ Πόντον ἐπισκόπων, ὧν Πάλμας ὡς ἀρχαιότατος προὔτετακτο· καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπισκόπει.* Hic in genere observetur velim, singulas hasce Synodos suos habuisse Præsides, ab Eusebio nominatim memoratos: qui etiam rationem reddidit, quare unus eorum, nempe Palma, reliquis ejusdem provinciæ præerat, quoniam scilicet omnium esset antiquissimus, ὧν Πάλμας, inquit, ὡς ἀρχαιότατος προὔτετακτο. Quo autem sensu hoc accipiendum sit, incertum est, utrum scilicet de ætate, an de ordinatione, vel etiam de sede ejus episcopali intelligatur. Palmas enim ὁ ἀρχαιότατος dici potuit, vel quod inter omnes Ponti Episcopus ille maximus natu esset, vel quod primus Episcopus ordinatus, vel denique quod sedes ejus

Euseb. Hist.
Eccles. lib. v.
cap. 23. [pp.
242, 243.]

ante alias facta esset episcopalis. Constat saltem eum Metropolitanum non fuisse. Heraclea enim omnium in Ponto urbium Metropolis erat. Palmas autem non Heracleæ sed Amastridis erat Episcopus; ut patet e Dionysii Corinthiorum Episcopi Epistola ad Ecclesiam Amastrianorum et cæteras Ecclesias Ponti iisdem diebus scripta, qua Episcopum ipsorum Palmam nominatim appellat. Ἐπίσκοπον, inquit Eusebius, αὐτῶν ὀνόματι Πάλμαν ὑποσημαίνων. Unde etiam locus conjecturæ datur, Palmam, ut solum hic nominatum, et Dionysii diebus, hoc est paulo ante Synodos istas, primum in Ponto Episcopum fuisse: Heraclea forsitan Episcopum non habente. Et hinc est, quod ratio quidem reddatur, quare Palma Ponticæ, nulla autem quare reliqui Episcopi una cum eo memorati, suæ quisque Synodo, præsidebant. Nimirum, quod ille Synodo Ponticæ præerat tantum ὡς ἀρχαιότατος, reliqui autem Synodis sub se habitis tanquam Metropolitanis. Nam Theophilus Cæsariensis, Victor Romanus, et Irenæus Lugdunensis, sedibus Metropolitanis potiti sunt; siquidem Roma Italiæ, Cæsarea Palæstinæ, et Lugdunum Galliæ tunc temporis Metropolis erat. Ac propterea, nominatis Episcopis qui istis urbibus præfecti sunt, non necesse erat ut alia redderetur ratio, quare Synodis quique suis præsiderent. Hoc enim abunde satis ex eo constabat, quod urbium Metropolitanarum Episcopi essent, quibus in Ecclesiæ pariter atque in Imperii notitia primatus semper attributus fuit. Quem etiam Episcopis illis memoratis attributum esse nemo dubitet, cum illi non modo Episcopos, ut statim videbimus, ad Synodos convocarent, sed et convocatis præsiderent, ut ex hac ipsa harum Synodorum historia patet.

IV. Ut de his autem singulis, eo, quo ab Eusebio disponentur, ordine, pauca disseramus, Synodo in Palæstina habitæ Theophilus Cæsariensis et Narcissus Hierosolymitanus Episcopus præsedisse perhibentur: et primo quidem Cæsariensis, deinde Hierosolymitanus: ille ut Metropolitanus, hic ut celeberrimæ sedis Episcopus. Eninvero licet Hierosolyma, priusquam eversa esset, Palæstinæ Metropolis erat, ea tamen eversa, Cæsarea Metropolis a Vespasiano creata fuit, propterea quod maxima tunc civitas esset, ipseque in ea post Judaicas victorias Imperator adscriptus est, ut ait

Euseb. Hist.
Eccles. lib.
iv. cap. 23,
[p. 186.]

Novel. ciii.
[Præf. apud
Corp. J. C.
tom. ii. p.
592, col. i.]

Justinianus. Ab isthoc itaque tempore Cæsarea totius Palæstinæ, primæ saltem, qua sita est Hierosolyma, Metropolis fuit, et *Judææ caput*, ut a Tacito vocatur. Cum hæc igitur urbs ad hunc honorem evecta fuisset, Episcopi in ea postea constituti reliquis Palæstinæ Episcopis prælati sunt, et primi omnium habiti: usque adeo ut, etiamsi Hierosolyma Ipsius Servatoris nostri sedes esset, et religio nostra ex isthoc loco in universum terrarum orbem derivata fuerit, Cæsareæ nihilo secius ut Metropoleos Episcopus Hierosolymitano per multa secula præpositus fuit. Quo honore Patres Nicæni eum privare noluerunt. Sed cum Episcopus, ut videtur, Hierosolymitanus de dignitate sibi ob sedem suam debita contenderit, illi litem hoc modo definierunt, Ἐπειδὴ συνθήθεια κεκράτηκε, καὶ παράδοσις ἀρχαία, ὥστε τὸν ἐν Αἰλίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι, ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος. *Quoniam obtinuit consuetudo et antiqua traditio, ut qui est in Ælia Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, Metropoli propria dignitate servata.* Tantam habuerunt sanctissimi illi Patres sedium Metropolitanarum earumque dignitatis curam! Negare non potuerunt, quin magnus Æliæ sive Hierosolymæ Episcopo honor debeat; sed nihilominus, cum non ea sed Cæsarea esset provinciæ Metropolis, non simpliciter honorem, sed tantum ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, *consequentiam honoris*, proximum nimirum post Metropolitanum ei confirmant. Et ne hæc ipsorum verba ad alienum sensum torquerentur (quod ab iis factum est, qui de honore Patriarchali hic stabilito somniant) cauti statim subjungunt, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος. Suam itaque dignitatem Metropolitanano Cæsariensi integram conservant; et Episcopo Hierosolymitano nihil aliud concedunt, nisi ut is proximo post illum honore fruatur. Idque eo tantum nomine, quod consuetudo et antiqua traditio id postularet. Ut igitur in præcedenti sive sexto Canone nihil novi constituunt, sed tantum τὰ ἀρχαία ἔθη, Alexandrino, Romano, Antiocheno aliisque Metropolitanis confirmant, sic et hoc Canone nullum novum, sed tantum pristinum ejus honorem, Episcopo Hierosolymitano ratum faciunt: eum scilicet, quem ex antiqua consuetudine obtinuerat. Cujus antiquæ consuetudinis illustre habemus exemplum in antiqua hac Synodo ab Episcopis Palæstinæ

Hist. lib. ii.
cap. 79.

Can. Nic. vii.
[Pan. Can.
tom. i. p. 68,
A.]

centum triginta plus minus annis ante Nicænam celebrata, ut cui præsidebant, primo quidem Theophilus Cæsariensis tanquam Metropolitanus, et post eum Narcissus Hierosolymitanus Episcopus. Adeo ut ille dignitatem Metropolitanicam, et primum in consessu locum, hic ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς post eum haberet. Unde etiam apparet, Cæsariensem Metropolitanum primum fuisse istius gentis Episcopum, et juxta præsentem Canonem tanquam caput existimatum. Si is enim ipsi Hierosolymitano, multo magis aliis Palæstinæ Episcopis, prælatus est.

V. Quid in ista Palæstinæ Synodo actum fuit, Eusebius ex Epistola Synodica collegit, quæ ejus ætate exstabat, Theophili Cæsariensis et Narcissi Hierosolymitani nomina sibi præfixa habens. Hoc honore soli Hierosolymitano ex omnibus Palæstinæ Episcopis concesso, et a Synodo Nicæna postea confirmato, ut cum Metropolitanato nominaretur, licet ipse nec Metropolitanus esset, nec ullam Metropolitanicam auctoritatem exercere posset. In aliis autem locis ubi nulla fuit sedes tali honore digna, Metropolitanus non modo primus sed et solus Conciliis præsidebat, et literæ synodicae ejus solius nomine consignatae sunt, ut e synodica Romani Concilii patet, Victoris solius nomen præferente. Καὶ τῶν, inquit Eusebius, ἐπὶ 'Ρώμης δὲ ὁμοίως ἄλλη περὶ τοῦ αὐτοῦ ζήτηματος, ἐπίσκοπον Βικτορα δηλοῦσα. *Alia item exstat Epistola Synodi Romanæ de eadem quæstione, cui Victoris Episcopi nomen præfixum est.* Et quidem in omni Italia usque ad Victorem, et aliquanto postea, etiamsi plurimi haud dubie essent, vix ulli tamen nominatim memorantur usquam Episcopi, præterquam Romani: ac si illi non solum primi, sed et soli essent totius provinciæ Episcopi. Quod etiam non de ea sola, sed et de aliis sedibus Metropolitanicis observare licet. Ut enim Romanæ, sic et Alexandrinæ, ac Antiochenæ Ecclesiæ Episcoporum successiones ab ipsis Apostolorum temporibus recensitas habemus, non item aliarum, nisi forsitan Hierosolymitanæ, quæ licet non Metropolitanica esset, proximum tamen post Metropolitanas honorem sibi jure vindicavit. Nulla autem causa dici potest, cur magnarum harum urbium et Metropoleon Episcopi, aliis prætermissis, tanta cum laude toties commemorarentur, nisi quod illi primi erant, in sua quisque Ecclesia, Episcopi. Non-

[Hist. Eccles.
lib. v. cap. 23,
p. 242.]

nulli, fateor, inferiorum sedium Episcopi memoriae subinde traduntur, ut Polycarpus Smyrnæ, Melito Sardinianus, et Apollinaris Hierapolitanus Episcopus. Horum autem mentio eo tantum nomine inducta est, quod doctorum essent librorum et commentariorum auctores, et acerrimi religionis Christianæ assertores. Romani autem, Alexandrini, et Antiocheni Episcopi omnes nominatim recitantur, etiamsi plerique eorum nihil plane scriptis mandaverint, nec quid amplius fecerint, quam illi aliarum sedium Episcopi, quorum nec nomina nobis transmissa sunt. Quod quidem eo tantum factum videtur, quod illi aliis superiores essent, et provinciarum Primate. Quibus propterea major quam aliis honor ab ipsis historiographis jure perhibetur.

VI. Porro Synodo Gallicanæ istis diebus habitæ Irenæus Lugdunensis præerat. Ita Eusebius loco supra laudato,

Καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν παροικιῶν ὡς Εἰρηναῖος ἐπισκόπει. *Epistola quoque paræciarum Galliæ exstat, quibus præerat Irenæus.* [Hist. Eccles. lib. v. cap. 23, p. 243.]

Quem Lugdunensem fuisse Episcopum neminem latet. Successit autem in isto Episcopatu Pothino, qui anno ætatis nonagesimo cum Gallicanis martyribus cæsus est.³ Lug-

Ibid. cap. 5, [p. 216.]

dunum autem Metropolim fuisse Galliæ tum alii tum ipse Eusebius testatur, qui de Gallia loquens ait, Ἡς μητροπόλεις ἐπίσημοι καὶ παρὰ τὰς ἄλλας τῶν αὐτόθι διαφέρουσαι βεβόηται, Λούγδουνος καὶ Βιέννα.

Ibid. cap. 1, [p. 198.]

In hac duæ præ cæteris insignes et præstantes Metropoles celebrantur, Lugdunus et Vienna. Non opus est hic disseramus de antiquis Galliarum divisionibus, quibus primo distributæ sunt in quatuor partes, Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunensem, et Belgicam: et postea in quatuordecim provincias subdivisæ: neque etiam de Galliæ Lugdunensis divisione in primam et secundam. Irenæi enim diebus universa Gallia usquequaque extensa, in Ecclesiæ saltem notitia Lugduno tanquam Metropoli subdita erat, omnesque in ea Episcopi illius civitatis Episcopo subjecti. Hoc exinde primo docemur, quod cum gravissima ista de Paschæ celebrandæ die controversia agitaretur, qua tota Ecclesia istis temporibus exercitabatur, cumque Concilium de eadem in Gallia haberetur, omnes haud dubie

³ [Ποθινῶ δὴ ἐφ' ἄλλοις τῆς ζωῆς ἔτισιν ἐπισημοὶ καὶ παρὰ τὰς ἄλλας τῶν αὐτόθι διαφέρουσαι βεβόηται, Λούγδουνον, ἧς ὁ Ποθινὸς ἡγήτο, παροικίας τῆν ἐπισκοπὴν διαδέχεται.—Euseb. Hist. Eccles. lib. v. cap. 5, p. 216.]

Episcopi ibidem constituti ad illud celebrandum conveniebant, ut de communi Ecclesiæ causa acturi. At omnibus in isto Concilio congregatis Irenæus Lugdunensis præsidebat. Quod fieri non potuit, nisi is inter eos primus fuisset. Adhæc, in verbis Eusebii ante laudatis Irenæus omnes Galliæ paræcias administrasse dicitur. Τῶν κατὰ Γαλλίαν, inquit, παροικιῶν ἄς Εἰρηναῖος ἐπισκόπει. Verumenimvero vox *παροικία*, *paræcia*, in antiquis Ecclesiæ scriptoribus et Canonibus Conciliorum territoriam sedem sive ditionem ad Episcopum pertinentem perpetuo significat: quo sensu hodie vox 'diæcesis' a nobis vulgo usurpatur, adeo ut unusquisque Episcopus suam haberet *παροικίαν*, quam episcopali auctoritate gubernabat. Ita usitatur hæc vox hoc ipso Canone Apostolico, quem sub manibus habemus, necnon Antiocheno IX. aliisque quamplurimis, et ab ipso Eusebio sexcentis in locis, ubicunque scilicet occurrit, ut in ipso Historiæ Ecclesiasticæ initio, ubi se descripturum ait, quot quantæque res in Ecclesia gestæ fuerant, Καὶ ὅσοι ταύτης διαπρεπῶς ἐν ταῖς μάλιστα ἐπισημοτάταις παροικίαις ἠγήσαντό τε καὶ προέστησαν. *Et qui præsertim in celeberrimis ejusdem paræciis præfuerunt, et præ sederunt.* Ubi per ἐπισημοτάτας παροικίας, celeberrimas illas intelligit sedes episcopales, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, et Hierosolymitanam, quarum omnes Episcopos ab ipsis Apostolorum temporibus recenset. Sed ne longius a proposito digrediar, in loco supra citato, ipsam sedem, sive, ut ita loquar, episcopatum Lugdunensem *παροικίαν* vocat. Εἰρηναῖος, inquit, τῆς κατὰ Λούγδουνον, ἧς ὁ Ποθεινὸς ἠγεῖτο, παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν διαδέχεται. *Irenæus Lugdunensis, cui Pothinus præfuerat paræciæ administrationem suscipit.* Ubi ἡ κατὰ Λούγδουνον παροικία nihil aliud significare potest, quam sedem episcopalem Lugduni, quam Irenæus post Pothinum a Polycarpo illuc missum administravit. Irenæus autem, præter hanc Lugdunensem, cui ut Episcopus præfuit, alias etiam *παροικίας* sibi subjectas habuit, ut patet e verbis supra allatis, Καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἄς Εἰρηναῖος ἐπισκόπει. Plurium autem paræciarum aggregatio, *ἐπαρχία*, *provincia*, dicitur, Metropolitanæ sive Primati subdita. Proinde Irenæus ut, paræciæ Lugdunensis respectu, singularis esset Episcopus, sic, ut aliis paræciis, quæ singulæ singulos habuerant Episcopos, prælatus, Metropolitanus

Hist. Eccles.
[lib. v. cap.
23, p. 243.]

[Vide supra,
lib. i. cap. 4,
sect. 4, tom. i.
p. 37.]

Euseb. Hist.
Eccles. lib. i.
cap. i. [p. 1.]

Ibid. lib. v.
cap. 5, [p.
216.]

erat proprie sic dictus. Cumque αὶ κατὰ Γαλλίαν παροικίαι in genere, nulla excepta, Irenæo subjectæ perhibeantur, is proculdubio primus erat totius gentis Gallicanæ Episcopus, qualis hoc Canone Apostolico intelligitur. Quod denique ex alio Eusebii loco evincatur, ubi de admonitione a pluribus Episcopis ad Victorem Romanum missa verba faciens ait, Ἐν οἷς καὶ ὁ Εἰρηναῖος ἐκ προσώπου ᾧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν ἐπιστείλας. *Ex quorum numero Irenæus in Epistola quam scripsit nomine fratrum, quibus præerat in Gallia.* Hinc enim constat Irenæum universis Galliæ Episcopis, quos fratres appellavit, præfuisse, sive Primatem eorum fuisse. Qui propterea omnium eorum, ut sibi subditorum, nomine literas hasce ad Victorem conscripsit. Quo quidem illius supra reliquos primatus luculentissime demonstratur.

Euseb. Hist. Eccles. lib. v. cap. 24, [p. 245.]

Præter quatuor has Synodos, primam scilicet in Palæstina sub Theophilo Cæsariensi et Narcisso Hierosolymitano, alteram, Romanam sub Victore, tertiam, Ponticam sub Palma, et quartam, Gallicanam sub Irenæo Lugdunensi, in hac causa celebratas, Eusebius quintam addit in Osroenæ provincia habitam, cujus literæ synodicæ tunc dierum circumferebantur. Ἐτι δὲ τῶν, inquit, κατὰ τὴν Ὀσροηνήν καὶ τὰς ἐκείσας πόλεις, *Ecclesiarum etiam in Osroenæ provincia, et urbibus regionis illius, constitutarum literæ visuntur.* Hic autem nullus memoratur Concilii Præses; propterea scilicet, quod hujus Synodi Epistolæ nullius nomen præfixum erat. Unde colligere est, quicquid Eusebius de antiquis hisce Synodis scripsit, e synodicis ipsarum epistolis assumptum fuisse: quæ omnes præidentium Episcoporum nomina sibi inscripta habuere, præter hanc unicam in Osroenæ provincia congregatam. Cujus provinciæ cum Edessa, ut opinor, Metropolis esset, istius Episcopus aliorum in illa regione Episcoporum Synodo tanquam Metropolitanus præsedisse videtur. Nihil saltem dubii esse potest, quin hæc etiam Synodus aliquem Præsidem habuerit, ut sine quo nec convocari nec consistere potuit.

Ibid. cap. 23, [p. 243.]

VII. Quæ de nonnullarum Ecclesiarum supra alias in primitiva Ecclesia primatu e Synodis istis, quæ Paschalem festivitatem die Dominico peragendam esse decreverant, hucusque commentati sumus, dilucidiora pariter atque fortiora evadent, si Synodum etiam Asianam iis omnibus

in hac controversia oppositam perpendamus. Hujus historiam Eusebius his verbis introducit, Τῶν δὲ ἐπὶ τῆς Ἀσίας ἐπισκόπων τὸ πάλαι πρότερον αὐτοῖς παραδοθὲν διαφυλάττειν ἔθος χρῆναι διίσχυριζομένων, ἤγετο Πολυκράτης. *Episcopis vero Asiae, qui morem sibi a majoribus traditum retinendum esse acriter contenderunt, Polycrates praeerat.* At Polycrates ille Ephesi erat Episcopus, ut e capite XXII. ejusdem libri discimus.

Euseb. Hist. Eccles. lib. v. cap. 24, [p. 243.]

Ibid. [p. 241.] Κορίνθου δὲ, inquit, τῆς καθ' Ἑλλάδα κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ἐπίσκοπος ἦν Βάκχυλλος, καὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ παροικίας Πολυκράτης.

[Ulp. lib. i. de Off. Procon. apud Pand. lib. i. tit. 16.] de Officio Proconsulis et Legati, leg. iv. [sect. 5. Corp. J. C. tom. i. p. 123, col. i.]

Porro Ephesus Asiae Proconsularis Metropolis erat etiam Antonini Augusti aetate. Ulpianus, *Quaedam provinciae etiam hoc habent, ut per mare in eam provinciam Proconsul veniat; ut Asia scilicet, usque adeo ut Imperator noster Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripsit, 'Proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare, καὶ τῶν μετροπόλεων Ἐφεσον,' id est, 'et inter matrices urbes Ephesum primam attingere.'* Hinc itaque constat, quare Polycrates omnibus Asia Episcopis praeset, nimirum quoniam ille Metropoleos erat Episcopus, atque ideo totius provinciae Primas. Quae cum ampla esset provincia, ille quam plurimos sibi subjectos habuit Episcopos, quos omnes ille solus ad Synodos convocabat, ut ipse testatur in Epistola, quam ad Victorem et ad Romanae urbis Ecclesiam conscripsit, ubi

Apud Euseb. Hist. Eccles. lib. v. cap. 24, [p. 244.]

ait, Ἐδυνάμην δὲ τῶν ἐπισκόπων τῶν συμπαρόντων μνημονεύσαι, οὓς ὑμεῖς ἤξιώσατε μετακληθῆναι ὑπ' ἐμοῦ, καὶ μετεκαλεσάμην, ὧν τὰ ὀνόματα ἐὰν γράψω, πολλὰ πλήθη εἰσίν. *Possem etiam Episcoporum, qui mecum praesentes sunt, facere mentionem, quos vos petiistis, ut a me convocarentur, et convocavi. Quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur.* En Ephesini Metropolitanus in universos Asiae Proconsularis Episcopos primatum, ab ipso Victore et Ecclesia Romana agnitum! Hi enim ab eo petierunt, ut ipse eos convocaret. Quo quidem hoc in ejus potestate situm esse palam et aperte confessi sunt. Quinetiam ipse Polycrates, omnesque Asiae Episcopi idem sibi persuasum habuerunt. Ille enim eos Metropolitana sua auctoritate convocavit, et hi ab eo convocati morem protinus gesserunt. Praesentes enim aderant, cum hanc ille Epistolam scribebat, ut e verbis allatis constat. Quod igitur antiquo hoc Canone definitum est, Episcopi Asiani religiose admodum tunc temporis observabant. Nam

Primum sive Primatem suum agnoscebant, eumque ut caput existimabant. Quod liquido demonstrat, hunc Canonem istis diebus, hoc est, secundo labente seculo, obtinuisse, atque ideo horum supra alios Episcopos primatum non novitium esse, sed longe ante ipsam Nicænam Synodum introductum, et ab ipsis Ecclesiæ primordiis institutum. Quod luculentius adhuc evincitur ex Epistola Dionysii, Corinthiorum Episcopi, ad Ecclesias Cretæ missa, utpote quæ inscripta est, Τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ παροικίῳσι Γόρτυναν, ἅμα ταῖς λοιπαῖς κατὰ Κρήτην ἐκκλησίαις. *Ecclesiæ Gortynam incolenti, et reliquis simul Cretæ Ecclesiis.* Enimvero Gortyna Metropolis erat Cretæ, ut inter omnes constat. Dionysius itaque ad Ecclesiam Gortynæ solam nominatim mittens, eam cæteris Cretæ Ecclesiis prælatam esse indicat. Quam etiam ob causam ex omnibus Cretæ Episcopis Dionysius solum Philippum Gortynensem commendat, quod Ecclesia Cretæ tam egregiam fortitudinis laudem retulisset, ut Eusebius ibidem tradidit. Unde totam istam insulam Philippi Gortynensis curæ commissam esse, ipsumque proinde primum fuisse inter omnes Cretæ Episcopos certissime conficitur. Quibus omnibus addi potest, quod S. Ignatius, Episcopus Antiochenus, in Epistolam ad Romanos se τὸν ἐπίσκοπον Συρίας vocat, cujus dicendi causa nulla videtur, nisi quod Antiochia Syriæ Metropolis esset, adeo ut Episcopus Antiochiæ totius etiam Syriæ Episcopus, et aliis ejusdem provinciae omnibus prælatus esset.

Apud Euseb.
Hist. Eccles.
lib. iv. cap.
23, [p. 185.]

[Cap. ii. Cot.
Pat. Ap. tom.
ii. p. 27.]

VIII. E præmissis videre est, Metropoleon et celebriorum civitatum Episcopos in Europa pariter atque Asia aliqualem in provinciales suos Episcopos primatum habuisse, iisque prælatos fuisse, priusquam ducenti a Christi nativitate anni effluxissent. Reliquum est, ut eundem morem in altera etiam orbis terrarum parte tunc temporis nota, Africa scilicet, iisdem fere diebus obtinuisse ostendamus. Quamobrem D. Cyprianum consulamus necesse est, utpote ex quo fere solo constitutionem veteresque Ecclesiæ Africanæ ritus dignoscere possimus. Hic autem de baptizandis iis, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, loquens, [*Quando*] *multi*, ait, *jam anni sint, et longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint.* Multis igitur annis et longa ætate ante D.

Cyprian.
Epist. lxxiii.
ad Jubaian.
[p. 199.]

Cyprianum Episcopi Africani ab Agrippino Carthaginiensi Episcopo et Primate ad Synodum convocati sunt, quam sub eo celebrarunt. Cui propterea aliquo saltem modo subditi fuerunt. Sanctus autem Cyprianus ante tertium adultum seculum claruit, sedem Carthaginiensem adeptus. Synodum itaque ab eo memoratam, ut sub Agrippino multis ante annis habitam, eodem ineunte, si non et præcedenti seculo, convocatam fuisse extra dubium est. Quantam autem provinciam sibi subjectam habuerit Agrippinus, et post eum D. Cyprianus, ut Episcopus Carthaginiensis, ex ipsius verbis potentissime evincatur, quem scilicet latere non potuit, quænam ipse sui que in eadem Ecclesia decessores privilegia habuerint. Verumenimvero ille Synodum istam sub Agrippino ex Africæ et Numidiæ Episcopis coactam esse scribit: *Quod quidem et Agrippinus, inquit, bonæ memoriæ vir, cum cæteris Coepiscopis suis, qui illo tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit.* Et alibi de provincia sibi, ut Episcopo Carthaginiensi, subdita verba habens, dicit, *Sed quoniam latius fusa est nostra provincia, habet etiam Numidiam et Mauritanias duas sibi, Africæ scilicet proprie sic dictæ, cohærentes.* Et quod hic asserit, facto comprobavit in Synodo illa congreganda, quæ hæreticos baptizandos esse decrevit. Sic enim incipiunt Acta ejusdem Concilii, *Cum in unum Carthagini convenissent, Kalend. Sept. Episcopi plurimi ex provincia Africa, Numidia, et Mauritania cum presbyteris et diaconibus.* Episcopi autem tunc temporis congregati plures quam LXXX. [nempe LXXXVII.] numerantur.

Verum, quo D. Cypriani verba clarius intelligantur, tenendum est, Africæ nomen triplici olim modo usitatum fuisse, stricte, latius, et latissime. Africa stricte et proprie sic dicta unam duntaxat provinciam denotat; illam scilicet, quæ Zeugitana a Plinio dicitur, cujus Metropolis erat Carthago.⁴ Latius sumpta totum illum terræ tractum significat, qui a freto Herculeo sive Gaditano usque ad regionem Cyrenaicam Ægypto adscriptam porrectus est, et Romano imperio sub eo nomine subjectus. Quo sensu a

Cyprian.
Epist. lxxi.
ad Quint. [p.
196.]

Cyprian.
Epist. xlv.
[Pamel.
xlviii. Fell.]
ad Cornel. [p.
91.]

[Con. Carth.
III. Conc.
tom. i. col.
786, C. et S.
Cypr. Op.
p. 229.]

⁴ ["A Tusca Zeugitana regio, et Plin. Hist. Nat. lib. v. cap. 4, p. quæ proprie vocatur Africa est."— 245.]

Patribus, Imperatoribus, et jurisconsultis plerumque sumitur. Latissime pro tertia orbis terrarum parte usurpatur a geographis, et ubicunque Europæ vel Asiæ opponitur, quam Arabes tamen non Africam, sed *ارض المغرب* *terram occidentis*, perpetuo vocant. Illis autem per *افريقية* *Afrikiam*, (quomodo eam ab incolis vocari observat Leo Africanus) [Africae Descript. lib. 1. p. 3.] et per *بلاد افريقية* *Provinciam Afrikæ*, non nisi propria intelligitur Africa, quam a deserto *برقة* *Barcæ*, ad urbem *بونة* *Buna*, sive Hipponem, cui S. Augustinus præfuit, computant.

Africam, sive Libyam, proprie sic dictam Romani suo, victis Carthaginensibus, imperio primo subdiderunt, eamque solam in ista orbis parte aliquandiu tenuerunt. Quo factum est, ut cum alias etiam circumjacentes, easque amplissimas, regiones subegissent, eas omnes Africae primo devictæ nomine nuncuparint. Hinc Africa latius sumpta [Vide Notit. Dignitat. Imp. cap. lxiv. apud Grævii Thes. Ant. Rom. tom. vii. p. 1911.] in prima Imperii notitia omnes istas regiones a Romanis subditas comprehendit, nimirum has quatuor, Africam propriam, Numidiam, Mauritaniam, Tingitanam, et Mauritaniam Cæsariensem, quas omnes Ptolomæus quarto Geographiæ libro descripsit. Priusquam autem a Romanis subjiceretur, Mauritania unum tantum regnum fuerat. Postea vero in duas partes divisa est, quarum una Tingitana ab urbe Tingi, hodie 'Tangier' dicta, regionis olim capite, altera Cæsariensis a Cæsare cognominata est. Hanc Mauritaniam divisionem Dio ascribit Claudio, *Claudius*, inquit, *Mauros divisit in eos, qui ad Tingin, et qui ad Cæsaream, unde et nomina habent, et duobus equitibus præpositis eos permisit.*⁵ Plinius autem C. Caligulæ, dicit enim, *Principio terrarum Mauritaniam appellantur, usque ad Caium Cæsarem Germanici filium regna, sævitia ejus in duas divisæ provincias.* Julius Solinus duas hasce Mauritanias describit. Verum haud longo post tempore ambæ Mauritaniam uni Præsidi a Galba commissæ sunt. Tacitus, *Iisdem diebus accessisse partibus utramque Mauritaniam, interfecto Procuratore Albino, nuncii venere. Lucceius Albinus a Nerone Mauritaniam Cæsariensi præpositus, addita per Galbam Tin-*

⁵ [Ὁ Κλαύδιος διχῆ τοὺς Μαύρους τοὺς ὀνομάζονται] καὶ δύο ἄρχουσιν ἰσχυρῶς ὑπηκόους ἔνειμιν, ἕς τε τὰ περὶ Τίγγιν, καὶ ἕς τὰ περὶ Καισάρειαν (ἀφ' ὧντιρ καὶ προσίταξι.—Dio Cassius, lib. lx. cap. 9, Op. tom. iii. p. 742.]

[Vide Notit. Dignitat. Imp. cap. lxiv. apud Grævii Thes. Ant. Rom. tom. vii. p. 1911.]
[Capp. 1-3, apud Bertii Theat. Geog. Vet. tom. i.]

Dio, lib. lx. [cap. 9, Op. tom. iii. p. 742.]

Plin. Nat. Hist. lib. v. cap. 1, [tom. i. p. 240.]

Polyhist. cap. xxviii. [p. 61, edit. Steph. 1577.]
Tacit. Hist. lib. ii. cap. 58.

gitanæ provinciæ administratione, haud spernendis viribus agebat. Ab eo usque tempore ad Tertulliani ætatem ambas Mauritanias ab uno Præside administratas, atque ita in unam iterum conflatas fuisse provinciam, ex eodem constat dicente, *Nam et nunc a Præside legionis, et a Præside Mauritaniae vexatur hoc nomen.* Hinc itaque est quod Tertulliani diebus, et aliquanto postea, Africa, ut latius sumpta, in tres partes distributa fuerit, Africam *κρηίως* dictam sive Proconsularem, Numidiam, et Mauritaniam. Postea, fateor, cum Romanæ provinciæ de novo dispositæ erant, Africanus ille tractus in sex provincias civiles divisus est, quæ sic numerantur, Proconsularis, ubi est Carthago, Numidia, Byzacium, Tripolis, et duæ Mauritaniae, hoc est, Sitifensis, et Cæsariensis. Hæc autem divisio facta est, avulsis Byzacena et Tripolitana a provincia Africa proprie sic dicta. Nam Byzacium, et Tripolis antiquitus ad Africam pertinebant: et Mauritaniam Sitifensem, ab urbe Sitifi sic dictam, a Numidia distractam fuisse fidem facit Collectio Canonum Ecclesiæ Africanæ, quorum XVII. sic habet, *Placuit, ut Mauritania Sitifensis, ut postulavit, Primatem [provinciæ] Numidiæ, ex cujus cætu separatur, suum habeat Primatem, quem, consentientibus omnibus Primatibus provinciarum Africanarum, vel omnibus Episcopis, propter longinquitatem habere permissa est.* Ubi verba ista a cujus cætu separatur clarissime ostendunt, Mauritaniam istam Sitifensem ad Numidiam antea pertinuisse, et istis fere temporibus ab ea separatam esse. Unde patet, quod in nova hac dispositione, etiamsi numerus provinciarum augetur, nihil tamen Africæ, latius sumptæ, additum fuit, nec aliquid detractum, nisi forsitan Mauritania Tingitana, quam Rufus⁶ in Breviario quinque aliis Hispaniarum provinciis adjectam fuisse observat, de qua re non est quod nos laboremus, cum hæc divisio post D. Cypriani tempora facta fuerit.

Ex hisce inter se collatis facile cuivis est observare, quare D. Cyprianus duas Mauritanias provinciæ suæ cohærere asserat, cum in Actis Concilii sub ipso habiti una tantum

Tertul. ad
Scap. cap. iv.
[p. 71, C.]

[Conc. tom.
ii. col. 1057,
C.]

⁶ ["Trans freta etiam in solo terræ Africanæ provincia Hispaniæ est, quæ Tingitana Mauritania cognominatur."]

—Rufi Brev. Rer. Gest. Pop. Rom. Apud Hist. Rom. Epit. p. 265. Amst. 1647.]

Mauritania memoretur: propterea nimirum quod duæ essent regiones, sed istis diebus ab uno Præsidente administratæ, atque ideo una tantum provincia: item quare dicat Numidiam et duas Mauritanias suæ provinciæ cohærere, eo scilicet quod Africa, proprie sic dicta, qua sita est Carthago, prima fuisset in istis partibus Romanorum provincia, cui Numidia et Mauritania postea adjectæ sunt. Quapropter, ut in notitia Imperii provincia Carthaginensis Proconsulem habuit, qui vice sacra iudicabat, (unde ea sola Proconsularis provincia dicta est, reliquæ autem provinciæ præfecto Prætorio, aut vicario ejus parebant,) sic etiã in notitia Ecclesiæ, inter omnes Africæ provincias, Carthaginensis, ut Proconsularis, primatum habebat, adeo ut Episcopus ei præpositus, non solum istius provinciæ, sed et Numidiæ et Mauritanie Primas esset. Unde Ecclesia Carthaginensis totius Africæ latius sumptæ caput dicatur a S. Augustino, sic enim intelligenda sunt hæc ejus verba dicentis, *Quod Lucillæ pecunia corruptis Episcopis in Carthaginensi Ecclesia, in Africæ capite, altare contra altare levatum est.*

Aug. Epist. clxii. [Ben. xliii.] ad Glorium, [et alios, cap. 6. Op. tom. ii. col. 143, A.]

IX. Non me fugit, in aliis etiam, præter Carthaginensem, Africæ provinciis et Metropoles aliquando fuisse et primas sedes, ac proinde tam Metropolitanos quam Primate. Hoc enim e Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ edocemur. Exorta enim inter Episcopos Numidiæ quæstione, ubi Matriculæ sive Regesta istius provinciæ servari debeant, definitum est, ut et in prima sede, et in Metropoli Constantina conderentur. Sic enim Canon LXXXVI. ejusdem Codicis habet, *Deinde placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, ut Matricula et Archivus Numidiæ et apud primam sedem sit, et in Metropoli, id est Constantina.* Ubi prima sedes a Metropoli aperte distinguitur. Et hoc quidem Ecclesiæ Africanæ proprium fuit et peculiare, quod, præter Metropolitanum, sive Metropoleos Episcopum, quæque provincia suum etiam Primatem haberet, cæteris provinciæ Episcopis prælatum, non ob sedis dignitatem, sed quod ipse ante reliquos Episcopus ordinatus fuerat: cujus propterea sedes eo tantum nomine 'Prima' dicta est, quod Episcopus, qui eam possidebat, alios omnes ejusdem provinciæ ordinationis tempore anteibat. Hinc licet Metropoles fixæ essent, et semper eadem, primæ tamen sedes vagæ

[Conc. tom. ii. col. 1101, C.]

erant ac desultoriæ, nunc hæc, nunc illa, prout Episcopos post ordinationem iis diutius præsidere contigit. Inter omnes enim cujusque provinciæ Episcopos, is, qui primus consecratus fuerat, aliorum primus dictus est, et sedes ejus totius provinciæ prima. Hoc sensu in collectione Canonum Africanorum, Nicetius dicitur Episcopus primæ sedis Mauritanie Sitifensis, et Xantippus Episcopus primæ sedis Numidiæ. Qui quidem Xantippus senex sæpe appellatur, ut Can. XC. C. alibique. Hinc ortum habuit singulare illud Afris censuræ genus, quo Episcopus, licet non episcopatu, illius tamen primatus obtinendi jure depositus est, adeo ut, etiamsi tamdiu viveret, ut ordinationis respectu primus istius provinciæ Episcopus esset, illum tamen primatum aliorum ad instar habere non possit. Hujus censuræ generis S. Augustinus meminit, et Priscum quendam eo affectum docet. *Clamet, inquit, Priscus provinciæ Cæsariensis Episcopus, Aut ad primatum locus sicut cæteris et mihi patere debuit, aut episcopatus mihi remanere non debuit.* Quæ quidem observatio quamplurimis ejusdem sanctissimi Patris, necnon Gregorii M., et Africanarum præsertim Synodorum locis lucem haud exiguam feret.

Can. lxxxv.
[Conc. tom.
ii. col. 1100,
C, D; Can.
lxxxvi. col.
1101, B.]
[Ibid. coll.
1105, A;
1117, A.]

Aug. Epist.
ccxi. [Ben.
ccix. Papæ
Cælestino,
sect. 8. Op.
tom. ii. col.
1182, A.]

X. Verumenimvero ista Episcoporum ad provinciæ suæ primatum ordine succedentium consuetudo, ut nullibi præterquam in Africa obtinuit, sic et ibidem post D. Cypriani tempora, imo quidem post novissimam illam Africæ latius sumptæ in sex provincias distributionem introducta est. Nam ante Constantini M. imperium nulla hujusce ritus vestigia in omni antiquitate apparent. Cum nos itaque de tribus prioribus Christianismi seculis agamus, nihil moramur, quot quantive Primates in Ecclesiam Africanam postea invecti sunt. Præsertim cum, quotcunque fuerint, Episcopo Carthaginensi eos omnes subjectos fuisse, adeo certum sit et omnibus notum, ut nihil certius, nihil notius esse possit, nisi hoc fortasse, quod D. Cyprianus Africæ, non modo proprie, sed et latius sumptæ, Primas fuit et Metropolitanus. De hoc enim nihil plane est quod dubitemus, cum ipse conceptis verbis asseveret, non tantum Africam stricte dictam, sive Proconsularem, verumetiam Numidiam, et duas Mauritanias ei cohærentes, ad se pertinere. E quibus quatuor provinciis totus Africanus tractus Imperio Romano unquam subjectus

constitit. Cum autem in singulis hisce provinciis quamplurimi istis etiam diebus Episcopi essent, quibus omnibus D. Cyprianus, ut Episcopus Carthaginensis, præfuit, eosque ad Synodos sub se habitas sæpe convocavit, nemo negare potest, quin is primus istius gentis Episcopus jure appelletur, talis scilicet de quo hoc Canone Apostolico decernitur, ut reliqui ejusdem gentis Episcopi eum agnoscant, et tanquam caput existiment, nihilque, quod magni sit momenti, præter ejus sententiam faciant. Quod quidem ab Episcopis Africanis religiosissime observatum est, quippe qui Primatem suum, D. Cyprianum Carthaginensem, de omnibus ecclesiasticis, majoris saltem momenti, quæ emergebant, negotiis consulere, ejusque sententiam expectare consueti sunt. Sic Fidus unus ex Episcopis ei subjectis consilium ejus exquisivit de presbytero quodam, cui, antequam plenam pœnitentiam egisset, pax a Therapio Episcopo concessa est; necnon de infantibus, utrum intra secundum vel tertium diem, quo nati sunt, annon potius post octavum diem, baptizandi sint.⁷ Euchratus, Episcopus Thenarum, eum, ut Patris ipsius verbis utar, *consulendum existimavit* de histrione quodam, qui in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverabat, an communicare cum aliis debeat. Cui D. Cyprianus hæc inter alia rescripsit, *Puto nec majestati Divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor et honor Ecclesiæ tam turpi et infami contagione fœdetur*. Januarius et cæteri Episcopi Numidiæ sententiam D. Cypriani interrogarunt, vel, si cum ipso loquar, *consulendum eum pro*

Cyprian.
Epist. lix.
[Pamel.
lxiv. Fell.]
ad Fid.

Id. Epist. lxi.
[Pamel. ii.
Fell. p. 4.]

Id. Epist.
lxx. [p. 189.]

⁷ [“ Legimus literas tuas, frater carissime, quibus significasti de Victore quondam presbytero, quod ei, antequam pœnitentiam plenam egisset, et Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temere Therapius, collega noster, immaturo tempore, et præpropere festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis movit, secessum esse a decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum et plenum tempus satisfactionis, et sine petitu et conscientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac necessitate cogente, pax ei concederetur. Sed librato apud nos diu consilio,

satis fuit objurgare Therapium, collegam nostrum, quod temere hoc fecerit; et instruxisse, ne quid tale de cætero faciat. . . . Quantum vero ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos, baptizari non oportere, et considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem eum qui natus est baptizandum et sanctificandum non putares; longe aliud in Concilio nostro omnibus visum est.”—Cypr. Ep. lix. Pamel. lxiv. Fell. pp. 158-160.]

Cyprian.
Epist. lxxiii.
[p. 198.]
Id. Epist.
lxxi. [p. 193.]

Id. Epist.
lxv. [Pamel.
iii. Fell. p.
5.]

communi dilectione existimarunt de hæreticis baptizandis. De eadem quæstione consilium ejus adhibuit etiam Jubai-
anus Episcopus Africae. Necnon Quintus Episcopus in
Mauritania. Ut aliis autem hujusmodi exemplis, quæ in D.
Cypriani Epistolis passim occurrunt, supersedeamus, Rogatianus Episcopus a Nova, in Mauritania Tingitana, diaconum
quendam habuit, qui ipsum contumeliis et injuriis affecerat :
eum Rogatianus episcopali sua auctoritate coercere potuit ;
sed nihilominus, priusquam ipse in eum animadverteret, Primatis sui D. Cypriani sententiam rogavit, qui Epistolam
suam ad eum rescriptam his verbis incipit, *Graviter et dolenter commoti sumus ego, et collegæ (mei), qui præsentés aderant, frater carissime, lectis literis tuis, quibus de diacono tuo conquestus es, quod immemor sacerdotalis loci tui, et officii ac ministerii sui oblitus contumeliis et injuriis suis te exacerbaverit. Et tu quidem honorifice circa nos et pro solita tua humilitate fecisti, ut malles de eo nobis conqueri, cum pro episcopatus vigore et cathedræ auctoritate haberes potestatem, qua possis de illo statim vindicari; certus quod collegæ tui omnes gratum haberemus, quodcunque circa diaconum tuum contumeliosum sacerdotali potestate fecisses, habens circa hujusmodi homines præcepta divina.* Ex his verbis constat Rogatianum a diacono suo contumelioso episcopali sua auctoritate debitas pœnas exigere potuisse, sed maluisse tamen ad Primatem suum de eo conqueri ; quod itaque honorifice circa ipsum et pro solita humilitate ab eo factum notat D. Cyprianus. Ac si dixisset, ‘ Etiamsi ecclesiastica disciplina requirat, ut nihil, quod magni sit momenti, et ad totam provinciam spectat, nobis inconsultis aggrediaris, nihil tamen vetuit, quo minus de tuo ipsius diacono injuriis te exacerbanti, propria tua Episcopi auctoritate, vindictam sumeres. Quod itaque de illo etiam ad me conquestus es, hoc solitæ tuæ humilitati acceptum refero, qua scilicet nostro in hanc provinciam primatui tantum attribuere soles, ut nullum ecclesiasticum negotium nec in tua ipsius parœcia sine nostro consilio administrare velis.’ Unde liquet, quantum honorem Episcopi Africani Metropolitano suo et Primati Carthaginiensi tunc temporis perhiberent.

XI. Qui vetusta primitivæ Ecclesiæ monumenta, qua par est diligentia atque animi æquitate, legit, plura hujusmodi

argumenta inveniet, quæ ordinem inter ipsos Episcopos religiose observatum, unumque in unaquaque provincia cæteris prælatum esse, longe ante Synodi Nicænæ tempora fidem plenissimam facient. Hæc autem, quæ hactenus adduximus, præsentī Apostolico vindicando Canoni sufficiant, utpote e quibus aliqualem nonnullorum supra alios Episcopos primatum et prærogativam secundo tertioque æræ Christianæ seculo in omnibus tunc dierum cognitis orbis terrarum partibus, Europa dico, Asia, et Africa, obtinuisse, clarissime conficitur. Qualia fuerunt jura ac privilegia, quæ Primate isti sibi vindicabant, non opus est hic disputemus. Ex iis autem, quæ disseruimus, satis abunde constat, in eorum potestate situm fuisse collegas suos sive comprovinciales Episcopos ad ecclesiasticas Synodos celebrandas convocare, iisdemque præsidere. Et siquidem Concilium Nicænum quarto ineunte seculo coactum, eodem, quo antiquas consuetudines in singulis provinciis servandas decrevit, Canone, decernat etiam neminem pro Episcopo habendum esse, qui præter vel citra Metropolitanī sententiā ordinatus est, nihil dubii esse potest, quin hæc etiam consuetudo antiquitus obtinisset, ut τὸ κῆρος, sive confirmatio ordinationis Episcoporum penes provinciæ cujusque Metropolitanum sive Primate esset. Nemo enim sibi persuadeat, Patres Nicænos aliquid novi eodem in loco definiisse, quo τὰ ἀρχαῖα ἔθνη servari definiunt. Ista autem Synodus ex omnibus, Romani saltem Imperii, provinciis congregata est; quam propterea latere non potuit, quinam ritus moresque per universam Ecclesiam recepti fuissent, et longa consuetudine corroborati. Ignorare saltem non potuerunt, quomodo Ecclesiæ, ad quas ipsi pertinebant, administratæ fuerant, nec quomodo ipsi ordinati, et a quo ipsorum ordinatio confirmata est. Ipsi autem constituunt neminem Episcopum habendum esse, qui sine Metropolitanō factus est. Quo quidem decreto se etiam episcopatu deiecissent, nisi Primas suus aut Metropolitanus ordinationem cujusque confirmasset; vel ei saltem assensum suum præbuisset. Iste itaque Canon Nicænus non modo decernit, quid in futurum de hac re faciendum sit, sed ostendit etiam quid antea factum fuerat, ac usitatum, idque in universo terrarum orbe, omnibusve

[Can. Nic.
VI. Pan.Can.
tom. I. p. 66,
A.]

provinciis, e quibus convocata est ista Synodus. Et hoc itaque privilegium, quod sane singulare est, et eximium, antiquis provinciarum Primatibus haud dubie concessum est, ut se inconsultis, vel ordinationem improbantibus, vel etiam non confirmantibus, nullus Episcopus in sua cujusque provincia ordinari possit. Quod præsentis quoque Canonis Apostolico præcise concinit, quo scilicet cautum est, ut Episcopi cujusque gentis Primum suum, sive Primatem, cognoscant, nihilque quod magni sit momenti, qualis est ordinatio Episcoporum, sine ejus sententia faciant.

Sed mirari subeat, nec quidem immerito, qua tandem ratione hæc consuetudo in Ecclesiam primo introducta sit, ut licet episcopatus ubique gentium unus idemque sit, unus tamen in unaquaque provincia Episcopus cæteris præesset, et majorem, quam reliqui, auctoritatem haberet. Hoc sane ordinationis, qua sit Episcopus, virtute nemo sibi vindicare potest, quippe qua omnes æqualem potestatem curamque sibi commissam habent. Quod si Concilia generalia et vetustiora Ecclesiæ statuta consulamus, nihil prorsus de prima hujus consuetudinis institutione, vel etiam initio, in iis inveniemus. Incepta est enim, vel instituta, priusquam universalia Concilia celebrari cœperint, quæ propterea eam nusquam instituunt, sed prius institutam ubique supponunt, et sua demum auctoritate confirmant. Quod ad antiquiores autem Canones spectat, longe ante primam universalem Synodum constitutos, nullos habemus, præter Apostolicos, quibus ulla primatus hujus mentio occurrit. Quin nec in ipsis etiam Apostolicis uspiam memoratur, præterquam in præsentis Canone. Quo tamen non decernitur, ut in unaquaque gente unus Episcopus esset primus, sed ut omnes cujusque gentis Episcopi τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, *illum, qui in iis primus est*, cognoscant, et tanquam caput existiment. Ubi propterea pro concessio sumitur, quotcunque in ulla gente Episcopi erant, unum inter eos Primum fuisse, sive Primatem, eundemque reliquorum caput esse, atque ita proinde ab illis existimandum. Nulla itaque primæ hujusce rei institutionis vestigia videre est, quam nihilominus ab ipsis Ecclesiæ primordiis ubique gentium obtinuisse pro comperto habemus. Quapropter vix dubitare licet, quin aliquo

saltem modo ad ipsos Apostolos referatur, qui, si non ipsi hunc primatum instituerunt, instituendo tamen viam straverunt apertissimam.

XII. Enimvero cum fides Evangelica, summa Dei misericordia ac benignitate, humano generi promulganda erat, a Divina providentia ita comparatum est, ut permagna pars orbis terrarum tunc dierum cogniti uni Imperio, Romano scilicet, subesset, quo facilius salutifero hominibus Evangelio disseminando aditus patefieret. Totum autem Imperium Romanum, quantum quantum erat, in certas quasdam provincias distributum fuit. Singulæ porro provinciæ suos habebant Præsides, a quibus administrabantur. Hi summam post Principem, in sua quisque provincia, potestatem exercebant. Ulpianus, *Præses provinciæ majus imperium in ea provincia habet omnibus post Principem*. Adeo ut totius cujusque provinciæ cura Præsidi ejusdem commissa esset, ut e citato Digestorum titulo abunde constat. Quin singulæ etiam provinciæ suas habebant matrices, ut vocantur, civitates, sive Metropoles, in quibus Præsides, aliique sub iis magistratus, causas civiles audire, et judicare solebant; ad quas propterea multo crebrior et frequentior erat populi concursus, quam ad alias quascunque ejusdem provinciæ urbes: adeo ut cæteræ cujusque provinciæ civitates a Metropoli sua quodammodo pendere viderentur.

[Lib. xxxix. ?
ad Edictum,
apud Pand.
lib. i. tit. 18.]
de Officio
Præsidi. [leg.
iv. Corp. J.C.
tom. i. p.
125, col. 1.]

Cum Apostoli itaque, cœlitus evocati et adjuti, Ecclesiæ a Christo fundatæ per universum terrarum orbem propagandæ operam navarent, Imperium Romanum, ubi religio Christiana multo citius faciliusque, quam apud rudiores gentes, suscepta est, ita dispositum invenientes, omnes ejusdem provincias singillatim peragrabant, et ubicunque aliquos ad fidem Christianam converterant, Ecclesiam ibidem instituebant, ab ista provincia denominatam, in qua constituta est, vel a primaria aliqua ejusdem civitate. Hierosolymis, quæ istis diebus nondum deleta provinciæ Palæstinæ Metropolis erat, et Judææ caput, Ecclesia prima fundata est, quæ propterea Ecclesia Hierosolymitana dicitur, Ἡ ἐκκλησία ἡ ἐν ταῖς Ἱεροσολύμοις. Sic etiam Ecclesia in Antiochia Syriæ Metropoli memoratur. Et alia in Corintho Metropoli Achaiæ. Adhæc D. Paulum Syriam et Ciliciam peragrasse legimus Ecclesias confirmantem, necnon Gala-

Act. viii. 1;
xi. 22.
Act. xiii. 1.

1 Cor. i. 1;
2 Cor. i. 1.
Act. xv. 41.

Ib. xviii. 23.

tiam et Phrygiam. Syria, Cilicia, Galatia, et Phrygia, quatuor erant provinciæ Imperio Romano subditæ. Proinde Ecclesiæ, quas D. Paulus ibi confirmasse dicitur, istæ haud dubie erant, quæ in illis provinciis constitutæ fuerant, quæque ab aliis quibuscunque Ecclesiis per provincias, in quibus constitutæ sunt, apertissime distinguuntur. Idem Apostolus in Epistolis Ecclesias a provinciis, in quibus fundatæ erant, sæpe cognominat; memorat enim Ecclesias Galatiæ; Ecclesias Asiæ; Ecclesias Macedoniæ; Ecclesias Judææ. Hoc est, Ecclesias in istis provinciis constitutas, quarum Metropoles erant, Galatiæ quidem Ancyra, Asiæ Ephesus, Macedoniæ Thessalonica, et Judææ Hierusalem. Quinetiam sub Macedoniæ et Achaia nomine Ecclesias istarum provinciarum comprehendit. Unde Apostolos ad civilem Imperii Romani dispositionem in Ecclesia propaganda respectum habuisse constat. Alioquin enim Ecclesias a se fundatas provinciarum, in quibus erant, nomine non nuncupassent.

2 Cor. xvi. 1.
Ver. 19.
2 Cor. viii. 1.
Gal. i. 22;
1 Thess. ii. 14.

Rom. xv. 26.

XIII. Qualem præterea quantumque provinciarum respectum habuerit D. Paulus, in Ecclesiis ab ipso aliisque constituendis, ex Epistolis, quas ad easdem scripsit, clarius adhuc elucescet: utpote quas omnes vel ad provinciam in genere, vel ad Metropolim, aut principalem in ea civitatem, vel denique ad Episcopum ejusdem misit. Primo enim, ut eodem, quo vulgo collocantur, ordine de iis disseramus, ad Romanos scripsit, hoc est ad omnes fideles, qui non modo in ipsa urbe Roma, sed et in tota ista provincia erant, cujus cura Præfecto urbi commissa est: qui quidem civilem exercuit potestatem non tantum intra urbem, sed et extra urbem in Italia, ut ex Epistola Severi ad Fabium Cilonem Præfectum urbi missa docet Ulpianus.⁸ Quicquid saltem intra centesimum lapidem, vel centesimum ab urbe usquequaque milliarium, admissum est, ad Præfecti urbi curam pertinebat, ut ibidem affirmatur. Quicumque igitur intra hosce limites

⁸ [“ Omnia omnino crimina præfectura urbis sibi vindicavit; nec tantum ea quæ intra urbem admittuntur; verum ea quoque, quæ extra urbem (intra Italiam), Epistola Divi Severi

ad Fabium Cilonem Præfectum urbi missa declaratur.”—Ulpian. lib. singul. de officio Præfecti Urbi, apud Pand. lib. i. tit. 12, leg. 1. Corp. J. C. tom. i. p. 121, col. 2.]

in Italia degebant, Romani dicti sunt. Cum Apostolus itaque ad Romanos scribit, omnes intelligit Christianos, qui in provincia, ut ita loquar, Præfecti urbi Romæ conversi erant, ac proinde hanc Epistolam ad istam, ut ab aliis provinciis distinctam, misit. Ad Corinthios duas conscripsit epistolas, quarum primam inscripsit, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῆ [1 Cor. i. 1.] οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ. Alteram autem hoc modo, Παῦλος Ἀπόστολος 2 Cor. i. 1. Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ θελήματος Θεοῦ, καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφός, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῆ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ, σὺν τοῖς ἁγίοις πᾶσι τοῖς οὔσιν ἐν ὄλῃ τῇ Ἀχαΐᾳ. Corinthus Metropolis erat Achaia. Scribit igitur Apostolus ad Corinthios quidem, sed ea cautione adhibita, ut Epistola non solum ad eos, verum etiam ad omnes fideles, qui in eadem provincia, Achaia scilicet, erant, dirigatur. Et istis igitur diebus Achaia ecclesiastica erat provincia sub Ecclesia Metropolitana constituta, Corinthiaca nimirum, quam propterea Apostolus solam nominat. Porro Galatia provincia erat Romana. Quapropter Apostolus ad Galatas scribens, Epistolam suam inscripsit, ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Γαλατίας, *Ecclesiis Galatiæ*. [Gal. i. 1.] Ad totam itaque provinciam, et ad singulas in ea Ecclesias scripsit, cujus Metropolis erat Ancyra, ut Ephesus Asiae Proconsularis: ad quam propterea provinciam cum Apostolus Epistolam scriberet, eam ad Ephesios, sive ad fratres in Metropolitana Ecclesia misit. Scripsit etiam ad Philipenses, incolas magnæ in Macedonia civitatis, quæque prima erat urbs illius partis Macedoniae, ut ait S. Lucas. Ad Act. xvi. 12. Colossenses etiam in Phrygia scripsit, τοῖς, inquit, ἐν Κολοσσαῖς ἁγίοις. Hæc permagna erat præclaraque Phrygiæ civitas, quæ majori, ut videtur, fidelium multitudine, quam cæteræ ejusdem provinciæ urbes, abundabat, a qua propterea ad alios in eadem provincia Christianos Apostolica hæc Epistola facilius transmitti potuit. Et quod ad Philippos rursum spectat, etiamsi ea non esset totius Macedoniae Metropolis, Thessalonica erat, ad cujus incolas fide Christiana imbutos Apostolus duas conscripsit Epistolas, utramque inscribens τῇ ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων, *Ecclesiæ Thessalonicensium*, quam etiam per Dominum abjurat, ut prima [1 Thess. i. 1.; 2 Thess. i. 1.] Epistola omnibus sanctis fratribus legatur; hoc est, non 1 Thess. v. 27. solum istius urbis, sed et totius provinciæ Macedoniae fra-

1 Thess. iv.
10.

tribus, in quos fraternum Thessalonicensium amorem commendat.

Euseb. Hist.
Eccles. lib.
iii. cap. 4, [p.
91.]

Ephesum Asiæ Proconsularis Metropolim fuisse, ante a nobis observatum est. Timotheum hujus urbis Episcopum a D. Paulo creatum esse Patres consentiunt, *Τιμόθεός γε μὴν τῆς ἐν Ἐφέσῳ παροικίας ἱστορεῖται πρῶτος τὴν ἐπισκοπὴν εἰληχέναι, Timotheus Ecclesiæ Ephesinæ Episcopatum primus accepisse dicitur.* In Actis Concilii Chalcedonensis XXVII. Episcopi a Timotheo ad istud tempus Ephesi ordinati dicuntur.

Conc. Chalced.
Act. xi.
[Conc. tom.
iv. col. 699,
C.]
1 Tim. i. 3.

Ἀπὸ τοῦ ἀγίου Τιμοθέου μέχρι νῦν εἰκοσιεπτὰ ἐπίσκοποι ἐγένοντο, πάντες ἐν Ἐφέσῳ ἐχειροτονήθησαν. Ipse etiam D. Paulus se curam Ecclesiæ Ephesinæ Timotheo commisisse affirmat, eumque propterea docet, quales Episcopos et diaconos ordinare debeat, monetque, ne accusationem contra presbyterum admittat, nisi sub duobus tribusve testibus. E quibus verbis S. Chrysostomus recte observat, Timotheum non tantum Ephesinæ, sed et totius Asianæ Ecclesiæ curam sibi concreditam habuisse, *Δῆλον, inquit, δὲ ἐστὶν ἐντεῦθεν, ὅτι ἐκκλησίαν*

Chrysost. in
1 Tim. [Hom.
xv. ad cap. v.
vers. 19. Op.
tom. iv. p.
313.]

λοιπὸν ἦν ἐμπειπιστευμένος ὁ Τιμόθεος, ἢ καὶ ἔθνος ὀλόκληρον τὸ τῆς Ἀσίας· διὸ καὶ περὶ πρεσβυτέρων αὐτῷ διαλέγεται. Hinc itaque apparet, quare D. Paulus has Epistolas ad Timotheum Ephesinum Episcopum, eumque solum, direxerit, etsi complures alii in eadem provincia Episcopi non modo a Timotheo, verum etiam ab ipso Apostolo ordinati essent, nimirum quod is Metropoli totius provinciæ sive gentis præfectus erat, atque ideo Primus inter eos Episcopus. Idem dicendum est de Epistola ad Titum; quem totius insulæ Cretæ Primatem fuisse, sive Primum Episcopum, ex ipsis D. Pauli ad eum verbis liquido constat, dicentis, *Τούτου χάριν κατέλιπόν σε ἐν Κρήτῃ, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγὼ σοὶ διεταξάμην.* Hinc enim constat totam insulam ejus curæ commissam fuisse: adeo ut penes ipsum esset, quicquid in ea deerat corrigere, atque etiam presbyteros, sive Episcopos, ut constat e versiculo septimo, per singulas civitates ordinare. Id enim phrasis illa *κατὰ πόλιν* clarissime significat, quemadmodum et *κατ' ἐκκλησίαν.* Non mirum itaque est, quod D. Paulus ad illum solum hanc Epistolam miserit, cum is Metropolitanus esset, et Primus totius insulæ sive provinciæ istius Cretæ Episcopus, quæ

Tit. i. 5.

Act. xiv. 23.

hodie 'Candia' dicitur, centum urbibus olim clara, quarum Metropolis erat Gortyna.

Ex hisce videre est, quod D. Paulus, cum Ecclesias a se aliisque Apostolis fundatas in fide Christiana instruere et confirmare studeret, Epistolas vel ad totam in aliqua provincia Ecclesiam, ut ad Romanos, et ad Galatas, vel ad Metropolitanam, vel primariam provinciæ Ecclesiam, ut ad Corinthios, Ephesios, Colossenses, et Thessalonicenses, vel denique ad Primum in provincia Episcopum, Metropoli præfectum, ut ad Timotheum et Titum, direxerit. Ad eundem etiam modum D. Petrus primam suam Epistolam inscribit ^{1 Pet. i. 1.} Christianis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, et Bithyniam dispersis. Quæ singulæ Romanæ erant provinciæ, quarum Metropoles erant, Ponti quidem Amasea, Galatiæ Ancyra, Cappadociæ Cæsarea, Asiæ Ephesus, et Bithyniæ Nicomedia. Unde nihil apertius esse potest, quam ambos hos Apostolos, Paulum et Petrum, Ecclesias respexisse, tanquam in provinciis juxta civilem Imperii dispositionem constitutas.

XIV. Sed quandoquidem hæc observatio ad eruendam Metropolitanorum et primatum ecclesiasticorum originem plurimum conducet, eam clarius, quoad fieri potest, firmissusque adhuc adstruemus, idque primo non e singulari aliquo Apostolo, sed ex universa ista S. Apostolorum Synodo Hierosolymis habita, cujus Acta hodieque exstant. Ubi ^{Act. Apost. [cap.] xv.} nimirum legimus, quod, orta inter primos Christianos controversia, de circumcissione et lege Mosaica Gentilibus imponenda, Paulus et Barnabas, aliique Antiochia Hierosolymas ascendebant, ibique cum Apostolis et presbyteris Synodum celebrabant. Cum vero consilium de quæstione proposita habuissent, et in utramque partem deliberassent, illis tandem visum est decretum ea de re edere, illudque ad Ecclesias, ubi exorta est controversia, mittere, in Epistola synodica hanc inscriptionem præferente, ^[Id. ver. 23.] *Οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοί, τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ Συρίαν, καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν, χαιρεῖν. Apostoli, et presbyteri, et fratres iis, qui sunt Antiochiæ, et in Syria et Cilicia fratribus, qui sunt ex gentibus, salutem.* Missa est igitur hæc Epistola ad duas Imperii Romani provincias, ad Syriam scilicet et Ciliciam, prioris etiam Metropoli, Antiochia, priori in loco

Act. Apost.
xv. 30.

nominata. Quare Paulus, et Barnabas, aliique cum Epistola a Synodo dimissi Antiochiam venerunt, ibique eam tradiderunt. Unde liquet Antiochiam Syriæ Metropolim a tota ista Apostolorum Synodo cæteris provinciæ istius urbibus prælatam fuisse, usque adeo ut Epistola hæc, ad totam provinciam scripta, illuc directe mitteretur, ibique primo legeretur. In aliis vero, tam Syriæ, quam Ciliciæ, urbibus a D. Paulo haud exiguo post tempore tradita videtur, cum ille una cum Sila istas provincias peragrabat, confirmans Ecclesias in iis constitutas, ut ultimo ejusdem capituli versiculo legimus. Unde Apostolos in fide propaganda, non tantum ad provincias, verumetiam ad Metropolim cujusque provinciæ peculiarem respectum habuisse indubium redditur.

Unum adhuc superest, illudque nobilissimum huic illustrandæ rei argumentum, ex Actis S. Apostolorum petendum, et a S. Joannis Apocalypsi confirmatum. Etenim vicesimo Actuum capite legimus D. Paulum Hierosolimam proficiscentem, cum decrevisset præternavigare Ephesum, ne tempus in Asia tereret, Miletum venisse, quæ urbs erat Ioniæ, Epheso Asiæ Metropoli xxx. mill. pass. plus minus distans. Cum hic itaque esset D. Paulus, nuncios Ephesum misit, per quos presbyteros sive Episcopos Ecclesiæ illius ad se accersivit, eos scilicet, qui Epheso, aliisque Asiæ civitatibus præerant, ut testatur Irenæus, qui de Episcopis a D. Paulo tunc temporis convocatis loquens, ait, *In Mileto enim convocatis Episcopis, et presbyteris, qui erant ab Epheso, et a reliquis proximis civitatibus.* Quod ex ipsis etiam D. Pauli verbis comprobetur. Illis enim ad eum congregatis D. Paulus in memoriam revocat, quomodo ipse se gesserat ab eo usque tempore, quo ingressus est Asiam,

Iren. [con.
Hær.] lib. iii.
cap. 14, [sect.
2, p. 201, col.
2.]

Act. xx. 14.

Vos, inquit, scitis, quomodo a primo die, quo ingressus sum Asiam, vobiscum per id omne tempus essem. Quamplurimos sane ad fidem ante hæc converterat, usque adeo ut Deme-

Id. xix. 26.

trius ἀργυρολόπος asseruerit, *Paulum istum non solum Ephesi, sed totius fere Asiæ magnam multitudinem persuadendo avertisse, dicentem deos illos non esse, qui manibus fiunt.* Cum is itaque omnes presbyteros, Episcoposve, Miletum accersitos testes advocet, quomodo se gesserat, ex quo Asiam ingressus est, manifestum exinde redditur, Episcopos illos ex tota Asia convocatos esse, alioquin enim haud idonei fuissent testes,

quomodo se in ista provincia gesserat. Per quos etiam *se* Act. xx. 25. *transiisse* dicit, *regnum Dei prædicantem*. Quod dici vix potuit, nisi illi in diversis illis, quas ipse transierat, civitatibus constituti essent. Sed nihilominus, etiamsi omnes, quos tunc temporis convocabat Apostolus, Ephesi non essent, sed alii aliis præessent Ecclesiis, Ephesum tamen eos omnes ad se accersitum mittebat. Quid ita? nisi quod Ephesus totius provinciæ Metropolis erat, cujus propterea Episcopus cæteros omnes Asiæ Antistites Miletum, ubi D. Paulus eos exspectabat, convocare poterat? Necessario saltem exinde conficitur, majorem Ephesi, quam aliarum istius provinciæ urbium, in hoc negotio rationem habitam fuisse, utpote ad quam solam mittebat Apostolus, etiam cum omnes ecclesiasticos per totam istam provinciam præfectos convenire voluit. Quinetiam per totam hanc historiam D. Paulus de Asiana, tanquam de singulari, et ab aliis quibuscunque secreta, Ecclesia loquitur, eamque totam *παίμνιον* vocat, *gregem* scilicet, in quo seniores illos, quos convocaverat, Episcopos a Id. xx. 28. Spiritu Sancto constitutos esse affirmat. Unde liquet istam provincialem, vel, si ita loquar, nationalem fuisse Ecclesiam, in qua plurimi erant Episcopi, inter quos Ephesinus, ut provinciæ Metropoli præfectus, Primus erat, et Metropolitanus. Quod e S. Joannis insuper Apocalypsi lucem pleniorē mutuatur: quippe qua legimus D. Joannem in mandatis a Deo accepisse visiones suas mittere ad septem Ecclesias, quæ erant in Asia, hoc ordine numeratas, ad Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardes, Phila- Apocal. i. 11. delphiam, et Laodiceam. Joannes autem literas illas ex Dei mandato scriptas Angelo, sive Episcopo, cujusque e septem illis Ecclesiis inscripsit, ad hunc modum, *τῷ ἀγγέλῳ τῆς* Id. ii. 1. *Ἐφεσίνης ἐκκλησίας. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐκκλησίας Σμυρναίων,* Id. ii. 8. et sic in reliquis. Multa hinc observare licet ad rem nostram facientia. Primo enim hinc constat, septem saltem Ecclesias in una ista provincia, Asia scilicet Proconsulari, tunc temporis fuisse. Constat etiam, septem istas Ecclesias in septem celeberrimis Asiæ civitatibus constitutas esse, et ab iisdem prænominatas, unam quidem *τὴν Ἐφεσίνην ἐκκλησίαν*, alteram *τὴν ἐκκλησίαν τῶν Σμυρναίων*, tertiam *τὴν ἐν Περγάμῳ ἐκκλησίαν*, et sic deinceps. Constat itidem, singulis hisce Ecclesiis singulos Angelos, sive Episcopos, præfectos esse,

quibus propterea D. Joannes literas illas inscripsit, quas ad Ecclesias istas mittere jussus est. Constat denique, corpus quoddam Episcoporum in Ecclesia Asiana ad modum provinciae constitutum esse, cui Ephesinus, ut Metropoleos Episcopus, praefuit: hic enim primus utrobique memoratur, caeterisque praefertur, tam ubi de omnibus nimirum agitur, ut Apoc. cap. i., quam ubi de singulis, cap. ii.

XV. Qui praemissa maturo judicio aequoque animo expendit, incertus pendere nequit, unde horum supra alios Episcoporum primatus originem traxerit. Ex iis enim, quae ex ipsis S. Scripturis hucusque disputavimus, luculente patet, Apostolos in Ecclesia propaganda ad civilem Imperii Romani in certas quasdam provincias distributionem respexisse, usque adeo, ut majorem Metropoleon, quam aliarum cujusvis provinciae civitatum, rationem habuerint; ad Imperii scilicet exemplum, quo idem accurate observatum esse advertabant. Quod quidem non sine summa ratione ab iis factum est. Hoc enim modo Ecclesia et facilius propagari, et propagata melius administrari potuit. Enimvero haud possibile fuit, ut Apostoli singulas civitates, tanto locorum intervallo a se invicem disjunctas, saepe visitarent, et caveant ipsi, ne fideles in iis constituti vel a religione recenter suscepta recederent, vel haereticis pravisque opinionibus corrumperentur. Hinc necesse iis visum est, in singulis, quas peragrabant, provinciis, unam eligere civitatem, in quam summam conferrent curam, eidemque talem praeficerent pastorem sive Episcopum a seipsis probatum et ordinatum, qui reliquas cujusque provinciae urbes ipsorum loco inspiceret, et curaret, ut ab Episcopis suis juxta Apostolica praeccepta administrarentur, atque ut Episcopus in unaquaque civitate constitueretur, simul ac ad fidem Christianam conversa est. Huic autem rei nulla in plerisque provinciis commodior aptiorve inveniri potuit civitas, quam reliquarum mater, sive totius provinciae Metropolis, utpote a qua caeterae quodammodo penderent, ejusque exemplum sequerentur; in qua etiam major esset hominum concursus, eo quod praeses in ea sedere, omnesque civiles in tota provincia exortas causas judicare solebat. Quamobrem Apostoli, etiamsi singulas peragrarent provincias, summam tamen ad Metropoles curam jure meritissimo contulerunt,

ad Romam Imperii caput, ad Antiochiam Metropolim Syriae, ad Corinthum Metropolim Achaiae, ad Ephesum Metropolim Asiae, ad Thessalonicam Metropolim Macedoniae, etc., ut e supradictis patet.

Cum ipsi igitur Apostoli in Ecclesia propaganda tantam provinciarum et Metropoleon rationem habuerint, exemplo quidem, licet non praeepto suo, Metropolitanis et Primatibus in Ecclesia instituendis occasionem praebuerunt. Illi enim, quibus post Apostolos commissa est Ecclesiae cura, eorum vestigiis, ut par erat, religiose insistentes eundem ad Metropoleon Episcopos respectum retinuerunt, eos Primos cujusque gentis, sive provinciae Episcopos existimantes. Hinc fit, quod ab ipsis Apostolicis temporibus, ut Ecclesia in easdem ac Imperium provincias distributa fuit, sic et Metropolis cujusque provinciae, in Ecclesiae aequae ac in Imperii notitia, primatum aliquem supra reliquas ejusdem civitates semper obtinuit; enimvero ut Asia, ecclesiastica pariter atque civilis provincia, sic et Ephesus, utroque respectu, Metropolis ejusdem semper fuit. Idem dicatur de Achaia, et Metropoli ejus Corintho; de Syria, et Metropoli ejus Antiochia; de Galatia, et Metropoli ejus Ancyra; de Creta, et Metropoli ejus Gortyna; de Ponto, et Metropoli ejus Amasea; de Cappadocia, et Metropoli ejus Caesarea; de Bithynia, et Metropoli ejus Nicomedia; de Macedonia, et Metropoli ejus Thessalonica. Cum ipsi enim Apostoli has ut distinctas in Ecclesia provincias commemorarint, urbes supradictae in ecclesiastico etiam sensu Metropoles semper fuerunt, et ut Metropolis cujusque provinciae caeteris civitatibus, sic et Episcopus ejusdem caeteris Episcopis praelatus est: idque, non in una tantum alterave provincia, sed ubicunque suscepta est religio Christiana. Quod propterea ad Apostolos aliquo modo referamus necesse est. Quamvis enim ipsi nusquam, quod scimus, diserte praeeperint, ut unus in unaquaque regione caeteris praesesset Episcopus, nedum, ut qui Metropoli praeficitur aliis praeretur; cum ipsi tamen in Ecclesiis instituendis ad provincias juxta civilem Imperii dispositionem, necnon ad Metropoles earum, singularem respectum habuerint, haud dubitare licet, quin provinciarum in Ecclesia, ad Imperii exemplum, dividendarum forma ab ipsis Apostolis mana-

verit. Et quod ad honorem Metropoli cujusque provinciæ deferendum spectat, id etiam Apostoli, suo saltem exemplo, tradiderunt. Ipsi enim in Ecclesia propaganda luculenta satis documenta, ut ostendimus, ediderunt, quibus proximi ipsorum in Ecclesia administranda successores primatum quendam Metropoleos cujusque Episcopo attribuere edocti sunt. Quin hoc etiam ab ipsis Ecclesiæ primordiis semper et ubique observatum fuisse constat. Quod tamen fieri non potuit, nisi aliquo saltem modo ab Apostolis traditum fuisset. Quod si de privilegiis loquamur, quæ Metropoleon Episcopi sibi postea vindicarunt, hæc usu ac consuetudine paulatim introducta sunt; ac proinde majora aut minora, plura aut pauciora fuerunt, prout loci et temporis ratio postulavit. Quo factum est, ut particularia hujusmodi Metropolitanorum privilegia inter antiquos Ecclesiæ mores a Concilio Nicæno Canone sexto recenseantur, et ab universali ista Synodo confirmentur. Sed quod ad generalem eorum in sua cujusque provincia primatum attinet, istum nec ea nec alia quævis Synodus unquam instituit; sed omnes pro certo et concessio sumunt, aliqualem Metropolitanorum in alios Episcopos primatum ab Apostolica traditione acceptum, et longa ac diuturna consuetudine usque adeo corroboratum esse, ut non opus esset denuo institueretur.

XVI. Sed, ne quid dissimulare videar, nonnullas fateor civitates magno apud primos Christianos honore ornatas, summamque earum rationem habitam fuisse, ob aliam etiam rationem, præter eam, quam hactenus explicuimus, nimirum quod ab ipsis Domini Apostolis in fide Christiana instructæ fuissent, et Apostolicas propterea de doctrina et disciplina ecclesiastica traditiones sincerius, quam aliæ quæcunque civitates, conservasse censeantur. Quam etiam ob rem Ecclesiæ ab iis institutæ Apostolicæ antiquitus dictæ fuerunt. Talis fuit Ecclesia Ephesina a S. Paulo fundata, et a D. Joanne per multos annos administrata, de qua proinde Irenæus, Ἄλλὰ καὶ, inquit, ἡ ἐν Ἐφέσῳ ἐκκλησία ὑπὸ Παύλου μὲν θεμελιωμένη, Ἰωάννου δὲ παραμείναντος αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανῶν χρόνων, μάστις ἀληθῆς ἐστὶ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως. *Sed et quæ est Ephesi Ecclesia, a Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos usque ad Trajani tempora, testis est verus Apostolorum traditionis.* Idem de aliis etiam

Iren. [con.
Hær.] lib. iii.
cap. 3, [pp.
177, 178.] et
apud Euseb.
Hist. Eccles.
lib. iii. cap.
23, [p. 112.]

Ecclesiis observat Tertullianus, hæreticos ad veras Apostolorum traditiones in Ecclesiis ab ipsis institutis conservatas mittens. *Age jam, inquit, qui voles curiositatem (tuam) melius exercere in negotio salutis tuæ, percurrere Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsi-* Tertul. de Præscript. adv. Hær. cap. xxxvi. [p. 215, A.]
dent, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem et repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses: si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, (habes) Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Et negari quidem nequit, quin magna hisce, aliisque ab ipsis Apostolis fundatis, Ecclesiis auctoritas eo ipso nomine debeat, quod ab Apostolis fundatæ sunt, et authenticas eorum traditiones sibi concreditas habuerunt.

Sed observandum est, omnes propemodum, quas ab ipsis Apostolis institutas legimus Ecclesias, in primariis provinciarum urbibus sive Metropolitibus constitutas esse. Omnes saltem urbes a Tertulliano loco citato commemoratæ, Corinthus, Philippi, Thessalonica, Ephesus, et Roma, Metropoles erant, in sua quæque provincia, præter Philippos, quæ licet totius Macedoniae Metropolis non erat, erat tamen prima civitas illius partis Macedoniae, qua sita est, atque ideo quasi Metropolis, ut S. Lucas testatur. Act. xvi. 12. Quapropter hæc altera nonnullas Ecclesias aliis præferendi ratio, quod ab ipsis scilicet Apostolis fundatæ sunt, sententiam nostram usque adeo non destruit, ut confirmet potius. Et hinc enim constat ipsos Apostolos tantam Metropoleon præ aliis civitatibus rationem habuisse, ut in iis Ecclesias imprimis instituere curarent. Et quæcunque ab illis institutæ sunt Ecclesiæ, et Apostolicæ propterea dictæ, etiamsi honorem quendam ut Apostolicæ, nullum tamen in alias primatum, nisi quatenus Metropolitanæ essent Ecclesiæ, habuerunt. Quod ex Ecclesia Hierosolymitana manifesto evincitur. Hanc enim ab Apostolis, vel potius ab Ipso Servatore nostro, fundatam esse nemo inficias eat. Sed nihilominus, cum Hierosolyma non esset Metropolis Palæstinæ, sed Cæsarea, ista, licet sedes Apostolica, huic Metropolitanæ, in Ecclesiæ pariter atque in Imperii laterculo, subjecta est, adeo ut Synodus Nicæna solam honoris consequentiam Episcopo

Hierosolymitano asseruerit, primatu omni ac potestate Cæsariensi, tanquam Metropolitanato, conservata, ut ante probatum est. Et cum nonnulli, ut videtur, Episcopi, qui Ecclesias suas ab Apostolis institutas esse jactitabant, de primatu sibi propterea debito contenderint, seque, etiamsi non Metropolitanos, Primos tamen suæ gentis Episcopos esse, caputque ejusdem juxta hunc Apostolicum Canonem existimari voluerint, Synodus Antiochena istis se interposuit, et primatum cujusque provinciæ Metropoleos Episcopo asse-

Syn. Antioch.
Can. IX.
[Pan. Can.
tom. i. p. 438,
C.]

ruit, his verbis, Τοὺς καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι
 χρῆ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον καὶ τὴν φροντίδα ἀνα-
 δέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν
 συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας· ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ
 τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδέποτε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπι-
 σκόπους ἀνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαιότερον κρατήσαντα ἐκ τῶν πατέρων
 ἡμῶν κανόνα, *Episcopos, qui sunt in unaquaque provincia, scire oportet Episcopum, qui præest Metropoli, et curam suscipere totius provinciæ, eo quod in Metropolim undequaque concurrant omnes qui negotia habent. Unde visum est, eum quoque honore præcedere, reliquos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, juxta antiquiorem, qui obtinuit a Patribus nostris, Canonem.* Antiquiorem illum Canonem a Patribus Antiochenis hoc in loco memoratum ipsissimum esse Apostolicum, quem sub manibus habemus, in priori libro demonstravimus. Hic autem Apostolicus Canon Primum quidem in unaquaque gente Episcopum a cæteris agnoscendum, et tanquam caput existimandum esse decernit: sed non definit, quisnam esset Primus gentis cujusque Episcopus; verum pro concessio sumit, neminem id latere. Cum itaque in controversiam postea vocaretur a nonnullis, ut opinor, qui sedes suas ab ipsis Apostolis fundatas esse præ se ferebant, Patres Antiocheni quæstionem ita determinarunt, ut omnem cujusque provinciæ primatum isti Episcopo, qui Metropoli ejusdem præest, adjudicent, addita insuper ratione, quæ ubique valet, eo scilicet, quod in Metropolim concurrant omnes qui civilia negotia habent. Ob quam quidem rationem ipsi etiam Apostoli summam Metropoleon præ aliis urbibus curam habuerunt. Quæ cum perpetuo et ubique obtineat, Synodo Antiochenæ recte visum est, ut in unaquaque provincia is, qui Metropoli præest, cæteris qui-

[Lib. i. cap.
4, sect. 4,
tom. i. pp.
37-40.]

buscunq̄ue Episcopis præferatur. Quæ etiam Synodi Taurinensis, quinquaginta circiter post Antiochenam annis celebratæ, sententia fuit. Orta enim inter Episcopos, Arelatensem et Viennensem, quæstione de primatu, Synodus decrevit, ut is, qui se Metropoli præesse probare potuit, Primatis honorem ac potestatem haberet. En Synodi verba. *Illud deinde inter Episcopos urbium Arelatensis et Viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, a sancta Synodo definitum est, ut qui ex iis approbaverit suam civitatem esse Metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, et ipse juxta Canonum præceptum ordinationum habeat potestatem.* Unde patet, quod, non obstante Apostolica nonnullarum Ecclesiarum institutione, ea civitas, quæ in laterculo Imperii Metropolis esset, in rebus etiam ecclesiasticis primatum totius provinciæ habere debuit.

[Circa A.D. 397.]

Conc. Taurin. cap. ii. [Conc. tom. ii. col. 1156, B.]

Cum ipsi igitur Apostoli orbem ecclesiasticum, juxta civilem Imperii Romani dispositionem, in provincias distribuerint; et in unaquaque provincia singularem Metropoleos sive primariæ civitatis rationem habuerint; cum proximi etiam Apostolorum successores, eorum exemplo ducti, primas ei, qui Metropoli cujusque provinciæ præerat, in ecclesiastico regimine partes tribuerint; cum Romæ denique, Ephesi, Cæsareæ, Lugduni, Carthaginis, aliarumque matricum civitatum Episcopi secundo tertioque æræ Christianæ seculo primatum, in sua quisque provincia, obtinuerint, eundemque de facto manifestum reddiderint, ut ex ante dictis patet, nemo in posterum mirari potest, quod in hoc tricesimo quarto Apostolorum dicto Canone Primi in unaquaque gente Episcopi mentio occurrat, etiamsi juxta nostram sententiam longe ante Concilium Nicænum constitutus fuerit. Præsertim cum is simpliciter Primus suæ gentis Episcopus hic dicatur, non Metropolita, non Archiepiscopus, non Exarchus, non Patriarcha, quæ nomina postmodum in usum ecclesiasticum recepta sunt, nonnulla quidem eorum Concilii Nicæni tempore, vel paulo ante, alia vix ante quartam universalem Synodum Chalcedone celebratam. Verum de nominibus istis non opus est hic disputemus, cum rem ipsam ab ipsis Apostolorum temporibus obtinuisse pro comperto certoque habeamus, ut unus scilicet in unaquaque gente Episcopus, et quidem is qui

Metropoli ejusdem præest, primatum quendam supra cæteros et prærogativam haberet.

XVII. Quod si ad tempora Synodo Nicæna posteriora descendamus, quæcunque hucusque de Metropolitanorum primatu asseruimus, e constanti universalis Ecclesiæ usu et praxi confirmata apparebunt. In omni enim gente, in omni provincia, quæ fidem Christianam unquam suscepit, ut plures Episcopi, sic et unus inter eos Primus, sive Primas fuit, is scilicet, qui primariæ civitatis, sive Metropoleos, totius provinciæ curam gerebat, cum provincia ista ad Christum primo convertebatur. Quæcunque enim civitas tunc temporis Metropolis erat in laterculo Imperii, eadem et in Ecclesiæ laterculo Metropolis facta est, istumque honorem et primatum perpetuo retinere debet, ut ex omnibus, quas scimus ad fidem Christianam conversas, provinciis facile esset demonstrare.

Ut aliis autem hic supersedeamus, illustre hujus rei in Ecclesia hac nostra Anglicana, de qua pauca in transcurso disserere non pigebit, specimen videre est. Enimvero cum Britanni, qui fidem Christianam inter primos receperant, ab Anglo-Saxonibus ethnicis devicti, et in Cambriam cum Episcopis clericisque suis detrusi fuissent, hæc gens, quæ a victoribus istis Anglia postea cognominata est, Christianis pene nudata ad ethnicam idololatriam reversa est, *paganismi cultu in omnes terræ fines dilatato*,⁹ ut ex veteri Chronico Anglo-Saxonico observavit Joannes Fletus.¹ Aliique omnes, qui de istis scripserunt temporibus, idem attestati sunt.

De Eccles.
Westmon.
Fund. cap. i.

⁹ [“ Qui tandem totius insulæ nacti dominium secundum proprias leges in cunctis regni provinciis aras et fana diis suis erigunt, Ecclesias Christi subvertunt, Christianos ejiciunt et paganismi cultum in omnes fines terræ suæ dilatant.” — J. Fletus de Fund. Eccl. West. MS. in Bibl. Dec. et Cap. Westm. cap. i. fol. 3.]

¹ [“ Johannes Fletus . . . Anglus, ordinis S. Benedicti, et presbyter in cœnobio Westmonasteriensi suburbii Londinensis, scriptor Chronici Westmonasteriensis, libris duobus teste . . . Pitsio [Relat. Hist. de Rebus Anglicis,

tom. i.], p. 875, [Paris. 1619] ubi et Homiliarum liber hujus Fleti memoratur.” — Fabricii Bibl. Lat. Med. et Inf. Ætat. tom. ii. p. 167. Ed. Mansi, Patavii, 1754. Hujus Chronici, typis nondum mandati, tria tantum, ut videtur, exstant exemplaria MSS.; unum, idque archetypum, in Bibl. Dec. et Cap. Westm., (cujus mihi copiam fecit Decanus, Bibliothecarius contulit); alterum, A.D. MDLXXII. transcriptum, in Bibl. Coll. C. C. Cant.; tertium inter MSS. H. Wharton, (d. xciii.) in Bibl. Lambethana.]

Cæterum an. Dom. DXCVI. Augustinus cum aliis circiter quadraginta itineris comitibus a Gregorio M. Episcopo Romano huc missus est, qui, Deo adsistente, primo Ethelbertum Regem, et totam deinde Anglorum istorum gentem ad Christum convertit. Iste autem *Rex Ethelbertus eo tempore in Cantia erat potentissimus, qui ad confinium usque Humbræ fluminis [maximi], quo Meridiani et Septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines Imperii tetenderat*, ut conceptis verbis affirmat Beda. Nimirum e septem illis, quæ Saxones in hac insula possederunt, regnis, Cantium primum erectum est, cæterisque erigendis viam patefecit. Hinc est, quod primo in loco semper ponatur, quodque primatum super cætera sibi vindicavit: quem a nonnullis e regulis ei denegatum Ethelbertus vi ac armis recuperavit; adeo ut in ipsa heptarchia ille monarcha istis diebus esset, ut alii postea. Ejus saltem regnum per omnes Meridionales terræ partes usque ad Humbrum flumen extensum esse ex istis Bedæ verbis satis abunde constat. Hujus porro regni Metropolis tunc temporis erat Dorobernia, sive Cantuaria, ut ex eodem patet, dicente, *Dedit ergo (Rex) iis mansionem in civitate Dorovernensi, quæ Imperii sui totius erat Metropolis*. Non ergo solius Cantii, sed totius Anglorum Imperii istis diebus Metropolis erat Dorobernia. Quin et capite proximo idem hæc habet, *Nec distulit, quin etiam ipsis doctoribus suis locum sedis eorum gradui congruum in Doroverni Metropoli sua donaret*; quæ propterea *Regia civitas* ab eodem vocatur. Cum hæc itaque totius Anglorum gentis ad fidem modo conversæ Metropolis esset, novæ etiam Ecclesiæ in isto Imperio constitutæ Metropolis esse debuit. Et Augustinus contra Apostolicam traditionem, et constantem Ecclesiæ primitivæ disciplinam fecisset, si Metropolitanam suam sedem alibi fixisset. Aliæ enim Anglorum civitates huic subjectæ erant; ipsa etiam Londonia, sive Londinum, cui Mellitus postea præfectus est, ut ex hisce Bedæ verbis colligere licet. *Mellitum, inquit, (ordinavit) quidem ad prædicandum provincie Orientalium Saxonum, qui Tamensi fluvio dirimuntur a Cantia, et ipsi Orientali mari contigui, quorum Metropolis Londonia civitas est, super ripam præfati fluminis posita, et ipsa multorum emporium populorum terra marique venientium. In qua videlicet gente tunc temporis Sabertus nepos Ethelberti*

Hist. Angl.
lib. i. cap. 25,
[Op. tom. ii.
p. 100.]

Bed. Hist.
Ang. lib. i.
cap. 25, [p.
102.]

[Ibid. p. 106.]

Ibid. cap.
33, [p. 152.]

Ibid. lib. ii.
cap. 3, [p.
178.]

ex sorore *Ricula* regnabat, quamvis sub potestate positus ejusdem *Ethelberti*, qui omnibus, ut supra dictum est, usque ad terminum *Humbræ fluminis Anglorum gentibus imperabat*. E quibus verbis liquet, Londinum Metropolim quidem fuisse, utpote primariam regis civitatem: sed regis istius regnum nihil aliud erat, quam provincia Orientalium Saxonum, quæ ex *Estsexia*, *Middlesexia*, et parte *Hertfordiæ* constabat, iisdem scilicet limitibus, quibus *Episcopi Londinensis diœcesis* hodie, terminata. Quinetiam rex iste sub potentissimi Anglorum regis *Ethelberti*, (a quo eum regno isti præfectum esse in *Chronologia Saxonica* ad annum DCIV. legimus,) potestate erat, cujus imperium usque ad *Humbri fluminis terminum* extendebatur, aliaque præter Orientalium Saxonum regna et Metropoles eorum sub se continebat. Hujus itaque Imperii civitas regia *Dorovernia*, sive *Cantuaria*, non solius *Cantii*, sed totius *Angliæ* usque ad *Humbrum Metropolis* erat, et *Londinum* æque ac alias Saxonum civitates sibi subjectas habebat. Cum *Ecclesia* igitur in hac gente ad fidem recens conversa fundanda erat, *Apostolorum exemplum* et *universalis Ecclesiæ praxis* postulabat, ut *Cantuaria* ejusdem *Metropolis* esset, et honore *Metropolitico* in *Ecclesia*, non minus quam in *Imperio*, frueretur. Quapropter *Augustinus*, ut primus inter omnes *Angliæ Episcopus* esset, hanc primariam Imperii civitatem, rege annuente, sibi eligebat; et ab eo usque tempore *Cantuaria* jure meritissimo prima perpetuo fuit *Ecclesiæ Anglicanæ* sedes, et *Episcopi Cantuarienses Primate*s et *Metropolitani* totius *Angliæ*. Et ut parœcia, sive, ut hodie vulgo loquimur, *diœcesis Londinensis* istam *Angliæ* partem hisce diebus continet, quæ antiquitus, ut ante observatum est, regnum Orientalium Saxonum constituebat, sic etiam provincia *Cantuariensis* per totam *Angliam* usque ad *Humbrum fluvium* etiamnum protenditur, quo regnum *Ethelberti* septentrionem versus olim terminatum fuit. Unde *Ecclesiam Anglicanam* pariter atque *Apostolicas primitivasque omnes*, de quibus ante disseruimus, ad Imperii, quo sita est, dispositionem hac in re exactissime constitutam fuisse patet.

XVIII. Quandoquidem vero de sedibus *Metropolitico* hic agamus, ut antiquitus dispositis, ad pleniorum earum intelligentiam non abs re erit, si observemus insuper, sedes

[Chron. Sax.
p. 29, Edit.
Ingram.]

quidem Episcopales ab una ad aliam civitatem sæpe translatas fuisse, et jure transferri posse, sed non item Metropolitanas. Civitas enim, quæ a prima Ecclesiæ cujusvis fundatione Metropolis fuit, eundem in Ecclesiæ notitia honorem, etiamsi Imperii Metropolis esse desinat, plerumque retinere solet, et ex Canonum ecclesiasticorum præscripto semper retinere debet. Non me latet, provincias in Orientali saltem Ecclesia nonnunquam immutatas esse, et novas subinde Metropoles a Græcis Imperatoribus erectas. At imperialia ista novarum Metropoleon institutio antiquas non evertit, nec honore ipsis debito unquam spoliare potuit: utpote quibus pristina sua *πρεσβεῖα* a prima universali Synodo confirmata sunt. Et quæcunque propterea civitates ad Metropolitanam in Imperio dignitatem Imperiali auctoritate promotæ sunt, Episcopi, qui illis præsent, nomine quidem Metropolitanorum et honore fruuntur, non item potestate ulla aut jurisdictione, ne antiqui et veri Metropolitaniani jura ac privilegia violentur, ut diserte statuit Concilium Chalcedonense, Canone duodecimo hæc habens, "Ὅσαι δὲ ἤδη διὰ [Pan. Can. tom. i. p. 126, E, F.] γραμμάτων βασιλικῶν τῷ μητροπόλεως ἐτιμήθησαν ὀνόματι, μόνης ἀπολαύεωσαν τῆς τιμῆς, καὶ ὁ τὴν ἐκκλησίαν αὐτῆς διοικῶν ἐπίσκοπος, σωζομένων δηλονότι τῇ κατ' ἀλήθειαν μητροπόλει τῶν οἰκείων δικαίων. *Quæcunque autem civitates per literas Imperatorias Metropolis nomine honoratæ sunt, solo honore fruuntur, et qui ejus Ecclesiam administrat Episcopus, servatis scilicet veræ Metropoli suis juribus.* Unde simul constat eas, quæ ab initio fuerunt Metropoles κατ' ἀλήθειαν, vere et reipsa Metropoles esse, alias autem postea erectas nomen solum Metropoleon, in Ecclesiæ saltem notitia, habere, et præterea nihil. Sed idem, fateor, Concilium Canone XVII. decrevit, *Ut si civitas ab Imperialia auctoritate innovata est, vel etiam deinceps innovata fuerit, civiles ac publicas formas ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur.*² Quæ verba si ad Metropoles extenderentur, Canon duodecimo ante citato plane contradicerent. Sed multi nihilominus viri eruditi hæc verba isto sensu interpretati sunt, ac proinde in concilianda

² [Εἰ δὲ καὶ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἢ τάξις καινίσθη πολις, ἢ καὶ αὐθις καινισθῆι, ἀκολουθεῖτω.—Can. Chal. xvii. Pan. Can. tom. i. p. 133, E.]

ista contradictione diu se exercuerunt. Verumenimvero decimus septimus iste Canon non omnino de Metropolitanis sed de Episcopatibus solis agit, non de provinciis ad Metropolitanos, sed de parœciis ad Episcopos pertinentibus. Statuit enim, *Ut quæ sunt unaquaque provincia rurales vicinæque parœciæ, firmæ ac inconcussæ maneant, apud eos qui illas tenent Episcopos, præsertim si XXX. annorum tempore eas sine vi detinentes administraverint.*³ Ubi, ut cuique patet, non de provinciis agitur, sed de singularibus parœciis, sive, ut vulgo loquimur, parochiis ruralibus, quæ in provinciis constitutæ sunt, et Episcopis subjectæ. Quin ultima etiam Canonis verba ante laudata, non de Metropolitanis, sed de parœciis, intelligenda esse, ex ipsis constat, utpote decernentibus, ut, si quæ civitates ab Imperatore de novo exstructæ fuerint, ecclesiasticarum parœciarum ordo civiles de iis formas consequatur : hoc est, si pagi aliqui, aut rurales parochiæ, de quibus loquitur Canon, a vicina aliqua avulsæ fuerint, et civitati de novo conditæ ab Imperatore adjunctæ, Ecclesia hac in re civili dispositioni se accommodabit, et pagi isti ad illum pertinebunt Episcopum, qui novam istam, ejus civili jurisdictioni subjiciuntur, urbem administrat. Quod autem ad Metropoles spectat, quartæ hujus universalis Synodi de iis sententia non modo ex Canone XII. ante citato, qui disertissimus est, colligitur, verumetiam e judicio, quod de duabus causis coram ipsa agitatis pronunciavit. Quarum una inter Eunomium Nicomediensem et Anastasium Nicænum Episcopum, altera inter Photium Tyri et Eustathium Beryti Episcopum mota est. Nicomedia scilicet antiqua fuit et prima Bithyniæ Metropolis. Sed Anastasius Nicænus ab Imperatoribus Valentiniano et Valente impetraverat, ut urbs sua Nicæa Metropolis fieret, qui propterea de privilegiis Metropolitanis cum Eunomio Nicomediensi contendit. Chalcedonense vero Concilium, ad quod causa delata est, re in utramque partem audita, definivit, ut prima Metropolis Nicomedia omnia sua privilegia inviolata retineret, Nicæa autem, de novo honorata, nudum Metropoleos nomen in Ec-

Conc. Chal.
Act. xlii.
[Conc. tom.
iv. coll. 707-
718.]

³ [Τὰς καθ' ἑκάστην ἑπαρχίαν ἀργοικικὰς παροικίας ἢ ἰγχαρίους μίντιν ἀπαρασαλιύτους παρὰ τοῖς κατέχουσιν αὐτὰς ἱερισκόποις, καὶ μάλιστα εἰ τριακονταετῆ

χρόνον ταύτας ἀβιάστως κατέχοντες, κ. τ. λ.—Can. Chal. xvii. Pan. Can. tom. i. p. 133, D.]

clesia et honorem sine omni Metropolitana auctoritate haberet.⁴ Idem et in altera causa Synodus iudicium tulit. Tyrus enim prima ac vera Phœniciaë Metropolis fuit. Sed Eustathius Beryti, urbis Phœniciaë, Episcopus, ab Imperatore Theodosio obtinuerat, non tantum ut Berytus Metropolis esset, verum etiam ut sex aliæ urbes Phœniciaë, Byblos, Botrys, Tripolis, Orthosiates, Arcæ, et Antarados, Tyro Metropoli distractæ, Beryto subjicerentur. Photius primæ veræque Metropoleos Tyri Episcopus causam ad Synodum Universalem defert, quæ decrevit, ut Photius Tyri Metropolitanus omnem ordinandi potestatem in tota sua provincia adhuc haberet, Eustathius autem ex Imperatoriis, quas obtinuerat, literis nihil amplius, quam cæteri ejusdem provinciaë Episcopi, sibi vindicaret.⁵

Conc. Chal.
Act. iv.
[Conc. tom.
iv. coll. 539-
552.]

XIX. His a Concilio Chalcedonensi sic determinatis, similis olim inter Episcopum Cantuariensem et Lichfeldensem exorta est controversia. Ex quo enim Angli Saxonesque ad fidem conversi sunt, Cantuaria, ut ostendimus, vera et indubitata fuit totius hujusce gentis Metropolis. Verum post ducentos propemodum annos, Rex Offanus in Lambertum, Cantuariensem tunc temporis Metropolitanum, ira succensus ab Adriano P.R. impetravit, ut provincia Cantuariensis divideretur, et Lichfelda in posterum Merciorum, quorum ille Rex erat, Metropolis fieret; et sex Episcopi Ecclesiaë Lichfeldensi, tanquam Metropolitanicæ, subjicerentur, nimirum, Wigornensis, Legecestrens, Sinacestrens, Herefordensis, Helmanensis, et Donmunensis. Quibus ab eo avulsis, Archiepiscopo Cantuariensi quatuor

A.D. 785.

⁴ [Οἱ ἰδοξότατοι ἄρχοντες εἶπον τὴν μὲν αὐθενσίαν τοῦ μητροπολίτου ἐν ταῖς κατὰ Βιβυλίαν ἐκκλησίαις ὁ Νικομηδείας εὐλαβίστατος ἐπίσκοπος ἔξει, τοῦ Νικαίας τὴν τιμὴν μόνον τοῦ μητροπολίτου ἔχοντος, ὑποκειμένου δὲ κατὰ μίμησιν τῶν ἄλλων ἐπισκόπων τῆς ἰσαρχίας τῶν τῆς Νικομηδείας· τοῦτο γὰρ καὶ τῆς ἁγίας παρίστη συνόδου.—Conc. Chal. Act. xiii. Conc. tom. iv. coll. 716, E; 718, A.]

⁵ [Οἱ μεγαλοπρεπίστατοι καὶ ἰδοξότατοι ἄρχοντες εἶπον· καὶ κατὰ τοὺς κανόνας τῶν τριακοσίων δικαιοκτῶ ἁγίων

πατέρων, καὶ κατὰ τὴν ψῆφον καὶ δικαίωσιν πάσης τῆς ἁγίας συνόδου, Φώτιος ὁ εὐλαβίστατος ἐπίσκοπος Τυρίων μητροπόλιως τὴν πᾶσαν ἐξουσίαν τοῦ χιροτονεῖν ἐν ὅλαις ταῖς πόλεσι τῆς πρώτης Φοινίκης ἰσαρχίας ἔξει· Εὐστάθιος δὲ ὁ εὐλαβίστατος ἐπίσκοπος ἀπὸ τοῦ θείου πραγματικῶν τύπου μηδὲν πλέον ἑαυτῷ ἐδικαίωται τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων τῆς αὐτῆς ἰσαρχίας· καὶ εἰ συναινῇ τοῦτοις ἡ ἁγία σύνοδος, διδασκίτω· ἡ ἁγία σύνοδος ἰβόησιν αὐτῆ δικαία κρίσις· αὐτῆ Θεοῦ κρίσις.—Conc. Chal. Act. iv. Conc. tom. iv. col. 550, A, B.]

tantum Episcopi reliqui fiant, Londoniensis, Wintoniensis, Roffensis, et Sireburnensis, vel, ut alii, Selesiensis. Hæc divisio toto Lamberti Cantuariensis præsulatus tempore duravit. Lichefeldensem autem, ut vocatur, Archiepiscopatum primus quidem Eadulphus, et post eum Humbertus administravit.⁶ Verum exiguo post tempore, Kenulphus, pene proximus post Offanum Merciorum Rex, tantam Ecclesiæ Anglicanæ illatam violentiam ægre ferens, a Leone III. P.R. per literas obtinuit, ut, novo isto Archiepiscopatu Lichefeldensi abolito, dignitas sua ac privilegia omnia Ecclesiæ Cantuariensi restituerentur.⁷ Et Athelardus, qui istis

⁶ ["Postulavit igitur rex instanter, et, nonnullis datis muneribus, impetravit, ut contra veterem consuetudinem approbatam Eadulphum Archiepiscopum constitueret Lichefeldensem; ut videlicet omnes provinciæ Merciorum (quarum provinciarum et Episcoporum hæc sunt nomina) antistiti subjicerentur nominato.

"Nomina Provinciarum et Episcoporum; Kenebertus, Wigornensis Episcopus; Werebertus, Legecestrensis; Eadulphus, Sinacestrensis; Wulnardus, Herefordensis.

"Episcopi Orientalium Anglorum; Haraldus, Helmamensis; et Tedfordus [Donmunensis]. Et sic per negligentiam divisa, immo potius dissipata est primatia, ipso Cantuariensi tepide resistente regis impetui, ut decuit et expedit.

"Remanserunt autem antistiti Lamberto Episcopus Londoniensis, Wintoniensis, Roffensis, Sireburnensis.

"Stetit autem hæc regis violentia toto Lamberti præsulatus tempore, quamvis idem Archiepiscopus nihil vel sumptibus, vel laboribus parceret, ut pristina gauderet Ecclesia sua dignitate. Procurante igitur rege Offano efficaciter, Eadulphus, Lichefeldensis Archiepiscopus, pallium suscepit, . . . et . . . Eadulpho, Lichefeldensi Archiepiscopo, defuncto, subrogatus est Humbertus."—E Codice S. Albani de

Vita Offæ Regis apud Wilkins, Concil. tom. i. p. 152.]

⁷ ["Cujus itaque, sicut vos scitis, dignitatis honorem primum rex Offa, propter inimicitiam cum venerabili Jamberto et gente Cantuariorum acceptam, avertere, et in duas parochias dissipare nisus; et piissimus Coepiscopus et antecessor vester Adrianus, rogatu prædicti regis, facere cœpit, quod prius nemo præsumpsit, et Merciorum præsulem pallio extulit. . . .

"Sed tamen excellentiam vestram humiles exoramus, quibus a Deo merito sapientiæ clavis collata est, ut super hac causa cum sapientibus vestris quæretis, et quicquid vobis videatur nobis postea servandum rescribere dignemini."—Ex Epist. Kenulphi ad Leonem Papam III. apud Wilkins, Conc. tom. i. p. 164.

"De Athelardo vero jam fato Archiepiscopo Dorobernensis Ecclesiæ, sicut a nobis proposuit vestrorum præsulum excellentia, ut ei justitiam faceremus de ipsis diocesisibus suis, tam Episcoporum, quam monasteriorum, quibus illicite, ut cognovistis, exspoliatus est, et a venerabili sede ejus, quas dudum tenuit, ablatæ sunt. Nos per omnia enucleatius trutinantes, in sacro scrinio nostro reperimus, sanctum Gregorium, prædecessorem nostrum, in integro ipsam parochiam, numero duodecim, beato Augustino

diebus Archiepiscopus erat Cantuariensis, sive, ut vulgo dicebatur, Doroberniensis, Concilium hac de re convocavit, apud Clovesho An. Dom. DCCCIII., ubi sedem Metropolitanam in Doroberniensi civitate cum maxima fraude divisam, et scissam fuisse asserit, præcipitque in Nomine Dei Omnipotentis, et omnium sanctorum Illius, et per Ejus tremendum judicium, ne quis in posterum honorem Metropolitanæ sedis minuere, vel in aliquantula particula dividere præsumat, sed per omnia in eo dignitatis honore plenissime semper permaneat, quo in Constitutione B. Gregorii et in privilegiis successorum ejus habetur, in Doroberniæ civitate, ubi *prima, inquit, in hac insula Catholica fides emicuit, et a S. Augustino sacrum baptismum celebratum est, et Evangelium Christi prædicatum, et inde per gratiam Sancti Spiritus late diffusum.*⁸ Quibus ab eo prolatis tota Synodus consensit, cui inter alios intererat, et proximus post Athelardum sub-

sincello suo Archiepiscopo tradidisse, et confirmasse Episcopos consecrandi. Unde et nos (veritate ipsa reperta) ordinationes, seu confirmationes nostra Apostolica auctoritate illi in integro, sicut antiquitus fuerunt, constituentes reddidimus, et privilegium confirmationis, secundum sacrorum Canonum censuram, Ecclesiæ suæ observandum tradidimus."—Respons. Leonis Papæ III. ad Epist. Kenulphi, apud Wilk. Conc. tom. i. p. 165.]

⁸ ["Scimus autem . . . quod Offa, rex Merciorum, in diebus Jaenberhti Archiepiscopi cum maxima fraude honorem et unitatem sedis sancti Augustini Patris nostri in Dorovernensi civitate dividere et discindere præsumpsit. . . . Ego Aedelheardus Archiepiscopus, cum omnibus duodecim Episcopis sanctæ sedi beati Augustini subjectis, per Apostolica præcepta domini Papæ Leonis in Synodo, quæ facta est in loco celebri, qui vocatur Clfeshoas, unanimo consilio totius sanctæ Synodi in Nomine Dei Omnipotentis præcipientes, et omnium sanctorum Illius, et per Ejus tremendum judicium, ut nunquam reges, neque

Episcopi, neque principes, neque ullius tyrannicæ potestatis homines honorem sancti Augustini, et suæ sanctæ sedis diminuere, vel in aliquantula particula dividere præsumperint; sed in eo per omnia dignitatis honore plenissime semper permaneat, quo utique in Constitutione beati Gregorii, et in privilegiis Apostolicorum suorum successorum habeatur, necnon etiam et in sanctorum Canonum rectum haberi sanctionibus habeatur . . . hoc quoque præcipientes, et signo sanctæ crucis scribentes, ut archiepiscopalis sedes in Liccidfeldensi monasterio nunquam habeatur ex hoc tempore, neque in alio loco aliquo, nisi tantum modo in Dorobernensi civitate, ubi Christi Ecclesia est, et ubi primum in hac insula Catholica fides renituit, et a sancto Augustino sacrum baptismum celebratum est. . . . Et idcirco manifestissimis signis cœlestis Regis primatum monarchiæ archiprincipatus permanere canonicis et Apostolicis munitionibus statuimus, ubi sanctum evangelium Christi per beatum Patrem Augustinum in provincia Anglorum primum prædicatum, et deinde per gratiam

scribebat, Aldulfus Lichefeldensis Ecclesiae Episcopus. Unde constat Ecclesiam Lichefeldensem omni archiepiscopatus honore exutam, et Doroberniensi iterum subjectam esse, juxta Concilii Chalcedonensis Canonem, et judicium de causis similibus pronunciatum. Et ab eo usque tempore nulla de primatu sedis Cantuariensis mota est controversia; nisi quod Gilbertus Foliot, Episcopus Londinensis, e contentione inter Henricum II. et Thomam Becketum Cantuariensem Episcopum fervente, occasionem arripiens, Metropolitanam dignitatem Cantuariensi auferre, et ad suam transferre sedem conatus sit; eo scilicet, quod Archiflaminum, ut aiebat, sedes antiquitus fuerat. Quemadmodum Joannes Sarisburiensis, ejusdem ætatis scriptor, memoriæ tradidit. Præterquam autem quod a gentilium Flaminiis ad Episcopos Christianorum nulla prorsus sit consequentia, adeo ut parum referat, ubi isti constituti fuerint. Archiflaminum ne nomen quidem in quovis antiquo et probatæ fidei auctore memoratur. Primo enim occurrit in supposititia quadam appendice ad supposititiam Epistolam Clementis I. ad Jacobum, ab omnibus jamdudum explosam.⁹ Et ex eo haud dubie fonte hausit Gilbertus, quæ de Archiflaminibus tantopere jactitabat. Hoc vero argumentum haud citius ab eo adductum, quam ab aliis omnibus rejectum est. Sed observandum est, eum Metropolitanam dignitatem sedi suæ Londinensi asserere conatum esse, non quod Archiepiscopi sed quod Archiflaminibus ibi antiquitus constituti fuerant. Quod si ei constitisset Londinum Ecclesiae Britannicæ Metropolim fuisse, vel archiepiscopatum, dum Britones hanc terram incolebant, hoc

Epist.
cclxxii.
[apud Bib.
Max. Patr.
tom. xxiii. p.
319.]

Sancti Spiritus late diffusum est."—
Conc. Claves. Wilkins Conc. tom. i.
pp. 166, 167.

"In illis vero civitatibus, in
quibus olim apud ethnicos Archiflami-
nes erant, atque prima leges directores
erant, Episcoporum primates primum, vel
patriarchas, qui reliquorum Episco-
porum iudicia, et magis quoties ne-
cesse foret) negotia ut tunc agerent, et
secundum Dei voluntatem, sicut con-
sultaverunt sancti Apostoli, ita ut ne

quis injuste periclitaretur, definirent.
In illis autem civitatibus, in quibus
dudum apud predictos erant Archi-
flamines, quos tamen minores teme-
bant, quam numeratos primates, Archi-
episcopos instituta precepit, qui non
tamen primatum, sed Archiepiscoporo-
rum fraterentur nomine."—Clementis
Pape I. Epistolæ prima ad Jacobum
fratrem Dominum. Conc. tom. i. col. 91,
C. D.]

potius prætextu Metropolitanum honorem sibi proculdubio arrogasset. Verum nec ille, nec quivis, ut opinor, alius novit, quænam Britannis Metropolitana sedes fuisset. Quod etiam Guilielmus Malmesburiensis, qui eodem, quo Gilbertus, clarebat seculo, observavit. Hic enim in prologo libri primi de Gestis Anglorum Pontificum, ubi Archiepiscopum Cantuariensem totius Angliæ Primatem et Patriarcham esse affirmasset, addit protinus, *Cæterum ubi fuerit archiepiscopatus tempore Britonum, cognitio labat: quia vetustas consumpsit nostri seculi memoriam.* Et quidem, licet nemini dubium esse possit, quin Ecclesia Britannica aliquem Archiepiscopum sibi habuerit præidentem, incertum tamen est, utrum Episcopus Londinensis, annon potius, ut aliis videtur, Eboracensis, vel forte tertiæ alicujus sedis nobis incognitæ Episcopus, archiepiscopalem honorem ac potestatem obtinuerit. Pro certo autem habemus ac explorato, Doroberniam, sive Cantuariam Anglorum Metropolitanam perpetuo fuisse Ecclesiam, ex quo illi ad fidem Christianam conversi sunt.

[*Rer. Ang. Script. post Bedam, p. 195. Ed Sav. Francof. 1601.*]

XX. Controversia ista, quæ inter Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem et Thomam Eboracensem, Guilielmo Primo hic regnante, agitata fuit, longe alia fuit atque ea, quam Gilbertus Londinensis movit. Ille enim non negabat, quin Cantuariensis Archiepiscopus super omnes in sua provincia Episcopos, inter quos Londinensis erat, primatum habere debeat: sed contendebat tantummodo se suamque provinciam nullo ei modo subesse. Ventilata est ac definita hæc causa a Synodo Wintoniæ habita,¹ anno Domini MLXXII., ubi, ut ait Guilielmus Malmesburiensis, *Tandem aliquando diversis diversarum causarum auctoritatibus probatum atque ostensum est, quod Eboracensis Ecclesia Cantuariensi Ecclesiæ debeat subjacere, ejusque Archiepiscopi, ut primatis totius Britanniae, dispositionibus in iis quæ ad Christianam religionem pertinent, in omnibus obedire.* Eodem

[*Ibid. p. 206.*]

¹ [“ Ventilata est autem hæc causa prius apud Wentanam civitatem in Paschali solemnitate in capella regia, quæ sita est in castello, postea in villa regia, quæ vocatur Windlesor, ubi et finem accepit in præsentia regis, Epi-

scoporum, abbatum diversorum ordinum, qui congregati erant apud curiam, in festivitate Pentecostes, [A. D. MLXXII.]” — Conc. Windleshorens. apud Wilkins Conc. tom. i. p. 325.]

etiam Concilio, ut idem refert, subjectionem Dunelmensis sive Lindisfarnensis Episcopi, et omnium regionum a terminis Lichfeldensis Episcopi et Humbri magni fluvii usque ad extremos fines Scotiæ, et quicquid ex hac parte prædicti fluminis ad parochiam Eboracensis Ecclesiæ jure competit, Cantuariensis Metropolitanus Eboracensi Archiepiscopo ejusque successoribus in perpetuum obtinere concessit: ita ut, si Cantuariensis Concilium cogere voluerit, ubicunque ei visum fuerit, Eboracensis Archiepiscopus sui præsentiam, cum omnibus sibi subjectis Episcopis, ad nutum ejus exhibeat, ut ejus canonicis dispositionibus obediens existat.² Quin ipse etiam Lanfrancus Cantuariensis hæc a Synodo ista sub ipso habita, gesta enarrat, in Epistola quam ea de re ad Alexandrum II. P. R. scripsit. Et ab eo demum tempore sopita est ista controversia, Archiepiscopo Eboracensi Primæ Angliæ, Cantuariensi autem Primæ totius Angliæ nuncupato. Sed ex ea alia postea inter eos exorta est contentio. Eboracensis enim Archiepiscopus, ut Primas Angliæ, sibi liberum esse contendit, crucem ante se per totam Angliam deferre: quæ quidem quæstio, anno circiter MCLXXX. exorta, eos diu exercuit;³ tandem autem sub

[Apud Wilkins, Conc. tom. i. pp. 326, 327.]

² [“ Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi MLXXII., pontificatus autem domini Alexandri Papæ undecimo, regni vero Willielmi, gloriosi regis Anglorum et ducis Normannorum, sexto, ex præcepto ejusdem Alexandri Papæ, annuente eodem rege, in præsentia ipsius, et Episcoporum atque abbatum ventilata est causa de primatu, quem Lanfrancus, Dorobernensis Archiepiscopus, super Eboracensem Ecclesiam jure suæ Ecclesiæ proclamabat, et de ordinationibus quorundam Episcoporum, de quibus ad quem specialiter pertinerent certum minime constabat. Et tandem aliquando, diversis diversarum Scripturarum auctoritatibus probatum atque ostensum est, quod Eboracensis Ecclesia Cantuariensi debeat subjacere, ejusque Archiepiscopi, ut primatis totius Britanniæ dispositionibus, in hiis,

quæ ad Christianorum religionem pertinent, in omnibus obedire. Subjectionem vero Dunelmensis, hoc est Lindisfarnensis, Episcopi, atque omnium regionum a terminis Lichfeldensis Episcopi, et Humbri magni fluvii usque ad extremos Scotiæ fines, et quicquid ex hac parte prædicti fluminis ad parochiam Eboracensis Ecclesiæ jure competit, Cantuariensis Metropolitanus Eboracensi Archiepiscopo, ejusque successoribus in perpetuum obtinere concessit; ita ut, si Cantuariensis Archiepiscopus Concilium cogere voluerit, ubicunque ei visum fuerit, Eboracensis Archiepiscopus sui præsentiam, cum omnibus sibi subjectis, ad nutum ejus exhibeat, et ejus canonicis dispositionibus obediens existat.” — Conc. Windleshorens. apud Wilkins Conc. tom. i. pp. 324, 325.]

³ [“ In hoc autem Concilio [West-

certis conditionibus ei etiam extra suam provinciam elata cruce procedere permissum est. Hæc autem de crucis antelatione concertatio, non tanti fuit, ut ei diutius immoremur, præsertim cum ipsum Archiepiscopi Cantuariensis primatum minime attingat.

[Apud Wilkins, Conc. tom. iii. p. 31. A.D. 1354.]

XXI. Hæc fusius idcirco prosecuti sumus, quod hic Canon Apostolicus de primatu inter Episcopos agens, unus sit ex iis, quorum causa tota collectio oppugnatur. Ex iis autem, quæ disseruimus, abunde satis, ut opinor, constat, nihil in eo decerni aut contineri, quod Ecclesiæ primitivæ ac Apostolicæ institutis ac praxi non eleganter consonat. Quandoquidem, ut ostendimus, ipsi Apostoli in Ecclesia propaganda singularem ad provincias, ut in Imperio dispositas, respectum, summamque in singulis provinciis Metropoleon rationem habuerunt: eorumque exemplo ducti, ipsorum in Ecclesiæ administratione successores, quibus nihil antiquius fuit quam decessorum suorum vestigiis insistere, Metropoli cujusque provinciæ, et Episcopo eidem præposito primatum quendam perpetuo detulerunt, illumque primum inter omnes provinciæ suæ Episcopos, reliquorumque caput ac Præsidem existimarunt. Et ne quis suspicetur Ecclesiam Anglicanam hac in re a primitiva discrepare, quod eadem hodie non sit Ecclesiæ atque regni Metropolis, sed hujus quidem Londinum, illius autem Cantuaria; rem istam ab ipsa origine deducere, et primatum Ecclesiæ Cantuariensi non tantum ex usu et consuetudine, verumetiam ex jure canonico, et Ecclesiæ Apostolicæ primitivæque disciplina deberi, ostendere et operæ pretium duximus et necessarium. Eo scilicet argumento, quod, cum gens Anglorum fidem Christianam prima amplectebatur, non Londinum, sed Cantuaria prima ejusdem Metropolis erat. Cujus propterea Episcopus Metropolitanam

monast. A.D. 1175,] clerici Rogeri, Eboracensis Archiepiscopi, calumniati fuerunt jus Eboracensis Ecclesiæ de cruce portanda in diocesi Cantuariensis Ecclesiæ."—Wilkins Conc. tom. i. p. 479.

"Et dominus rex per aliquot dies moram faciens apud Wintoniam, diutissime tractavit de pace facienda inter Rogerum, Eboracensem Archiepisc., et Rich-

ardum, Cantuariensem Archiepisc., de cruce Archiepiscopi Eboracensis portanda. . . . Et de cruce portanda, et aliis controversiis, quæ inter Ecclesias suaserant, starent iudicio Rothomagensis Archiepiscopi, et aliorum vicinorum Episcoporum de regno Franciæ."—Ex R. Hoved. in an. 1175, apud Wilkins Conc. tom. i. p. 482.]

et archiepiscopalem dignitatem jure merito sibi vindicavit, eamque mille, et quod superest, annos inviolatam retinuit. Adeo ut Ecclesia Anglicana, ut hodie constituta, in hac, æque ac in aliis quibuscunque rebus, Ecclesiæ primitivæ moribus ac disciplinæ summe consona videatur et conformis. Faxit Deus, ut usque ad secundum Domini nostri adventum ita permaneat.

CAPUT VI.

Synopsis.

- I. Canon Apost. L. *de trina mersione in baptismo. Quam antiquus fuerit iste ritus. A S. Patribus inter Apostolicas traditiones recensetur.*
- II. *Nihil est ineptiæ, nedum vitii, in hac sanctione, per quam deponuntur illi soli, qui una mersione in mortem Domini data baptizant.*
- III. *Objectio contra hujus Canonis antiquitatem, ex eo petita, quod Eunomiani, quarto seculo exorti, non trina sed una mersione in mortem Domini primi baptizasse perhibeantur.*
- IV. *Huic objectioni respondetur. Nec Socrates, nec Sozomenus Eunomium dixit in mortem Domini primum baptizasse. Alii, longe ante Eunomium, in Nomine Solius Christi baptizantes hæretici amplam satis huic condendo Canonis materiam præbuerunt.*
- V. *Eunomii historiam, ut a Theodoreto traditam, antiquitatem hujus Canonis confirmare potius quam elevare ostenditur.*
- VI. *Traditiones non scriptæ Patribus eæ dicuntur, quæ in Sacris Scripturis non continentur. Non eæ, quæ nec in scriptis ecclesiasticis habentur. Cujus rei specimen e S. Basilio datur.*

I. CANONES Apostolici a tricesimo quarto ad quinquagesimum ita conditi sunt, ut ipse Dallæus nihil iis vitio vertere, nec inficiari posset, eos S. Apostolorum tempora et doctrinam sapere. At in quinquagesimum (quem ille quadragesimum nonum et Dionysiæ collectionis penultimum falso vocat) infestus fertur, eumque non nisi longo post Apostolos intervallo editum fuisse contendit. Sed ipsum Canonem audiamus, sic statuentem. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσ-

βύτερος, μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυστήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλὰ ἓν

De Pseud.
lib. iii. cap.
17, p. 626.

[Pan. Can.
tom. i. p. 33,
C. D.]

βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω· οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος, Εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε, ἀλλὰ, Πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος. *Si quis Episcopus, vel presbyter non tria unius mysterii baptismata perfecit, sed unum baptismum, quod datur in mortem Domini, deponatur. Non enim dixit Dominus, In mortem Meam baptizate, sed, Euntes docete omnes gentes, baptizantes ipsos in Nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* In hunc Canonem Dallæus propterea invehitur, quod diserte præcipiat deponi Episcopum, vel presbyterum, qui sine trina in aquam mersione quempiam baptizaverit. Fatetur autem vetustissimum fuisse apud Christianos hunc morem, ut ter, qui baptizabantur, mergerentur. Id tamen vel ab Apostolis traditum, vel a Clemente scriptum fuisse negat.¹ Negamus et nos illud a Clemente scriptum, vel ab Apostolis, totidem saltem verbis, quibus hoc Canone concipitur, constitutum esse. Aliquo tamen modo id ab Apostolis traditum, negare non ausi sumus: utpote quod a S. Patribus nec semel assertum legimus. Ut alios enim taceam veteres Ecclesiæ scriptores, S. Athanasium, Cyrillum Hierosolymitanum, Ambrosium, Hieronymum, qui cum multis aliis de trina in baptismo mersione, ut suis diebus ubique usitata, meminerunt, S. Basilius hunc ritum Apostolicæ traditioni diserte acceptum refert. Primo enim affirmat ille dogmata et instituta, quæ in Ecclesia istis diebus prædicabantur et observabantur, quædam haberi e doctrina scripto tradita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio tradita esse, quorum tamen, inquit, utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quispiam contradicit, qui vel tenuiter expertus est, quænam sint jura ecclesiastica.² Cum hæc et similia dixisset,

¹ ["Denique, ne plura huc conferam, non esse hanc vel Apostolicam, vel Clementinam, syllogen apertissime conficit Canon ejus penultimus, hoc est quadragesimus nonus, diserte præcipiens deponi vel Episcopum vel presbyterum, qui sine trina in aquam mersione quemquam baptizaverit. Fateor vetustissimum fuisse apud Christianos hunc morem, ut ter, qui

baptizabantur, mergerentur. Sed non fuisse tamen id vel ab Apostolis traditum, vel a Clemente scriptum, luce meridiana clarius est."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 17, p. 626.]

² [Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ σιφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως παραδόντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ περιδιζόμεθα·

recensens deinde ea, quæ Ecclesia non e Sacris Scripturis sed ex Apostolorum traditione recepit, inter alia huc non pertinentia, ait, Τὸ δὲ τρεῖς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πότεν; " Ἀλλὰ δὲ ὅσα περὶ τὸ βάπτισμα ἀποτάσσονται τῷ Σατανᾷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, ἐκ ποίας ἐστὶ γραφῆς; *Jam ter immergi hominem, unde e Scripturis haustum? Reliqua autem, quæ fiunt in baptismo, velut renunciare Satanæ, et Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus?* Sed et ipso S. Basilio majorem hac in causa testem habemus Tertullianum, qui ante centum ab ultimo Apostolorum elapsos annos in Ecclesia claruit. Cujus hæc sunt verba, *Et quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus, habentes observationem inveteratam, quæ præveniendostatum fecit? Hanc si nulla Scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus annon traditio non scripta debeat recipi, [an et traditio nisi scripta non debeat recipi. Prior.] Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, et exinde consuetudinis patrocínio vindicamus. Denique, ut a baptismo ingrediar, Aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renunciare Diabolo, et pompæ, et Angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondententes, quam Dominus in Evangelio determinavit.* Quibus verbis aperte significatur, nonnullos istis etiam diebus observatos fuisse ritus, qui nusquam in Sacris Scripturis præcepti leguntur, sed tantum traditione recepti, et consuetudine corroborati; huncque de trina in baptismo mersione unum inter eos esse. Cum vero exiguum adeo temporis spatium inter sanctos Apostolos et Tertullianum effluerit, vix dubitari potest, quin ritus ecclesiastici tunc temporis passim in Ecclesia usitati ab Apostolica traditione manarint.

II. Verum Dallæus ritum hunc *ineptiæ* damnat, *ut mysteria nescio quæ in ternario numero quærentem: quod a ve-*

S. Basil. de Spiritu S. cap. xxvii. [Op. tom. iii. p. 55, A, B.]

Tertull. de Corona Milit. cap. iii. [p. 101, C. D.]

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 17. p. 626.]

ἅπασιν ἀμφοτέρωθεν τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχουσιν πρὸς τὴν ἐπίβειαν. Καὶ τοῦτοις οὐδεὶς ἀντιρεῖ, οὐκοῦν ὅστις γὰρ κατὰ μικρὸν γούν

θισμῶν ἐκκλησιαστικῶν πιστεύεται. — S. Bas. de Spir. Sanc. cap. xxvii. Op. tom. iii. p. 54, D.]

rorum, inquit, *Apostolorum gravitate ac simplicitate longissime abest.*³ Quid vero? Ipse hic ritus mysteria quævis in ternario numero quærit? Cuinam unquam ante Dallæum hujus in mentem venit? Sed Ecclesiam fortasse intelligit, apud quam antiquitus vulgo obtinuit; quam propterea sui immemor ineptiæ damnat, suumque ingenium toti primitivæ Ecclesiæ anteponit. Quid autem mali, quid ineptiæ in hoc ritu hæret? Servator noster mandavit, baptismum administrandum esse in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: Qui tres sunt distinctæ Personæ, ac proinde Ecclesia Apostolica ac primitiva, quum quempiam baptizabat, eum ter in aquam immergebat, semel scilicet in unamquamque Personam, juxta præceptum Domini, nominatam. Quod quidem nemo præter Dallæum ei vitio vertat: præsertim cum a primitiva Ecclesia nihil mysterii in eo quæreretur, nedum in ternario numero tunc temporis adhibito. Quod si qui postea mysteria nescio quæ in isto numero quæsiverunt, ipsi hoc viderint. Ut eorum autem culpa ac ineptia vel ipsi ritui, vel Ecclesiæ eundem observanti, objiceretur, injustum nimis est et periniquum. Sed *ex multis*, inquit Dallæus, *non sacrarum modo literarum, sed et ipsius ecclesiasticæ antiquitatis monumentis clarum est, ad baptismum satis esse unam vel mersionem, vel etiam aspersionem.* Esto. Quid hinc sequitur? *Ergo*, inquit, *iniquus est, Apostolisque adeo indignus hic Canon, qui baptismum una aut altera [tantum] mersione celebrantes damnat, omninoque trinam mersionem requirit.* Verumenimvero hunc ritum, ut ter mergerentur quicumque baptizabantur, apud universam Ecclesiam primitivam obtinuisse, ipse Dallæus rei veritate victus negare nequit, sed sæpe confessus est.⁴ Annon igitur in Ecclesiæ potestate situm erat, illud sub pœna sancire, quod ubique observatum erat, et ab Apostolica traditione receptum? An iniquum erat eos damnare et pœnis subicere, qui universam Ecclesiæ praxim schismaticè violabant? Hoccine Apostolis indignum, vetare ne schisma in Ecclesia fiat, eosque punire qui faciunt? Quid vero si Canon non damnet eos, qui simpliciter trina

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 17, p. 626.]

[Ibid. pp. 626, 627.]

³ ["Nam ut ritus ipsius ineptiam mittam, mysteria nescio quæ in ternario numero pueriliter quærentis," etc.—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 17, p. 626.]

⁴ ["Ferebat antiquissimi temporis consuetudo, ut ter mergerentur quicumque baptizabantur."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 17, p. 627.]

mersione in baptismo celebrando non utuntur, sed eos solos, qui baptizatum ter propterea non immergunt, quod baptismum non in Nomine SS. Trinitatis, sed tantum in mortem Christi celebrarent? Profecto qui verba attente et sine præjudicio legit, hunc genuinum esse eorum sensum facile videbit. Canon enim non dicit, *Si quis Episcopus, vel presbyter non tria unius mysterii baptismata perfecit, deponatur.* Sed hoc dicit, *Si quis Episcopus, vel presbyter non tria unius mysterii baptismata perfecit, sed unum baptisma in mortem Domini datum, deponatur.* Quæ ultima verba, *sed unum baptisma in mortem Domini datum*, conjunctim haud dubie cum prioribus intelligenda sunt. Adeo ut isti soli hoc Canone damnentur, non qui una mersione absolute, sed qui una mersione in mortem Christi data utuntur. Quod etiam e ratione sanctioni addita manifestius evadit, ut sic habente, *Non enim dixit Dominus, In mortem Meam baptizate, sed, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Quæ quidem ratio clarissime ostendit, Canonem in eos solos sancitum esse, qui non in Nomine SS. Trinitatis juxta Domini institutionem, sed tantum in mortem Christi baptismum administrant. A quibus, ut præceptum Domini violantibus, depositionis pœna jure exigitur. Quin hoc etiam ex ipsa Dallæana horum verborum interpretatione eliciatur. Dicit enim, *Sed hæc quæ dixi verba (nimirum sed unam mersionem in mortem Domini datam) ideo addit Canon, quod nulli scilicet præter istos in Domini mortem baptizantes apud Christianos tum reperirentur, qui baptismum aliter quam tribus mersionibus peragerent.* Hinc enim necessario consequitur, eos solos hoc Canone damnari, qui in mortem Christi baptizabant: siquidem omnes alii, Dallæo judice, baptismum non nisi trina mersione peragebant. Canon autem eos, qui non modo SS. Trinitatem negabant, verum et ipsum baptismi sacramentum, ut a Domino institutum, corrumpere et violare ausi sunt, deponi jubens, nec iniquus, nec ipsis adeo Apostolis indignus habeatur. Nihil saltem vetat, quo minus ab Ecclesia Apostolica constitui et divulgari potuit.

[Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 17.]
p. 628.

III. Hinc alio se convertit vir doctissimus, huncque Canonem non modo non ab ipsis Apostolis, sed nec ante annum Domini CCCXXXVII. editum fuisse probare enititur, eo scilicet, quod non alii in veteri Christianismi historia occur-

Socrat. Hist.
Eccles. lib. v.
cap. 24. [pp.
301, 302.]

[Pan. Can.
tom. i. p. 96,
F.]

Theodoret.
Hæret. Fab.
lib. iv. cap. 3.
[Op. tom. iv.
p. 356.]

[Dall. de
Pseud. lib. iii.
cap. 17, pp.
629, 630.]

runt, quam Eunomiani quidam, qui teste Socrate, οὐκ εἰς τὴν Τριάδα, ἀλλ' εἰς τὸν τοῦ Χριστοῦ βαπτίζουσι θάνατον, *Non in Trinitatem, sed in mortem Christi baptizant.* Quique, ut Synodus Constantinopolitana prima docet (Canone nimirum septimo, qui tamen isti Synodo falso adscribitur⁵) εἰς μίαν κατάδυσιν ἐβαπτίζοντο, *una mersione baptizabantur.* Quod utrumque, inquit, ex Theodoro discimus, qui hoc Eunomii de baptismo placitum refert, Μὴ χρῆναι τρεῖς καταδύειν τὸν βαπτίζομενον μηδὲ ποιεῖσθαι τὴν τοῦ Τριάδος ἐπίκλησιν, ἀλλ' ἅπαξ βαπτίζειν εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ, *Non oportere ter illum immergere qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, sed semel immergere in mortem Christi.* Ad istos, inquit Dallæus, *totum hunc Dionysiacæ*

⁵ [“Hic, fateor, Canon in omnibus Balsamonis et Zonaræ editionibus habetur. Citatur etiam in Photio in Nomocanone, tit. xii. cap. 14, [Just. Bib. J. C. tom. ii. p. 1073,] necnon in Alexii Aristeni Epitome [ib. p. 690] contractus exstat. Sed in omnibus Latinis Canonum versionibus, ut veteris Interpretis, Dionysii Exigui, Isidori Mercatoris, etc., item in Symeonis Logothetæ Epitome, et in Arabica Josephi Ægyptii paraphrasi, et, quod in primis observandum est, in ipsa Joannis Antiocheni collectione, et Nomocanone desideratur. Idque non ipsius incuria, ut ex eo patet, quod in ordine Canonum a se descripto sex solum Canones huic secundo generali Synodo attribuat; dicens τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συνελθόντων πατέρων, ὑφ' ὧν ἐξέτιθησαν κανόνες 5', [Just. Bib. J. C. tom. ii. pp. 501, 502;] ut extra dubium sit, præsentem inter hujus Concilii Canones his diebus non recensitum fuisse. Quinetiam tota Canonis hujus compositio eum nec præsentem, nec alii cuivis, Synodo (nisi forsitan Trullanæ, de qua mox agemus), adscribendam esse non obscure indicat. Nihil enim in eo constituitur, nihil confirmatur; sed tantum antiqua quædam hæreticos conversos recipiendi consuetudo hic recitatur. Et ubi de

nonnullis signandis verba fiunt, nihil præcipitur de modo, quo celebrandum est, nec de verbis in ritu isto pronuntiandis, sed tantum quæ verba pronuciari solent, καὶ σφραγιζόντες αὐτοὺς λίγομεν, Σφραγίς δωριᾶς Πνεύματος Ἁγίου quæ quidem loquenda formula synodali cuilibet constitutioni non convenit.”—Bev. Annot. in Can. vii. Conc. C. P. Annot. ad Pan. Can. p. 100. Pergit vero sententiam suam eo magis confirmare, quod eadem verba, quæ hic (et in Can. Trull. xcv.) usurpantur, in Epistola quadam ad Martyrium Antiochenum Constantino- poli post annum cccclv. scripta occurrunt. Unde concludit, “Præsentem Canonem nihil aliud esse, quam hanc Epistolam decurtatam aliquantulum et immutatam, ut aliquam saltem Canonis speciem præ se ferat. Nimirum siquidem antiquus hæreticos recipiendi ritus ab Ecclesia Constantinopolitana usitatus accurate in ea exhibetur, digna nonnullis visa est hæc Epistola, quæ post Canones Concilii ibi celebrati describeretur.” — Ib. p. 101. Hanc Epistolam ad Martyrium primus edidit J. Leunclavius in Juris Græco-Romani libro quinto. Consule quoque Routhii annotationes in hunc Canonem, apud Script. Eccl. Opusc. tom. ii. pp. 450, 451. Ox. 1832.]

sive Græcanicæ collectionis Canonem XLIX. respicere ac pertinere qui non intelligit, næ ille nihil intelligit. Itaque cum ii, quos recta ferit, Eunomiani Constantii principatu (hoc est, post An. Dom. CCCXXXVII.) exorti sint, fieri profecto non potest, ut non modo Apostolis, sed etiam Clemente, duobus totis et amplius seculis recentior non fuerit, qui hunc Canonem condidit. Hactenus Dallæus, cujus argumentum firmiter adhuc e Sozomeni testimonio adstructum videatur, dicentis, *Φασι δέ τινες, πρῶτον τοῦτον τὸν Εὐνόμιον τολμῆσαι εἰσηγήσασθαι, ἐν μιᾷ καταδύσει χρῆναι ἐπιτελεῖν τὴν θείαν βάπτισιν, καὶ παραχαράξαι τὴν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων εἰσέτι νῦν ἐν πᾶσι φυλαττομένην παράδοσιν, Αἰὺντ πορρο quidam Eunomium hunc primum asserere ausum esse, quod sacrum baptismum una mersione peragendum sit, et traditionem, quæ ab Apostolis ad hunc usque diem ubique servatur, corrupisse.* Hoc autem testimonium cautus prudensque omisit vir eruditus, ut illud, quod hoc Canone sancitur, ab ipsis Apostolis traditum, et ab iis usque ad Sozomeni ætatem, et quidem ubique, sive ab omnibus Ecclesiis, servatum asserens, quod a Dallæana de eo opinione usque adeo abhorret, ut sine summo causæ periculo ab eo divulgari non possit.

Sozom. [Hist. Eccl.] lib. vi. cap. 26, [p. 252.]

IV. Hoc autem etiamsi, primo saltem intuitu, aliqualem argumenti speciem præ se ferat, eo quod verisimile sit hæreticum aliquem, in mortem Christi baptizantem, huic condendo Canoni occasionem præbuisse, si paulo tamen attentius inspiciatur, nihil in se continet, quod tantæ eum novitatis arguit. Enimvero Socrates et Sozomenus ecclesiasticas suas, ut cuique notum est, historias ab eo demum tempore incipiunt, in quo historia Eusebii Cæsariensis desiit: ac proinde nihil ex iis certi de Ecclesiæ primitivæ disciplina hauriri potest. Quod itaque Sozomenus de Eunomio scribit, eum scilicet primum juxta nonnullos asseruisse, quod sacrum baptismum una tantum mersione peragendum sit, de istis solis temporibus intelligendum est, quorum historiam ille contexit: quibus etiam ipsis Eunomium hoc primum prædicasse, ipse Sozomenus non affirmat, sed dicit tantummodo *φασὶ δέ τινες, nonnulli hoc dicunt.* Quibus verbis hanc aliorum quidem nonnullorum, sed non suam esse opinionem indicat. Quin isti etiam, qui illud affirmabant, de suis tantum temporibus loquebantur, quibus Eunomius primus hoc asserere ausus

est. Socrates autem et Theodoretus, licet hanc Eunomii sententiam fuisse consentiant, neutiquam tamen illum primum ita sensisse dicunt: sed observant tantummodo eum una mersione in mortem Domini data baptismum celebrasse. Quod alii proculdubio hæretici nonnullis retro seculis asseruerant et factitarant: quod nec Socrates, nec Theodoretus, nec ipse Sozomenus negavit usquam, vel negare potuit. Multis enim ante Eunomium annis Monarchiani, Praxeani, alique blasphemi hæretici Sacrosanctam Trinitatem negaverant, ac proinde trinam in baptismo mersionem admittere non potuerunt, quippe quæ tres distinctas in Divina Natura Personas supponit, in quas singulas baptismus administratur. Unde Tertullianus Patris, ac Filii, adeoque Personarum SS. Trinitatis distinctionem hoc argumento demonstrat, quod baptismus juxta Dominicam institutionem in singulas Personas celebrandus sit. Etenim adversus Praxean ejusque gregales de hac re disputans, hæc habet, *Et post resurrectionem spondens Christus, missurum se discipulis promissionem Patris, et novissime mandans, ut tingerent in Patrem, et Filium, et Spiritum, non in Unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula Nomina in Personas singulas tinguimur. Ubi etiam verba ista, et non in Unum, Praxean aliosque istius seculi hæreticos, in Unum, in Christum scilicet, Ejusque mortem baptizare solitos fuisse innuunt. Quod etiam e D. Cypriano indubium redditur. Hunc acriter contendisse eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam Catholicam conversi sunt, baptizandos esse, et baptismum ab hæreticis collatum a nemine tanquam verum admittendum, nemo nescit. Si rationem autem quæramus, qua in hanc opinionem inductus est, huc fere redit, quod istorum temporum hæretici non in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, juxta quod a Domino præscriptum est, sed tantum in Nomine Christi pro nobis mortui baptizare solerent. Cum ergo, inquit, et Ipsius Christi prædicatione et contestatione Pater ante cognoscendus sit, qui misit, tunc deinde Christus, qui missus est, nec possit esse spes salutis nisi duobus simul cognitis, quomodo non cognito, imo et blasphemato, Deo Patre, qui apud hæreticos Christi Nomine baptizati dicuntur, peccatorum remissam consecuti judicantur? Et paucis interjectis, Denique ubi post resurrectionem, a Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in Nomine Patris, et Filii, et*

Tertull. adv.
Prax. cap.
xxvi. [p. 516,
A.]

Cyprian.
Epist. lxxiii.
ad Jubalan.

[Ib. p. 206.]

Spiritus Sancti baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt, foris extra Ecclesiam, imo et contra Ecclesiam, modo in Nomine Jesu Christi, ubicunque et quomodocunque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse; quando Ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate. Eadem fere repetit in Epistola ad Pompeium, et passim alibi. E quibus conficitur istius seculi hæreticos in Deum Patrem blasphemasse, ac propterea baptismum non in adunata Trinitate, sed tantum in Nomine Christi, qui pro nobis mortuus est, administrasse. Contra quos proinde talis, qualem sub manibus habemus, Canon ab Ecclesia ederetur necesse fuit: ut magnum scilicet hoc Sacramentum, quo in Ecclesiam Christianam admittimur, juxta Christi Ipsius institutionem in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et non tantum in Nomine vel in mortem Christi peragatur. Huic saltem constituendo Canonis veteres illi, qui Ecclesiam secundo tertioque seculo infestarunt, hæretici amplam satis materiem præbuerunt, æque ac Eunomius, qui quarto nondum adulto exortus est.

[Ep. lxxiv.
pp. 212, 213.]

V. Argumentum igitur ex Eunomio petitum antiquitati hujusce Canonis nihil detrahit. Quin potius hæretici istius historia, ut a Theodoreto tradita, luculentum eidem adstruendæ argumentum suppeditat. Ille enim de Eunomio loquens hæc habet, *Αὐτὸς καὶ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος ἀνέστρεψε τὸν ἀνέκαθεν παρὰ τοῦ Κυρίου καὶ Ἀποστόλων παραδοθέντα θεσμόν, καὶ ἄντικρυς ἀντενομοθέτησε, μὴ χρῆναι λέγων τρεῖς καταδύειν τὸν βαπτίζομενον, μηδὲ ποιεῖσθαι τὴν τῆς Τριάδος ἐπίκλησιν, ἀλλ' ἅπαξ βαπτίζειν εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ, Idem sancti etiam baptismatis legem antiquitus a Domino ac Apostolis traditam evertit, et contrariam aperte sanxit, dicens non oportere ter illum immergere qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in Christi mortem. Hic enim legem a Domino ac Apostolis Ejus latam asserit, ut SS. Trinitas in baptismo administrando invocetur sive nominetur, utque is, qui baptizatur, ter in aquam immergatur. Cui propterea Eunomius ἄντικρυς, ut ait, ἀντενομοθέτησε, contrariam plane legem sanxit, cum hos ritus minime necessarios, nec omnino observandos esse, sed baptismum in mortem Christi conferendum edixerit. Et quidem de SS. Trinitate invocanda res satis constat, cum Ipse Dominus in mandatis dederit, ut baptismus in Nomine*

Theodoret.
Hæret. Fab.
lib. iv. cap. 3.
[Op. tom. iv.
p. 356.]

Patris, et Filii, et Spiritus Sancti peragatur. Ubi vero est lex ista ab Apostolis data, cui Eunomius contradixit, imo contrariam legem tulit? Ubi illi tradiderunt, ut baptismus trina mersione, et non una sola in mortem Christi data celebretur? Talem sane legem vel a Domino, vel ab Apostolis Ejus latam Theodoretus hoc in loco diserte affirmat. Constat autem Dominum illud nusquam præcepisse; Apostolos etiam nullam ea de re legem in Sacris Scripturis tulisse constat. Restat igitur, ut lex ista Apostolica, cui Theodoretus Eunomium contrarium sanxisse asserit, nihil aliud fuerit, quam præsens Canon Apostolicus, conceptis verbis præcipiens, ut baptismus trina mersione perficiatur, et non unica in mortem Christi collata, cui lex ab Eunomio lata plane contraria fuit. Neque ulla unquam lex sive constitutio ecclesiastica de hac re Apostolorum nomen sibi inscriptum habuit, præter hunc unum, Apostolicum vulgo appellatum, Canonem. Quem propterea Theodoretus in animo habuisse videtur, cum verbis supra laudatis Eunomium in baptismi celebratione Apostolorum legem evertisse, eique contrariam sanxisse dicebat. Adeo ut hoc Theodoreti testimonium tantum abest, ut antiquitatem horum Canonum convellat, ut inter ea potius recenseatur argumenta, quibus nostra de iis opinio confirmatur.

VI. Hisce diffusus, Dallæus alia adhuc machina antiquitatem hujusce Canonis labefactare conatus est, et, quod mirum est, novitatem illius exinde probare, quod ab ipsis Domini Apostolis antiquis Patribus traditus perhibeatur. *Sed et aliter, inquit, ejusdem novitas deprehenditur. Hanc enim trinam, quam in baptismo decernit, mersionem, et Tertullianus, et Basilius, et Hieronymus gravissimi viri auctores sunt, sola muta et ἀγράφῃ traditione fuisse a majoribus receptam, nulla scripta lege, nullis literarum tabulis expressam aut præceptam.* Interjectis deinde Patrum istorum testimoniis a nobis ante partim recitatis, infert, *Atqui et hujus ritus scripta erat lex, si Apostolicus hic a Clemente scilicet scriptus Canon exstabat.* Nos hunc Canonem a Clemente scriptum fuisse haudquaquam contendimus. Veruntamen non possumus non mirari, quo demum artificio sibi persuadere potuit Dallæus, hunc Canonem novitatis ex eo convinci posse, quod res in eo decreta ab antiquis adeo scriptoribus ad

Dall. de
Pseud. [lib.
iii. cap. 17.]
p. 630.

[Ib. p. 631.]

Apostolicam traditionem referatur. Neminem, nedum Dal-læum, latere potuit, Patres, ubicunque leges scriptas et ἀγράφους traditiones distinguunt, nihil aliud sibi per leges scriptas velle, quam ipsas Sacras Scripturas divinitus inspi-ratas. Quicquid autem in iis non habetur, et nihilominus semper et ubique observatum ab Ecclesia fuit, illud traditi-
 oni acceptum retulerunt, licet in sexcentis aliis libris præ-scriptum esset. Exempla passim occurrunt. Nos unicum edemus ad rem nostram imprimis faciens. S. Basilius, unus e gravissimis illis viris a Dallæo hic laudatis, inter ἀγράφους traditiones a se recensitas refert, quod prima Sabbati erecti preces effundere solebant. Ὁρθοὶ μὲν πληροῦμεν τὰς εὐχὰς ἐν τῇ μίᾳ τοῦ σαββάτου. Eundem ritum per totum tempus a Pascha ad Pentecosten observatum fuisse asserit.⁶ Hæcque inter ἀγραφα τῆς ἐκκλησίας μυστήρια recenset. Constat autem Ter-tullianum, aliosque S. Basilio longe antiquiores Patres eun-dem scriptis mandasse ritum. Imo quidem lex ab ipso Concilio Nicæno scripta exstabat, hæc diserte præcipiens, Ἐπειδὴ τινὲς εἰσὶν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς Πεντηκοστῆς ἡμέραις, περὶ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ ὁμοίως παραφυλάττεσθαι, ἐστῶτας ἔδοξε τῇ ἀγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ. Quoniam sunt quidam, qui in die Dominico genuflectunt, et ipsis diebus Pentecostes, ut omnia similiter in omni parochia serventur, visum est sanctæ Synodo, ut stantes Deo orationes effundant. Sed, non obstante ipso Nicæno decreto, S. Basilius hunc ritum, non scripta lege, sed sola muta traditione a majoribus acceptum refert. Eo scilicet, quod in Sacris Scripturis non continetur. Idem et de Apostolico hoc Canone dicatur: Utpote quo non obstante, S. Basilius aliique antiquiores Patres ter baptizatum immergendi ritum soli traditioni propterea adscribunt, quod in Sacris Scripturis nec præ-ceptum illius nec exemplum habeamus. Qui hunc autem

S. Basil. de Spir. Sancto, cap. xxvii. [Op. tom. iii. p. 56, A.]

[Ibid. p. 56, E.]

Can. Nic. XX. [Pan. Can. tom. i. p. 84, B.]

⁶ [Ἀναγκαίως οὖν τὰς ἐν αὐτῇ προσ-
 ευχὰς ἰστώτας ἀποπληροῦν τοὺς ἑαυτῆς
 τρεφίμους ἢ ἐκκλησία παιδίου, ἵνα τῇ
 συνεχιῇ ὑπομνήσει τῆς ἀτελιότητος ζωῆς,
 τῶν πρὸς τὴν μεταστάσιν ἐκείνην ἰφοδίων
 μὴ ἀμιλῶμεν. Καὶ πᾶσα δὲ ἡ Πεντη-
 κοστὴ τῆς ἐν τῷ αἰῶνι προσδοκωμένης
 ἀναστάσιώς ἴστιν ὑπόμνημα. Ἡ γὰρ

μία ἐκείνη καὶ πρώτη ἡμέρα, ἰστώτικῃς
 ἰσταπλασιασθῆῖσα, τὰς ἰστώ τῆς ἱερᾶς
 Πεντηκοστῆς ἰβδομάδας ἀποτιλεῖ. . . .
 Ἐν ἣ τὸ ὄρθιον σχῆμα τῆς προσευχῆς
 προτιμᾶν οἱ θισμοὶ τῆς ἐκκλησίας ἡμᾶς
 ἐξισταίδυσαν.—S. Bas. de Spir. Sancto,
 cap. xxvii. Op. tom. iii. p. 56, C, D.]

Canonem scriptis antea non mandatum fuisse ex eo probare molitur, quod ad mutam sive ἄγραφον traditionem a Patribus referatur, idem eodem argumento probet, Nicænum de precibus fundendis Canonem scriptum non exstitisse, cum S. Basilius ritum istum ἄγραφον esse traditionem asserebat. Quo nihil absurdius effingi potest. Siquidem Nicænum istum Canonem multis ante S. Basilium annis editum fuisse inter omnes constat. Adhæc, quas Patres 'traditiones' nominarunt, eas omnes ab Apostolis manasse crediderunt. Quapropter Tertullianus aliique antiquum hunc ritum, quo baptizati ter immergerentur, per traditionem ab Ecclesia receptum arbitrantur, eo ipso nomine eundem ab ipsis Apostolis derivatum traditumque judicarunt. Quod quidem eum novitatis usque adeo non arguit, ut antiquissimum potius Ecclesia ritum fuisse demonstret, dignissimumque qui in Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ colligatur.

CAPUT VII.

Synopsis.

- I. *Quid contra Canones Apost. LII. et LXII. de Pœnitentibus recipiendis objectum sit.*
- II. *Pœnitentes secundo tertioque seculo ab Ecclesia receptos esse probatur. Quod si clerici essent, ad laicam tantum communionem admissi sunt.*
- III. *Quicquid his Canonibus decernitur Apostolorum doctrinæ convenit.*
- IV. *Canon LX. de libris hæreticis. Multi hujusmodi libri istis diebus editi sunt. A Valentino, Marcione, et aliis. Evangelium secundum Ægyptios, secundum Hebræos, Judæ, Veritatis.*
- V. *Canon Apost. LXIII. Apostolorum doctrinæ et decreto consonat. Lex Mosaica de sanguine et suffocatis non edendis necessaria judicata est observatu aliquandiu post Apostolos. Ab Ecclesia Occidentali diu observata fuit, ab Orientali ad hunc usque diem.*
- VI. *Canon LXVI. defenditur. Primitiva Ecclesia die Dominico non jejunabat, neque Sabbato, nisi Magno. Hæresis Marcionis huic de Sabbato non jejunando sanctioni materiam dedit.*
- VII. *Post extinctam istam hæresin, nonnullis in locis Sabbato jejunatum est, aliis non. D. Ambrosii de hujusmodi rebus consilium.*

I. QUICQUID V. Cl. Joannes Dallæus contra quemvis e quinquaginta prioribus Apostolorum Canonibus a Dionysio Exiguo Latine versis objecit, quod nostram de iis opinionem quovis modo labefactare videatur, expendimus hucusque et diluimus. Reliquum est, ut eas etiam discutiamus exceptiones, quas contra triginta quinque posteriores excogitavit. E quibus in secundum, quem ille primum vocat, quique totius collectionis est LII., primum impetum facit. Canon

[Pan. Can.
tom. i. p. 34,
E.]

iste sic habet, Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὸν ἀποστρέφοντα ἀπὸ ἁμαρτίας οὐ προσδέχεται, ἀλλ' ἀποβάλλεται, καθαιρείσθω· ὅτι λυπεῖ τὸν Χριστὸν, τὸν εἰπόντα, Χαρὰ γίνεται ἐν οὐρανῷ ἐπὶ ἐνὶ ἁμαρτωλῶ μετανοοῦντι. *Si quis Episcopus vel presbyter eum qui a peccato convertitur non recipit, sed rejicit, deponatur, quoniam Christum molestia afficit, dicentem, Gaudium est in caelo propter unicum peccatorem pœnitentiam agentem.* Huic, in-

[Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 12, p.
556.]

quit Dallæus, *jungendus quoque est ejusdem sententiæ sexagesimus primus (secundus potius) edicens, ut clericus negator si pœnitentiam egerit, ut laicus recipiatur.*¹ Hos duos Canones novos esse, et non ante Tertulliani et ipsius Cypriani tempora constitutos, ex eo pronunciat et demonstrare nititur Dallæus, quod controversias dirimant istis demum temporibus exortas, quod ante Cyprianum, hoc est ante an. Dom. CCL., alius fuisset Ecclesiæ usus, quam qui his Canonibus exhibetur, et ea demum tempestate lapsos ad pœnitentiam admittendos decretum sit. Hæc Dallæanæ contra antiquitatem horum Canonum exceptionis summa est, quatenus nostram scilicet de iis sententiam pulsat.²

Ibid. cap. 12,
[p. 556.]

II. De hac autem objectione, ut Turrianum petente, nihil est quod nos admodum solliciti simus, qui hos Canones non ab Apostolis sancitos, non a Clemente scriptos, ab Ecclesia primitiva Tertulliani circiter et Cypriani tempora constitutos editosque fuisse contendimus. Quin illud enim, quod hisce duobus Canonibus decernitur, istis diebus in Ecclesia Catholica obtinuerit, nec ipse Dallæus, nec Albaspinæus ab eo laudatus, nec quivis alius unquam negavit. Universa enim istorum temporum commentaria id manifestum ac indubitatum faciunt. Cautum est enim Canone LII., ut is qui a peccato convertitur in Ecclesiam recipiatur, per publicam scilicet absolutionem, quam sua ætate usitatam fuisse Tertul-

¹ [Εἴ τις κληρικὸς διὰ φόβον ἀνθρώπινον Ἰουδαίου, ἢ Ἑλλήνος, ἢ αἰρετικῶν, ἀρνήσεται· εἰ μὲν τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, ἀποβαλλίσθω· εἰ δὲ τὸ ὄνομα τοῦ κληρικοῦ, καθαιρείσθω· μετανοήσας δὲ, ὡς λαϊκὸς διχθήτω.—Can. Ap. lxii. Pan. Can. tom. i. p. 40, D, E.]

² [“Hunc utrumque merito novum pronunciat Albaspinæus, quod is controversias dirimat sequutis post Apo-

stolos seculis natas. Canon, inquit, (lib. i. Observ. cap. 13, p. 88,) *qui de admittendis ad pœnitentiam lapsis factus est, certe ante Cyprianum* (id est, ante A.D. ccl.) *sancitus esse non potuit, cum alius esset Ecclesiæ* (antea) *usus, et illa demum tempestate admittendos esse lapsos decretum sit.* Hæc ille vere sane, ac sapienter.”—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 12, p. 556.]

lianus testis est, ubi dicit, *An melius est damnatum latere quam palam absolvi?* Origenes etiam Tertulliano æqualis docet, ut Ecclesia conversos a peccatis receperit, ubi de Christianis loquens, hæc habet, Οὔτοι δὲ ὡς ἀπολωλότας καὶ τεθνηκότας τῷ Θεῷ, τοὺς ἀπ' ἀσελγείας, ἢ τινος ἀτόπου νενικημένου, ὡς νεκροὺς πενθοῦσι, καὶ ὡς ἐκ νεκρῶν ἀναστάντας, ἐὰν ἀξιόλογον ἐνδείξωνται μεταβολὴν, χρόνῳ πλείονι τῶν κατ' ἀρχὰς εἰσαγόμενων, ὕστερόν ποτε προσίενται· εἰς οὐδεμίαν ἀρχὴν καὶ προστασίαν τῆς λεγομένης ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταλέγοντες τοὺς φθάσαντας, μετὰ τὸ προσελθῆναι τῷ λόγῳ, ἐπτακέναι. *Hi vero ut perditos Deoque mortuos lugent eos, qui libidine aliove malo victi fuerunt, ac rursus resipiscentes haud secus quam redivivos recipiunt, tandem post longiorem melioris mentis approbationem, quam cum primum ad religionem discendam admitterentur, ea tamen conditione, ut quoniam lapsi sunt, excludantur in posterum ab omnibus dignitatibus ac magistratibus ecclesiasticis.* E quibus verbis liquet, non modo eos, qui probata peccatorum suorum pœnitentia ducti fuerunt, ab Ecclesia receptos esse, juxta quod Canone præsentī LII. decretum est, verum illud etiam, quod Canone LXI. definitur, tunc temporis observatum fuisse, ut is scilicet, qui fornicationis, adulterii, aut alicujus alius prohibitæ actionis convictus fuerit, ad clerum non provehatur.³ Fateor equidem primis Christianismi diebus eum fuisse Ecclesia rigorem, eam severitatem, ut mœchis, homicidis, et idololatris pax non nisi difficillime indulgeretur. Constat autem Zephyrinum, Pontificem Romanum, Tertulliano cœvum, decretum de mœchis admittendis edidisse, his verbis conceptum, *Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Et ab isto saltem tempore etiam mœchi et fornicatores ad pœnitentiam, et, ea peracta, ad communionem ab Ecclesia Catholica admissi sunt. Tametsi Tertullianus, jam Montanista factus, gravissime in illud ibidem invehatur. Et paulo post homicidæ etiam ac idololatræ, qui vel comminationibus scilicet vel tormentis victi idolis sacrificarant, Ecclesiæ reconciliati simul ac a peccatis suis conversi sunt, et debitam pœnitentiam egerunt. Hoc e

Tertul. de Pœnitent. cap. x. [p. 128, A.]

Orig. cont. Cels. lib. iii. [cap. 51, pp. 481, D, E, 482, A.]

Apud Tertul. de Pudicitia, cap. i. [p. 555, A.]

³ [Ἐἴ τις κατηγορεῖται γίνηται κατὰ πίστου, πορνείας, ἢ μοιχείας, ἢ ἄλλης τινὸς ἀπηγορευμένης πράξεως, καὶ ἐλιγχνεί, εἰς κλήρον μὴ προσαγίσθω.—Can. Ap. lxi. Pan. Can. tom. i. p. 40, A, B.]

D. Cypriani Epistola ad Antonianum, aliisque ejus opusculis usque adeo constat, ut ipsi etiam adversarii illud diffiteri nequeant. Præsertim, cum id a Synodo tam Romana sub Cornelio, quam Africana sub Cypriano habita decretum fuerit: et quod imprimis observandum est, D. Cyprianus eandem in hac causa rationem e Christi verbis petitam reddit, quæ in hoc Canone exhibetur. *Quos utique, inquit, ad pœnitentiam Dominus non hortaretur, nisi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur; et in Evangelio, Dico, inquit, vobis sic erit gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, quibus non opus est pœnitentia.* Et quod ad Canonem LXII. huic a Dallæo conjunctum præterea spectat, quo scilicet cavetur, ut clericus negator pœnitentia ductus recipiatur ut laicus, id D. Cypriani tempore et ante obtinuisse, ex eodem constat, qui de Trophimo quodam clerico, qui in errorem lapsus ejusdem modi pœnitentiam egerat, loquens, ait, *Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus et restituta multorum salus. Sic tamen admissus est Trophimus, ut laicus communicet: non secundum quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quasi locum sacerdotis usurpet.* Hinc enim constat hanc vulgarem fuisse passimque ante receptam Ecclesiæ disciplinam, ut clerici a peccatis aut hæresibus conversi in pristinam dignitatem non restituerentur, sed tantum ad communionem laicam. Cum malignorum enim literæ ad Antonianum pertulerint, Trophimum in locum, unde cecidit, sacerdotalem, a D. Cypriano restitutum esse, ei se purgat D. Cyprianus, asseritque Trophimum ita admissum esse, ut communicet tantum ut laicus. Verumenimvero haud necesse fuisset, ut sanctissimus Pater hac suspitione se exsolveret, nisi disciplina ab Ecclesia prius recepta exegisset, ut clericus delinquens non aliter ac laicus admittatur, juxta quod in dicto Apostolico Canone præscriptum habemus.

III. His autem pleniori explicatione non opus est; siquidem Apostolicos hosce de pœnitentibus recipiendis Canones ecclesiasticæ disciplinæ tertio saltem ineunte seculo usitatæ consentaneos esse, inter omnes, ipsos etiam adversarios, constat. Hoc enim sententiæ nostræ, hosce Canones istis diebus conditos editosque statuenti, abunde sufficit. Quod autem

Cyprian.
Epist. lli.
[Pamel. lv.
Fell.] ad
Antonian.
[pp. 110,
111.]

Ibid. [pp.
105, 106.]

ad præsentés insuper duos Canones a Dallæo impugnatos spectat, nihil certe in iis decernitur, quod non cum Christi Ipsius, et Apostolorum Ejus doctrina convenit. Utpote quæ homines ad pœnitentiam agendam passim invitat, et vere pœnitentibus peccatorum remissionem pollicetur. Et etiamsi non deessent in Ecclesia primitiva ac Apostolica, qui in nonnulla peccatorum genera severiores essent, Catholica tamen Ecclesia, etiam recens fundata, vera pœnitentia ductum nec a Deo rejectum docuit, nec ipsa unquam rejecit. Adamitæ autem, Montanistæ, et, qui post eos exorti sunt, Novatiani, pacem ecclesiasticam pœnitentibus denegantes, inter hæreticos et Apostolicæ doctrinæ corruptores perpetuo meritoque recensiti sunt. Adeo ut nihil in duobus hisce Canonibus occurrat, quo minus ab Ecclesia Apostolica sanciri poterunt, ac debuerunt etiam, cum Catholica doctrina ab ea vindicata, ab hæreticis tam cito oppugnata fuerit. Unde etiam Dionysius Corinthiorum Episcopus an. Dom. CLX. plus minus idem fere in mandatis dederit, quod in Apostolicis hisce Canonibus jubetur. Nam in Epistola, quam ad Amastrianorum et cæteras Ecclesias Ponti conscripsit, referente Eusebio, Πολλὰ [δὲ] περὶ γάμου καὶ ἀγνείας [τοῖς] αὐτοῖς παραινεῖ, καὶ τοὺς ἐξ ὧν οὖν ἀποπτώσεως, εἴτε πλημμυλίας, εἴτε μὴν αἰρετικῆς πλάνης ἐπιστρέφοντας, δεξιούσθαι προστάττει.

Multa de nuptiis et de castitate iis præcipit, et cunctos, qui a quovis lapsu, sive delicto, sive etiam ab hæretica pravitate convertuntur, benigne suscipi jubet.

Euseb. Hist.
Eccles. lib.
iv. cap. 23,
[p. 186.]

IV. Posthæc Dallæus Canonem Apostolicum LIX. (nobis LX.) adoritur: quippe qui vetat in Ecclesia publicari τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία, falso inscriptos impiorum libros, edita ab hæreticis,⁴ inquit vir doctus, sub ementitis Apostolorum et discipulorum nominibus Evangelia, Acta, Itineraria, et alia ejusdem farinae opuscula clarissime denotans, quæ nondum ipsis Apostolorum temporibus nata postea emergerunt. Non equidem diffiteor, quin Evangelia ab hæreticis conficta, aliique Apostolorum nomina falso præ se ferentes libri hoc Canone intelligantur. Utrum tales ipsis Apostolorum tem-

Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 12,
[p. 556.]

⁴ [Εἴ τις τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία, ὡς ἄγια, ἐστὶ τῆς ἐκκλησίας δημοσιεύει, ἐστὶ λύμῃ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ

κλήρου, καθαιρεῖσθω.—Can. Ap. lx. Pan. Can. tom. i. p. 39, C.]

poribus consarcinati essent, nihil est quod nos laboremus; etiamsi veri nobis plusquam simillimum videatur. Sed nostræ satis est opinioni confirmandæ, si tales libri ab hæreticis (qui hoc et XLVII. Canone ἀσεβεῖς vocantur) ante tertium æræ Christianæ seculum conscripti sint. Hoc autem nemo, qui antiquitatem ecclesiasticam vel primis degustavit labiis, ignorare potest. Ut hæreses enim una cum Catholica doctrina seminari cœperunt, sic et auctores earum ac propugnatores multa statim de iis volumina ediderunt. Ut mittam enim Phaneroeis ab Apelle, Epistolas et Antitheses a Marcione, Sophiam, Psalmos, et Epistolas a Valentino, et commentarios ab ejus discipulis, aliaque quam plurima hæreticorum figmenta in ipsa Ecclesiæ infantia edita, et ab Irenæo, et Tertulliano memorata, Evangelium secundum Ægyptios suis exstitisse diebus testis est Clemens Alexandrinus dicens, Φέρεται δὲ, οἶμαι, ἐν τῷ κατ' Αἰγυπτίους εὐαγγελίῳ, et postea, πρῶτον μὲν οὖν, ἐν τοῖς παραδεδομένοις ἡμῶν τέταρτον εὐαγγελίῳ οὐκ ἔχομεν τὸ ῥητόν, ἀλλ' ἐν τῷ κατ' Αἰγυπτίους. Idem etiam citat Evangelium secundum Hebræos, ἢ καὶ τῷ κατ' Ἑβραίουσιν, inquit, τῷ εὐαγγελίῳ, ὁ θαυμάσας βασιλεύσει, γέγραπται, καὶ ὁ βασιλεύσας ἀναπαυθήσεται. Adhæc, Evangelium Judæ dictum Irenæi ætate ab hæreticis circumferebatur, utpote qui ejusdem mentionem fecerit, his verbis, *Et confinctionem afferunt hujusmodi, Judæ Evangelium illud vocantes.* Marcion etiam se diversum ab aliis Evangelium habere asseruit.⁵ Valentiniani volumen a se confictum 'Veritatis Evangelium' perfricta fronte nuncupare ausi sunt. *Hi vero*, inquit Irenæus, *qui sunt a Valentino, iterum existentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriantur, quam sunt ipsa Evangelia. Siquidem in tantum procererunt audaciæ, uti quod ab his non olim conscriptum est, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apostolorum Evangeliiis, ut nec Evangelium quidem sit apud eos sine blasphemia.* Cum hæc igitur, aliaque, quæ hujuscemodi plurima proferri possunt, omni impietate, hæresique et blasphemia conferta volumina, secundo currente seculo in lucem prodierint, idque sub specioso Evangeliorum nomine, haud

[Pan. Can. tom. i. p. 31, B.]

[Tert. de Præs. Hær. cap. xxx. p. 212, C; Adv. Marcion. lib. iv. cap. 1, p. 413, A; et de Carne Christi, cap. xvii. p. 320, D.]

Stromat. lib. iii. [cap. 9.] p. 452, [Paris. pp. 539, 540, Potter.] Ibid. [cap. 13.] p. 465, [Paris. p. 553, Potter.] Ibid. lib. ii. [cap. 9.] p. 380, [Paris. p. 453, Potter.]

Iren. [cont. Hæres.] lib. i. cap. 35, [31, Mas-suet. sect. 1, p. 112.] Ibid. lib. iii. cap. 11, [sect. 9, p. 192.] Ibid. [sect. 9, p. 192.]

⁵ ["Marcion totum rejiciens Evangelium . . . pariter gloriatur se habere

Evangelium."—Iren. cont. Hær. lib. iii. cap. 11, sect. 9. Op. p. 192, col. 1.]

mirum est, quod ab Ecclesia hoc Canone cautum sit, ne istiusmodi ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία in ecclesiasticis cœtibus publice legerentur: mirandum potius esset, si Ecclesia primitiva sui curæque sibi concreditæ adeo negligens fuisset, ut talem non ederet Canonem, quo impios hujusmodi, hæreticos, blasphemos, falsoque inscriptos libros populo recitari prohiberet.

V. Porro Canon Apost. LXIII. sic se habet, Εἴ τις [Pan. Can. tom. i. p. 41, B, C.] ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὄλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ φάγη κρέα ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, καθαιρείσθω· τοῦτο γὰρ ὁ νόμος ἀνεῖπεν εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω. *Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel omnino ex sacerdotali catalogo, comederit carnes in sanguine animæ suæ, vel quod a feris captum, vel morticinum, deponatur. Hoc enim lex prohibet. Si autem sit laicus, segregetur.* Quod hoc Canone sancitur, ab ipsis Apostolis decretum et a primitiva Ecclesia accurate observatum fuisse, ex Tertulliano, Origene, Clemente Alexandrino, et ex Epistola Viennensium et Lugdunensium ad Ecclesias Asiæ ac Phrygiæ scripta, necnon e Minutio Felice in Annotationibus probatum dedimus.⁶ Nec pluribus opus est testimoniis, siquidem ipse Dallæus negare non potuit, Ecclesiam Apostolicam a sanguine, a suffocatis, et morticinis abstinere solitam fuisse.

⁶ [“ Ut veteri legi Judæis, sic et ab ipsis Apostolis, Judæorum infirmitate tunc temporis consulentibus, (Act. xv.) Gentilibus conversis præcipitur, ut ab immolatis, suffocatis, et sanguine abstinerent; quod Apostolorum decretum hoc Canone renovatum videtur, adjecta insuper certa transgressoribus poena, clericis quidem depositione, excommunicatione laicis. Et Ecclesiam quidem primitivam, tam Occidentalem, quam Orientalem, hoc inviolatum diu observasse, e veterum testimoniis luculenter patet. Tertullianus, *Erubescat*, inquit, *error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quoque suffocatis et morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur vel intra viscera se-*

pulto. Tert. Ap. cap. ix. [p. 10, A, B.] Origenes, τὰ δὲ πνικτὰ, τοῦ αἵματος μὴ ἐκκρεθίντος, (ὅτι φασὶν εἶναι τροφήν δαιμόνων τριφομένων ταῖς ἀπ’ αὐτοῦ ἀναθυμιάσεσιν) ἀπαγορεύει ὁ λόγος, ἵνα μὴ τραφῶμεν τροφῇ δαιμόνων· τάχα τινῶν τοιούτων πνευμάτων συτραφησομένων ἡμῖν, ἰὰν μεταλαμβάνωμεν τῶν πνικτῶν· ἐκ δὲ τῶν εἰρημίνων περὶ τῶν πνικτῶν σαφὲς εἶναι δύναται τὸ περὶ τῆς ἀποχῆς τοῦ αἵματος. Orig. cont. Cels. lib. viii. [cap. 30, tom. i. p. 763, C, D.] Minucius Felix, *Nobis homicidium nec videre fas est, nec audire, tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.* Minut. Felic. Octav. [cap. xxx. Gall. Bib. Patr. tom. ii. p. 308.] Clemens Alexandrinus, Οὐδὲ γὰρ ἐγγίεν αἷμα τοῖς ἀνθρώποις θίμις, εἰς τὸ σῶμα

Ac propterea nihil huic Canoni objecit, præter rationem ei hujus interdicti redditam, Τοῦτο γὰρ ὁ νόμος ἀνεῖπεν, *Hoc enim lex prohibuit.* At veri, inquit, *Apostoli hujusmodi rebus vesci Christianos vetuerunt, ad vitandum Judæorum scandalum, non ob legis ipsius auctoritatem, quam hac in parte a Christo Domino abrogatam luculentissime passim docent.* Hæc autem objectio nostram opinionem nequaquam attingit, qui scilicet hunc cæterosque hujusce collectionis Canones non ab ipsis Domini Apostolis, sed a primitiva tantum Ecclesia aliquot post Apostolos annis, conditos collectosque asserimus. Sed observare nihilominus liceat, quod lex hoc in loco memorata de Apostolica de hac re Hierosolymis edita, æque ac de Mosaica intelligi possit: quodque, si de antiquissima lege, quæ hujusmodi rebus vesci prohibuit, intelligatur, ea diu ante Mosaicam, sive cæremonialem lata fuit. Hoc enim e septem est Noachidarum, ut vocantur, præceptis. Sic enim præcepit Dominus Noacho et filiis ejus *בשר בנפש דם לא יאכלו*, πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς οὐ φάγεσθε, ut LXX. interpretantur. Ad quam quidem legem conditores hujusce Canonis respexisse videntur, ut iisdem fere verbis utentes. Et præterea, etiamsi lex Mosaica cæremonialis a Christo abrogata sit, hanc tamen, quæ sanguinis suffocati et morticini esum prohibuit, legem ad tempus saltem necessariam fuisse observatu ipsi Apostoli in decreto suo de hac re edito diserte affirmarunt. Quapropter primi post Apostolos Christiani, dicto ipsorum decreto se obstrictos habentes, hanc etiam legem adhuc valere crediderunt. Alioquin enim vix credibile est, ut hoc tanta religione ab iis observaretur, quanta observatum fuisse inter omnes convenit. Cum primitivæ igitur Ecclesiæ præsules hunc Canonem vere Apostolico consonum sancirent, hanc ejus rationem reddiderunt; quandoquidem hanc legem, ab ipsis Apostolis ad aliquod saltem tempus confirmatam, nondum penitus abrogatam fuisse censuerunt. In qua quidem opinione Ecclesia Orientalis semper fuit, et etiamnum manet, adeo ut suffocatis

Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 12,
p. 560.

Gen. ix. 4.

Act. xv. 28.

οὐδὲν ἀλλ' ἢ σὰρξ ἴσθιν αἵματι γεωργου-
μένη. Clem. Alex. Pædag. lib. iii. cap.
3, [p. 267, Potter. 228, Paris.] Sic
Biblias Martyr, Antonio Vero impe-
rante, inter cruciatus dicebat, πῶς ἂν

παιδία φάγοιν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλό-
γων ζώων αἷμα φαγεῖν ἰξόν; Eus. Hist.
Eccl. lib. v. cap. 1, [p. 203]."—Bever.
Annot. ad Can. Ap. lxiii. Annot. in
Pan. Can. p. 32, tom. ii. ad fin.]

vesci iis religio sit. Et in Occidente etiam contraria consuetudo non nisi post aliquot ab Apostolis secula invecta est; ut e Gregorii tertii P. R., aliorumque Canonibus pœnitentialibus videre est.⁷ Adeo ut Occidentalis etiam Ecclesia illud, quod hoc Canone sancitur, per diu observavit, Orientalis semper.

VI. Quem proximum oppugnat Dallæus, est Canon Apost. sexagesimus sextus, sic habens, Εἴ τις κληρικὸς εὐρεθῆται ἡν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον (πλὴν τοῦ ἐνὸς μόνου,) καθαιρεῖσθω ὁ δὲ λαϊκὸς ἀφοριζέσθω. *Si quis clericus deprehendatur die Dominico jejunans, vel Sabbato, præter unum solum, deponatur. Laicus autem segregetur.* Multa contra hunc Canonem congescit vir doctus, quibus istum nec ab ipsis Apostolis sancitum, nec editum a Clemente probaret.⁸

⁷ [“ Suffocatum dicimus, quod sive sanguinis effusione perimitur, vel quod in laqueo necatur. Si quis a lupo vel a cane, aut in laqueo suffocatum invenerit, nullatenus manducetur; nec sanguinem alicujus bestiae quis manducare aut bibere præsumat. Quod si quis fecerit, quadraginta dies pœniteat.” — Greg. Papæ III. Judicia. Jud. xxix. Conc. tom. vi. col. 1483, E.

“ Qui morticina comederit inscius, viginti dies pœniteat; sciens, quadraginta.” — Jud. xxx. Ib. col. 1484, C.

“ Si autem nesciens manducaverit idolis immolatum, aut morticinum, dabitur illi venia, quoniam nesciens hoc fecit; tamen jejuset hebdomadas tres.” — Halitgarii Ep. Cameracens. Antiquus Pœnitentialis Rom. apud Canisii Thes. Mon. Eccl. tom. ii. p. ii. p. 138. Antv. 1725.

“ Si quis canis aut vulpis, aut acceptor mortificaverint; sive de fuste, sive de lapide, sive sagitta, quæ ferrum non habet, mortuum fuerit, hæc omnia suffocata sunt, non manducantur, et qui manducaverit, jejuset hebdomadas sex.” — Ib. p. 139.

“ Qui morticinum inscius comederit, quadraginta dies pœniteat, si

autem sciens, centum dies pœniteat.” — Bedæ de Remed. Peccat. cap. xiv. *De diversis causis.* Apud Anton. Augustini Canones Pœnitentiales, pp. 117, 118.]

⁸ [“ Non esse hunc Canonem Apostolicum ita pugnat Baronius (A. D. 102, § 15,) [tom. ii. p. 18, Colon. 1609.] *Quomodo, quæso, inquit, tot tamque disertos antiquos Patres, qui de jejunio Sabbati instituerunt disputationem, Canon ille præteriit, ut a nemine citatus reperiatur? Vel quonam pacto, obsecro, [quod et superius diximus] Romana Ecclesia contra omnium Apostolorum Canonem Sabbati jejunium suscepisset, vel eorum Episcopus Clemens id fieri permisisset, qui, quod statuissent Apostoli, et ipse scripsisset, perquam optime sciret? Vel quomodo ex traditione Petri et Pauli, Apostolorum principum, ejusmodi diei Sabbati jejunii sibi vindicare est solita eadem Ecclesia observantiam, quam Apostolorum Canonem pœnitentis adversari nosset.* Hactenus Baronius, quocum et Bellarminus (de Pont. Rom. lib. ii. cap. 27,) [Disp. Romæ, 1833, tom. i. p. 608,] et Possevinus (Appar. vers. Clemen.) [tom. i. pp. 369, 370,] et Binius (in

[Pan. Can. tom. i. p. 43, A.]

Sed palmarium ejus argumentum est ad hominem, ad ipsum scilicet Turrianum, qui Canonem ab Ecclesia, cujus ipse alumnus erat, per multa retro secula violatum, vere Apostolicum esse contendit. Nos autem, qui Turrianicam de Apostolica horum Canonum auctoritate sententiam non defendimus, neque objectionibus ad istam solam evertendam allatis respondere constringimur. Nostræ satis est vindicandæ pariter atque confirmandæ opinioni, si probemus illud, quod hoc Canone constituitur, Ecclesiæ primitivæ moribus ac institutis convenire. Cautum est porro hoc Apostolico Canone, ne quis diem Dominicum jejuset vel etiam Sabbatum, unico excepto, Magno scilicet sive antepaschali, quod Paschalem nimirum festivitatem die Dominico celebratam immediate præcedit. Primo itaque sancitur, ne dies Dominica jejuniis peragatur. Hoc Tertullianus non modo sua ætate obtinuisse fidem facit, verum etiam ad Apostolicam traditionem refert. Istos enim Ecclesiæ ritus enumerans, qui in Sacris Scripturis nusquam præcepti, ubique nihilominus observati fuerunt, ut ab ipsis Apostolis per traditionem recepti, hunc inter alios recenset, dicens, *die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.* Et mox, post alios hujusmodi recensitos Ecclesiæ ritus, addit, *Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. Rationem traditioni, [et] consuetudini, [et] fidei patrocinatorum aut ipse perspicias, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces.* Cum hic igitur ritus etiam Tertulliani diebus adeo

Tertul. de
Coron. Millt.
cap. iii. [p.
102, A.]
Ibid. cap. iv.
[p. 102. B.]

not. ad hunc Can.) [Conc. tom. i. coll. 59, 60,] et Petavius in Epiph. [tom. ii.] (p. 359,) [Animad. ad Exp. Fid.] et cæteri, ni fallor, omnes, uno excepto Turriano, et recentiores et vetustiores Latini consentiunt. Petavii verba de Sabbati jejunio supra [lib. ii. cap. 9.] recitavimus, hunc Canonem velut spurium et alienum diserte rejicientis, negantisque fieri *potuisse, ut is ab Apostolis communi decreto constitueretur, ex illa, quam Augustini [Ep. liv. (al. cxviii.) ad Januar.] esse demonstrat,*

præscriptione, neque Scripturæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione determinatum esse, Sabbatone jejunare deceat an prandere, sed ejus, in qua versaris, Ecclesiæ consuetudini obtemperandum esse. Hæc illi."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 12, pp. 561, 562. Deinde breviter repetit, quæ de Sabbati jejunio in priori operis parte [lib. ii. capp. 9, 10, pp. 339–352,] contra Pseudodiataxes, quas vocat, (Apostolicas scilicet Constitutiones) dixerat.]

antiquus esset, ut ab ipsis Apostolis traditus videretur, et longa consuetudine confirmatus, non mirum est, quod ab Ecclesiæ tunc temporis præsulibus pœna transgressoribus imposita sanciat.

Quinetiam altera pars Canonis, qua scilicet Sabbati ejusque, præterquam Magni, jejunium prohibetur, iisdem diebus accurate admodum observata fuit. Hoc ex eodem Tertulliano Montani hæresi jam infecto, ad Catholicos sub probroso Psychicorum nomine hæc loquente, constat, *Quanquam vos etiam Sabbatum, si quando continuatis, nunquam nisi in Pascha jejunandum, secundum rationem alibi redditam.* Unde liquet apud orthodoxos etiam tertio ineunte seculo solenne fuisse, ut nullum præter antepaschale Sabbatum jejunio consecrarent, juxta quod hoc Canone definitur. Eundem etiam apud se suosque obtinuisse morem idem paucis interjectis testatur, dicens, *Duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis et Dominicis, offerimus Deo, abstinentes ab iis quæ non rejicimus, sed [non] differimus.* Ergo et isti, qui jejunia a sese religiose adeo observata tantopere jactabant, Sabbata tamen et Dominicos dies ab iisdem excipiebant, etiam per suas xerophagiarum hebdomadas, quum alios omnes, istis exceptis, dies jejunantes transigere consueti sunt. Quod luculente demonstrat, usu publico istis diebus receptum esse, ut Sabbatis, non minus quam Dominicis, jejunia ab omnibus Christianis solverentur. Neque difficile est deprehendere, unde hoc originem traxerit, et quare institutum fuerit. Enimvero proximo post Apostolos seculo Marcion erumpebat, alium esse, et colendum esse Deum, præter Creatorem a Judæis cultum, blasphemæ asserens. Ut ex Irenæo, Tertulliano, aliisque istorum temporum scriptoribus constat. Cum hæreticus igitur iste improbam hanc opinionem disseminasset, ut Judæorum, quemadmodum Eum vocabat, Deus in nullo ab iis numero haberetur, Sabbatum, quo Is a mundi creatione requievit, non requie sed jejunio a discipulis suis celebrandum esse instituit. Hoc Epiphanius vidit, et posteritati his verbis tradidit, *Τὸ δὲ σάββατον νηστεύει διὰ τῆς αὐτῆς αἰτίας. Ἐπειδὴ, φησὶ, τοῦ Θεοῦ τῶν Ἰουδαίων ἐστὶν ἡ ἀνάπαυσις τοῦ πεποικηκόπου τὸν κόσμον, καὶ ἐν τῇ ἐβδόμῃ ἡμέρᾳ ἀναπαυσάμενου, ἡμεῖς νηστεύσωμεν ταύτην, ἵνα μὴ τὸ καθῆκον τοῦ Θεοῦ τῶν Ἰουδαίων*

Tertull. [de Jejunii] adv. Psych. cap. xiv. [p. 552, B.]

Ibid. cap. xv. [p. 552, C.]

[Tert. adv. Marc. lib. 1. cap. 2, seq. p. 366, seq.]

Epiph. Hær. xlii. [Marcionist.] n. 3. [Op. tom. i. p. 304, B.]

ἐργαζώμεθα. Sabbati jejunium ob hanc causam instituit. Cum enim, ait, Judæorum Dei, qui hunc mundum fabricavit, illa sit requies, cum die septima requieverit, eadem nos jejunare instituimus: ne Judæorum Dei ritibus uti videamur. Cum Marcionis itaque discipuli ob hanc rationem, juxta magistri institutum, Sabbatis jejunare solerent, necessitas postulabat, ut contrarium ab Ecclesia Catholica sanciretur, ne quis scilicet Sabbatum quodvis, præter antepaschale, quo Dominus noster in sepulchro jacuit, jejunio dedicaret. Alioquin enim prævalente paulatim Marcionis hæresi, unum verumque Deum, omnipotentem mundi Conditorum, quem ipsa religiose colebat, ab aliis ludibrio et contemptui haberi impie pateretur. Qui isthoc enim infecti veneno Sabbatum tunc temporis jejunabant, eo se Deum Opt. Max., omniumque rerum Creatorem contemnere, et contumelia, quantum fieri potuit, onerare profitebantur. Hinc itaque caute admodum et prudenter ab Ecclesia primitiva hoc Canone constitutum est, ut clerici quidem Sabbatum, magno excepto, jejunantes, deponantur, et excommunicentur laici, ut pestifera Marcionis de Deo Creatore opinione imbuti.

VII. Et ipsum quidem Marcionem huic condendo Canoni occasionem præbuisse, eo magis adducor ut credam, quod etiamsi Cerdon, aliique, quos inter Simon Magus, eadem de Deo blaspheme prædicassent, nulla tamen hujus de Sabbato non jejunando instituti vestigia exstant ante Marcionem, qui Antonino Pio imperante vixit, suamque propterea hæresim anno plus minus CXL. divulgare cœpit. Epistola enim ad Philippenses B. Ignatio adscripta, (qua dicitur, *Ἐῖ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἐνὸς σαββάτου τοῦ Πάσχα, οὗτος χριστοκτόνος ἐστὶ*) hæc, inquam, Epistola nec ab Eusebio, nec Hieronymo, nec a quovis veterum inter genuinas sanctissimi illius martyris Epistolas memoratur, diuque postea conficta videtur. At post dictam Marcionis hæresin exortam, Sabbatum a jejunio immune passim servatum fuit. Idque non tantum in toto Oriente, verumetiam in multis Occidentis partibus. Sed, extincta tandem aliquando ista Marcionis hæresi, cujus solius causa contraria obtinuit consuetudo, Sabbata jejunii iterum plurimis in locis dicata sunt; Romæ saltem, ut observavit Socrates, qui de suis diebus loquens, *ἐν Ῥώμῃ*, inquit, *πᾶν σάββατον νηστεύουσι.* Et in

[Cap. xiii.
Pat. Ap.
tom. ii. p.
124.]

Hist. Eccles.
lib. v. cap.
21, [p. 298.]

nonnullis Hispaniæ Ecclesiis, ut constat e Concilio Eliberritano, dicente, *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die jejuniorum superpositionem celebremus.*⁹ Mediolani autem usque ad S. Ambrosii ætatem Sabbato non jejunatum est. Et quidem cum hoc Ecclesiæ decretum ob prædictam tantummodo hæresin editum fuerit, ea semel explosa et extincta, non necesse erat, ut diutius observaretur. Sed liberum fuit cuique Ecclesiæ illud in re adeo adiaphora eligere, quod sibi suisque filiis magis congruere videtur. Et prudentis est Christiani in hujusmodi institutis Ecclesiæ suæ sese accommodare, et gravissimum illud D. Ambrosii consilium observare, quod scilicet ille S. Augustino ipsum de hac re consulenti his verbis dedit, *Cum Romam venio, jejuno Sabbato, cum hic (Mediolani) sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quenquam tibi.* De qua sententia etiam atque etiam cogitans D. Augustinus, ita semper habuit, tanquam eam cœlesti oraculo suscepisset, ut ipse ibidem attestatur.

Conc. Ellb.
Can. xxvi.
[Conc. tom.
i. col. 973,
D.]

Apud Au-
gustin. Epist.
cxviii. [Ben.
liv.] ad Janu-
arium, cap.
ii. [Op. tom.
ii. col. 186,
C.]

⁹ [In Labbæana editione Conciliorum ita legitur: "Omni Sabbati die superpositiones celebremus."—Conc. tom. i. col. 973, D.]

CAPUT VIII.

Synopsis.

- I. Canon Apost. LXIX. *de Quadragesima et quarta sextaque feriis jejunandis, in proximo libro seorsim vindicatur.*
- II. Canon LXXII. *defenditur. Cera et oleum ab Ecclesia primitiva quamobrem usitata.*
- III. Canon LXXIII. *vindicatur. Apostolos ædes Dei cultui consecratas habuisse plusquam verisimile est. Vasa et aurea et argentea proximis post eos seculis in usu fuisse certissimum.*
- IV. Canones LXXXI. et LXXXIII. *de iis, qui civiles una cum ecclesiasticis dignitatibus obtinebant, defenduntur. Paulus Samosatenus et Episcopus fuit et Duce-narius.*

I. QUEM proximum post eos, quos hactenus vindicavimus, ex Apostolicis Canonibus oppugnavit Dallæus, nonus est supra sexagesimum de statis Ecclesiæ jejuniis agens. Quandoquidem vero is singularem *de jejuniis et Quadragesima* librum edidit, quo jejunia dicto Canone commemorata veteribus incognita fuisse Christianis probare molitus est;¹ ne quid nos intactum relinquere videamur, quicquid ille in isto libro contra horum jejuniorum antiquitatem scripsit, fusius expendere necessarium duximus, et e genuinis veterum testimoniis, ab omnibus ejus exceptionibus vindicatis, evincere, ea, quorum facta est hoc Canone mentio, jejunia ab Apostolica ac primitiva Ecclesia religiose admodum observata fuisse, prius scilicet quam hæc Canonum Apostolicorum sylloge, juxta nostram de ea opinionem, in lucem prodierit. Hæc autem disputatio, cum adeo proluxa sit, ut in uno capite commode comprehendi nequeat, adeoque

¹ [Joannis Dallæi de Jejuniis et Typis Johannis Columbii, Anno Quadragesima Liber. Daventriæ, MDCLIV.]

necessaria, ut totum alterius, potius quam partem hujusce libri constituere mereatur, ea in proximum librum, quo seorsim Deo adistente discutietur, rejecta, hic interim exceptiones doctissimi viri contra reliquos, qui supersunt, Canones expendemus.

II. Duobus autem proximis, sive LXX. et LXXI., Canonibus Apostolorum, ut in Apostolicam et doctrinam et ætatem convenientibus prætermisissis, Dallæus Canonem LXXII. adoritur. Is sic habet, *Εἴ τις κληρικὸς ἢ λαϊκὸς ἀπὸ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ἀφέληται κηρὸν ἢ ἔλαιον, ἀφοριζέσθω.* *Si quis clericus vel laicus a sancta Ecclesia ceram vel oleum aufert, segregetur.* Hic autem Canon, inquit vir doctus, *ab Apostolicis quoque temporibus abhorret.* Quid ita quæso? Enimvero quoniam inquit, *Ex omni novo fœderis instrumento non apparet aliud in Ecclesia oleum beato illo seculo floruisse vel in pretio fuisse, præter illud Spiritus Sancti mysticum, quo Deus Christum, et ex Eo homines cœlestis gratiæ consortes perfundit, atque inungit, vel alias ceras, quam quæ igne sacro ac spirituali incensæ tenebras hujus seculi sanctorum exemplorum radiis perfundit.* Hæc Dallæus, aliud procul omni dubio agens. Annon ipsis enim Apostolis lucernis opus erat, cum preces funderent, concionesque per totas sæpe noctes haberent? Annon etiam cera et oleum isti usui inservirent? Nos autem non de ipsis Apostolorum temporibus, sed de iis quæ proxime secuta sunt, disputamus: contendimusque ceram et oleum hoc Canone memorata primitivis Christianis magno in usu pretioque fuisse, in antelucanis scilicet, ac vespertinis (quorum meminit Canon Laodicensis XVIII.) obeundis officiiis. Cereorum enim ab iis tunc temporis usitatorum, ut et lampadum, quibus ellychnia oleo foveantur, frequens apud ecclesiasticos primorum seculorum scriptores occurrit mentio. D. Hieronymus adversus Vigilantium disputans, *Cereos autem, inquit, non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, et vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.* Et paulo post, *Nam et absque martyrum reliquiis, per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Socrates τὰς ἐν ταῖς λυχνιαῖς εὐχὰς memorat, dicitque præterea, *περὶ ἐσπέραν μετὰ*

[Pan. Can. tom. i. p. 47, B.]

De Pseud. lib. iii. cap. 13, [pp. 579, 580.]

[Pan. Can. tom. i. p. 461, A.]

[Hier. adv. Vigil. cap. viii. Op. tom. ii. p. 394, A, B.]

[Ibid. D, E.]

Hist. Eccles. lib. v. cap. 22, [p. 297.]

τῆς λυχναψίας² οἱ πρεσβύτεροι καὶ ἐπίσκοποι τὰς γραφὰς ἐρμηνεύουσιν. Epiphanius, Ἐωθινοὶ τε ὕμνοι ἐν αὐτῇ τῇ ἀγίᾳ ἐκκλησίᾳ διηλεκῶς γίνονται, καὶ προσευχαὶ ἑωθιναί, λυχνικοί τε ἅμα ψαλμοὶ καὶ προσευχαί. *Matutinæ insuper laudes in sancta Ecclesia, matutinæque preces assidue celebrantur: lucernales item psalmi et orationes.* Ante eos S. Athanasius prodigiosa ista a Georgio [Gregorio] et gregalibus ejus Alexandriae perpetrata facinora in Ecclesiis ibidem devastandis describens, inter alia ait, quod τὸ ἀποκείμενον ἔλαιον ἤρπαζον, *oleum reconditum prædarentur, καὶ τοὺς κηριώνας [κηριόλους, Ben.] τῆς ἐκκλησίας τοῖς εἰδώλοις ἀνῆπτον, et cereos Ecclesiae idolis adolerent.* Perpetratum est igitur tunc temporis illud, quod hoc Canone prohibetur. Ceram enim et oleum ab Ecclesia auferebant. Adhæc Synodus Eliberitana quarti initio seculi congregata, *Cereos*, inquit, *per diem placuit in cæmeterio non accendi.* Cereos itaque vel interdium in Ecclesia habere, vel noctu accendi non displicuit. Tertio insuper ineunte seculo illustrissimum hujus rei documentum ab Eusebio memoriam traditum habemus. In miraculo nimirum isto, quod a Narcisso Ecclesiam Hierosolymitanam Episcopo factum refert. In magna enim, ut ait, Paschæ vigilia, oleum forte ministris deerat, qua de causa cum universus populus gravissimo mœrore percussus esset, Narcissus mandasse fertur iis, quibus curæ erat lucernas accendere, ut aquam ex quodam propinquo haustam puteo ad se deferrent. Quod ubi dicto citius impletum est, jussisse dicitur sincera in Christum fide, ut eam lucernis infunderent. Quo itidem peracto, aquam aiunt contra morem naturæ suæ mirabili quadam ac divina virtute in olei pinguedinem esse conversam.³ Qui hæc legit mirari nequit, quod istius ætatis Episcopi lege sanxerint, ne quis oleum aut ceram ex Ecclesia auferat, cum adeo necessaria iis fuerint, ut digna essent quæ

Epiph.
Expos. Fid.
[Cath.] num.
xxiii. [Op.
tom. i. p.
1106, A.]

Athan. Epist.
ad Orthod.
[Encyc. ad
Episc. Epist.
cap. iv.
Op. tom. i. p.
114, B, C.]

Can. xxxiv.
[Conc. tom.
i. col. 974,
D.]

Euseb. Hist.
Eccles. lib.
vi. cap. 9.

² [Suicerus emendat, μετὰ τὴν λυχναψίαν. — In Thes. Eccl. voc. εὐχὴ, num. vi. sect. 2, C. Vol. i. pp. 1280, 1281. Amst. 1728.]

³ [Κατὰ τὴν μεγάλην ποτὶ τοῦ Πάσχα διανυκτερίσειν, ταῦλαιον φασὶ τοῖς διακόνοις ἐπιλιπτεῖν· ἐφ' ᾧ τὸ πᾶν πλῆθος διηνῆς ἀθυμίας διαλαβοῦσης, τὸν Νάρκισσον τοῖς τὰ φῶτα παρασκευάζουσιν ἐπιτάξαι, ὕδωρ ἀνιμήσαντας ἔκ τινος παρακιμήνου

φρίατος, ὡς αὐτὸν κομίσει· τούτου δὲ ἅμα λόγῳ πραχθίντος, ἐπιυξάμενον τῷ ὕδατι, ἰγχείαι κατὰ τῶν λύχνων πίπτει τῇ εἰς τὸν Κύριον γησίᾳ παρακιλύσασθαι· ποιησάντων δὲ καὶ τούτο, παρὰ πάντα λόγον δυνάμει παραδόξῃ καὶ θείᾳ μεταβαλεῖν ἐξ ὕδατος εἰς ἰλαίου ποιότητα [πίοτητα, Ruffin.] τὴν φύσιν.—Euseb. Hist. Eccles. lib. vi. cap. 9, p. 266.]

miraculo supplerentur. Et quidem qui *antelucanos*, ut Tertullianus vocat, Ecclesiæ Apostolicæ cœtus memoria tenet, cum Christiani *ante diem convenire* solerent, teste Plinio, is dubitare nequit, quin cera et oleum summe iis necessaria essent, ac proinde non poterant non omnibus modis cavere, ne illis destituerentur, neque ea, quæ in Ecclesiis ad sacrum illum usum ab ipsis recondita sunt, ab aliis auferrentur. Hoc autem totum est, quod hac Apostolica sanctione cavetur; quam propterea ipsi Apostolicæ Ecclesiæ satis convenire certissimum est.

[De Cor. Mil. cap. iii. p. 102, A.]

[I. lib. x. Epist. 97, [p. 566.]]

III. Idem dicendum est et de sequenti, sive LXXIII. Canone, quo cautum est, *Ne quis vas aureum, vel argenteum, vel velum sanctificatum in usum suum amplius convertat.*⁴ Contra quem Canonem nihil aliud excepit vir doctus, quam conditum illum esse secutis post Apostolos seculis, *Cum et ædes sacras, et pretiosam suppellectilem, et reliquam pompam Christianorum copiarum in usum apud nos invexissent. Apostolorum, inquit, ævo tanta erat nostrorum simplicitas atque parsimonia, et frugalitas, adhæc tenuitas, tantæque a persecutorum odiis ac furore angustiarum, ut illis indulgere non licuerit. Certe ne ædes quidem sacras in illis initiis habuisse Christianos verisimile est, nedum, ut velis aureisque et argenteis vasis instructas habuisse eos crediderim.* Qualia mystica, ut antiquitas ea vocavit, vasa in Eucharistia celebranda ipsi adhibuerunt Apostoli, et utrum sacras ædes habuerint, non nostrum est hoc loco inquirere, qui hos Canones non ab ipsis Apostolis, sed proximis post eos seculis, publicatos esse contendimus. Quicquid autem Dallæo visum est, nemo sane cordatus sibi unquam persuasum habeat, sanctos Domini Apostolos, æque ac Judæos, sacras non habuisse ædes Dei cultui consecratas, quibus magna fidei Christianæ mysteria celebrarent. Et quantacunque fuerit primorum Christianorum aliis in rebus simplicitas ac parsimonia, quantacunque frugalitas atque tenuitas, quantacunque denique ex persecutorum odio ac furore angustiarum; in rebus saltem ad Dei cultum, ad Christi honorem, ad religionis suæ mysteria pertinentibus prælargi proculdubio fuerunt ac summe liberales. Quascunque enim, ut

Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 13, [p. 580.]

⁴ [Σκίθος χρυσοῦν, ἢ ἀργυροῦν, ἁγιασθὲν, φεραθείη, ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῶ. — Pan. ἢ ἰθόνην, μηδὲν ἔτι εἰς οἰκίαν χρῆσιν σφιστιρίζισθω παρανόμον γὰρ εἰ δὲ τις Can. tom. i. p. 47, C, D.]

cuique notum est, possessiones habebant, omnes in pios sacrosque convertebant usus. Unde eos non modo sacras ædes, verum et easdem pretiosissima, prout facultates eorum ferebant, suppellectili instructas atque ornatas habuisse veri longe simillimum est. Mox sane post Apostolos Lucianus locum quo Christiani conveniebant, χρυσόφορον οἶκον, *domum aurato fastigio insignem* vocavit. Quod si istis etiam diebus, Trajano scilicet imperante, Christiani ab ipsis Apostolis edocti tales habuerint ædes sacras, mystica etiam vasa ex auro argentove conflata iis in usu fuisse extra dubium est. Qualia scilicet S. Laurentii ætate, hoc est tertio currente seculo, ab Ecclesia usitata fuisse ex Prudentio discimus, qui in hymno de gestis illius martyris persecutores inducit hæc ei dicentes,

Lucian. in
Philopat.
[tom. ix. p.
260. Ed.
Biponti,
1791.]

[πρὸς ἐπι-
φάνου,
Hymn. ii.
65-72. Op.
tom. i. p.
116.]

*Hunc esse vestris orgiis
Moremque et artem, proditum est,
Hanc disciplinam fæderis,
Libent ut auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.*

Sed in re adeo perspicua pluribus non opus est testimoniis. Neminem enim in antiquitate ecclesiastica vel mediocriter versatum latere potest, persecutiones Christianis sæpe intermissas fuisse, resque eorum pacatas ac minime turbulentas, usque adeo ut per summam Dei Opt. Max. misericordiam quiete et tranquillitate per multos simul annos fruerentur. Cum tanta itaque felicitate secundo etiam tertioque seculo gauderent, nulli haud dubie sumptui pepercerunt, quo se gratos in Deum demonstrarent, Eumque summa, qua poterant, solemnitate ac decentia colerent. Cumque ipsi in privatis suis domiciliis aurea et argentea vasa haberent, vilioribus eos in ipso Dei, Cui omnia accepta ferebant, cultu uti, nec religio eorum, nec gratitudo, addam nec ratio permetteret. Proinde nec mirum est, quod hoc Canone prospexerint, ne quis sacra istiusmodi vasa in suos, hoc est, in profanos, usus convertat.

IV. Sed *æque abhorret*, inquit vir doctus, *a temporibus Apostolorum, quod Canone LXXX. (nobis LXXXI.) statuitur, ὅτι οὐ χρὴ ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον καθιέναι ἑαυτὸν εἰς δημοσίας διοικήσεις, Quod non oportet Episcopum aut presbyterum ad publicas administrationes se demittere. Et quod mox ejusdem ingenii Canone LXXXII. (LXXXIII. potius) subjicitur, ut deponatur Episcopus, presbyter, aut diaconus, στρατεία σχολάζων, καὶ βουλόμενος ἀμφοτέρω κατέχειν, Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν καὶ ἱερατικὴν διοίκησιν, exercitui vacans, et utraque obtinere volens, Romanum scilicet magistratum, et ecclesiasticam administrationem. Quasi vero, inquit, Apostolis verendum fuerit, ne Christiani, quos pagani vix aere et luce communi frui patiebantur, nedum ut eos ad publicas dignitates admitterent, sacerdotium una cum Romano magistratu obtinere vellent.* Hæc Dallæus. Verumenimvero si nihil in tota hac Canonum Apostolicorum collectione a temporibus Apostolorum magis abhorreret, quam quod his duobus Canonibus constituitur, Turriani de ea sententiæ faciles acquiesceremus. Nonnullos enim e Romanis magistratibus ad fidem Christianam ab ipsis Apostolis conversos fuisse constat. De iis igitur, ut et de aliis, qui religionem nostram postea amplexuri erant, nihil vetat, quin Apostoli talem constitutionem ederent. Quanto magis necessarium fuit, ut hujusmodi Canones secundo tertioque seculo ederentur, cum ipsi scilicet Imperatores Christianis subinde faverent, eosque, licet forte non qua Christianos, qua fideles tamen, tantisque muneribus idoneos viros, ad amplas in Imperio dignitates promoverent. Exempla in ecclesiasticis historiis passim occurrunt, ut non opus sit hic congerantur. Unum autem, ut ad rem nostram apprime faciens, præterire nequeo. Anno scilicet CCLXXII. habita est Antiochiæ magna Episcoporum Synodus, qui Paulum Samosatenum, Ecclesiæ Antiochenæ Præsulem, inter alia eo condemnabant, quod seculares etiam dignitates gesserat. In synodica enim ad Dionysium Romanum, Maximum Alexandrinum, aliosque Episcopos conscripta, is, inquit, Ὑψηλὰ φρονεῖ, καὶ ὑπερῆρται, κοσμικὰ ἀξιώματα ὑποδύμενος· καὶ Δουκηνάριος μᾶλλον ἢ ἐπίσκοπος θέλων καλεῖσθαι. *Fastu ac arrogantia supra modum elatus seculares gerit dignitates, et Ducenarius vocari quam Episcopus mavult.* Paulus itaque Samosatenus una cum sacerdotio Romanum etiam

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 13.] pp. 580, 581. [Pan. Can. tom. i. p. 53, D.]

[Ibid. p. 54, E.]

Apud Euseb. Hist. Eccles. lib. vii. cap. 30, [p. 361.]

magistratum gessit. Imo quidem Ducenarius fuit, talis nimirum magistratus cui ducena sestertia in annum salarium ab Imperatore constituta sunt.⁵ Si aliis itaque criminibus minus obnoxius fuisset, hoc saltem nomine episcopatu deponi promeritus est, quod illud, quod antiquis hisce Canonibus constituitur, nefarie violarat.

⁵ [Aut " qui duabus militum centuriis præerat, sicut uni centurio."—
Du Cange, in voc.]

CAPUT IX.

Synopsis.

- I. *Ultimus Canon Apost. Quot et quales contra eum objectiones edidit Dallæus. Quæ tamen Turrianicam magis quam nostram opinionem perstringunt.*
- II. *Libros Maccabæorum antiquitus in hoc Canone non recensitos esse, Jo. Antiocheni collectio, et Ecclesiæ Græcæ usus fidem faciunt.*
- III. *Libri illi inter canonicos S. Scripturæ libros ante Synodum Nicænam numerati sunt: nec duo tantum sed tres.*
- IV. *Constitutiones Apostolorum, ut hodie in hoc Canone lectæ. Has easdem esse ac διδαχὰς sive διδαχὴν τῶν Ἀποστόλων ab Eusebio et Athanasio memoratas nonnulli judicarunt.*
- V. *Quare ista opinio nobis etiam verisimilis videatur. Constitutionum opus Doctrina sæpe appellatur.*
- VI. *Constitutiones Apost. Epiphano visæ sunt, laudatæ, et perinde habitæ ac si ab ipsis Apostolis editæ fuissent.*
- VII. *Haud mirum est, si Constitutiones istæ inter sacros Scripturæ libros numeratæ essent ante Synodum Nicænam.*
- VIII. *Verum hoc ultimo Canone Apost. inter canonicos S. Scripturæ libros non recensentur, sed ab iis aperte distinguuntur.*
- IX. *Earum mentio alia ac primi conditoris manu huic Canoni inserta est. Inter Canones et Constitutiones antiquas disconvenit.*
- X. *Clementis Epistolæ, ut hic memoratæ. Duæ ab antiquis Patribus celebratæ, ab ipso etiam Dionysio Corinthiorum Episcopo: cujus verba explicantur. Quæ secunda dicitur, prima scripta fuit, idque sub Clementis, ut altera sub Ecclesiæ Romanæ nomine.*

- XI. *Quæcunque pro Sacris habitæ sunt Scripturis, olim una cum canonicis promiscue numeratæ sunt.*
- XII. *In MS. Alexandrino hæ duæ Clementis Epistolæ libris canonicis subjunguntur. Syllabus librorum, qui in isto Codice habentur. Non mirum est, quod hæ Epistolæ huic Canoni insertæ sint.*
- XIII. *Ex Apocalypsi in hoc Canone prætermissa nihil contra ejus antiquitatem concludi potest. Liber iste diu in dubium vocatus fuit. Ex ultimo hoc Canone antiquitas hujus Sylloges adstruitur potius quam elevatur.*

I. SUPEREST modo unus, isque ultimus, e Canonibus Apostolorum vulgo nuncupatis, e quo contra totius collectionis antiquitatem, vel potius contra Apostolicam ejusdem institutionem disputat clarissimus Dallæus. Is autem de S. Scripturæ libris agit, sicque habet, *Sint vobis omnibus clericis et laicis libri venerandi et sancti. Veteris quidem Testamenti, Mosis quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Iesu filii Naue unus. Judicum unus. Ruth unus. Regnorum quatuor. Paralipomenon, id est Derelictorum libri dierum duo: Esdræ duo, Esther unus: Maccabæorum tres: Job unus: Psalterii unus: Solomonis tres, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum: Prophetarum XII. Esaia unus: Jeremiæ unus: Iezekielis unus: Danielis unus: extrinsecus autem a vobis intelligatur debere vestros adolescentes discere Sapientiam eruditissimi Sirach. Nostri autem, id est, Novi Testamenti, Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Pauli Epistolæ quatuordecim: Petri Epistolæ duæ: Joannis tres: Jacobi una: Judæ una: Clementis epistolæ duæ: et Constitutiones vobis Episcopis per me Clementem octo libris editæ, quæ non sunt omnibus divulgandæ propter ea quæ sunt in iis mystica: et Actus nostri Apostolorum.*¹ Ex hoc uno Canone Dallæus octo congressit argu-

¹ [Ἔστω ὑμῖν πᾶσι κληρικοῖς καὶ λαϊκοῖς βιβλία σιβάσματα καὶ ἅγια τῆς μὲν παλαιᾶς διαθήκης, Μωυσίως πέντε, Γένεσις, Ἐξόδος, Λευιτικόν, Ἀριθμοί, Δευτερονόμιον, Ἰησοῦ υἱοῦ Ναυῆ, ἔν. Κριτῶν ἔν. Ῥουθ ἔν. Βασιλειῶν τέσσαρα. Πα-

δό. Ἐσδρα δύο. Ἐσθήρ ἔν. Μακκαβαίων τρία. Ἰωβ ἔν. Ψαλτηρίου ἔν. Σολομώντος τρία, Παροιμίαι, Ἐκκλησιαστής, ἄσμα ἁσμάτων. Προφητῶν δεκάδυο. Ἡσαΐου ἔν. Ἰεριμίου ἔν. Ἰεζικὴλ ἔν. Ἐν Δανιήλ. Ἐξωθεν δὲ ὑμῖν προσιστορήσθω μαθήνειν ὑμῶν τοὺς νέους

menta, quibus istum ab Apostolis non constitutum fuisse contra Turrianum demonstraret. Primo quidem quod duo, deinde quod tres etiam Maccabæorum libri inter canonicos Sacræ Scripturæ libros hic recenseantur: tertio quod Clementinæ Constitutiones in eodem censu collocentur. Quarto quod duæ Clementis Epistolæ in eodem divinorum librorum catalogo numerentur. Quinto id etiam, inquit, hujus Canonis falsitatem abunde coarguit, quod Scripturarum nostrarum catalogum texens, neque Esdræ in Veteri Testamento collocat (hoc autem falsissimum esse ex ipso Canone patet, ut quo Esdræ duo numerantur) neque Apocalypsin in Novo: sexto Romanam Ecclesiam jamdudum hunc Canonem nescisse, ex eo constare dicit, quod et librum Sirachidis, quem Canon diserte ἐν τοῖς ἔξωθεν censet, et libros Tobię, Judith, Ecclesiastici, quos idem Canon indictos prætermittit, ipsa jam pridem pro canonicis habet. Septimo hunc Apostolicum non fuisse Canonem ex eo probat, quod neque Eusebius, neque Athanasius, neque Hieronymus, neque quisquam alius Veterum divinæ Scripturæ Canones exhibens, hunc memorasse deprehenditur. Octavo denique quædam eorum quæ continet hic Canon cum Turriani hypothesebus pugnare ostendit.

Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 13,
[pp. 581-593.]

Quo pacto Turriani, hosce Canones ipsis Apostolis asserentis, opinio hisce difficultatibus a Dallæo objectis eximatur, illi viderint, quibus id possibile videtur. Nos non Turrianicam, sed nostram hic tuemur sententiam, quæ hos Canones, non ab ipsis Apostolis, sed centum circiter post illos annis editos fuisse statuit. Proinde non opus est nos omnes has exceptiones ab erudito viro contra hunc Canonem allatas, percurramus, quippe quæ nostram de eo sententiam minime attingunt. Ne mirum autem cuiquam videatur, quod, stante nostra de hoc Canone sententia, tres Maccabæorum libri, Constitutiones Apostolicæ, et duæ Clementis Epistolæ in

τὴν Σοφίαν τοῦ πολυμαθοῦς Σιράχ. Ἡμί-
τερα δὲ (τοῦτ' ἴσσι, τῆς καινῆς διαθήκης)
Εὐαγγέλια τέσσαρα, Ματθαίου, Μάρκου,
Λουκᾶ, Ἰωάννου. Παύλου ἐπιστολαὶ
δικατῆσσαρις. Πίτρου ἐπιστολαὶ δύο.
Ἰωάννου τρεῖς. Ἰακώβου μία. Ἰουδα
μία. Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. Καὶ αἱ

Διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις δι' ἱμοῦ
Κλήμεντος ἐν ὀκτὼ βιβλίοις προσσηφνη-
μῖναι, ἃς οὐ χρὴ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων,
διὰ τὰ ἐν αὐτοῖς μυστικά, καὶ αἱ Πράξεις
ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων.—Can. Ap. lxxxv.
Pan. Can. tom. i. p. 56, A, B.]

sacrorum librorum catalogo quodammodo recensitæ, sancti autem Joannis Apocalypsis ommissa fuerit, de his singulis pauca disserere non pigebit, siquidem provincia a nobis suscepta id postulare videatur.

II. Quod primo ad Maccabæorum libros spectat, in antiqua illa Græca Canonum collectione a Jo. Antiocheno elaborata, (tit. I.) ubi hic Canon exstat, hi libri penitus prætermittuntur, nulla prorsus mentione eorum inserta; quemadmodum etiam in Annotationibus a nobis observatum est, et exinde collectum libros istos in recentioribus horum Canonum editionibus alia quam primi editoris manu insertos

[Just. Bib. J. C. tom. ii. p. 601.]

[Annot. in Pan. Can. p. 39, Pan. Can. tom. ii. ad fin.]

[Observat. in Annot. Bev. cap. vi. pp. 27, 28.]

videri. Hanc conclusionem Observator negat, *Eo* scilicet *magis*, (ut inquit, quo autem minus non dicit) *quod in versione Latina Joannis Antiocheni numerantur tres libri Maccabaici*. Sed quid nobis cum Latina versione, ubi ipsum Græcum habemus textum? Illine major quam huic habeatur fides? Nobis abunde sat est, quod in ipso Jo. Antiocheni textu hæc verba non leguntur. Ex eo enim, non e Latina

[Ibid. p. 28.]

versione, vera Canonis lectio petenda est. Sed *verisimilius . . . est*, inquit vir doctus, *in Græco quodam codice manu exarato ita legisse editores et interpretes, alioquin hac de re lectorem erant monituri*. Quid collectionis istius editores in alio Græco codice legerint, nos nescimus, nescit et Observator. Hoc autem scimus omnes, quod in isto, quem ediderunt, codice hæc verba non occurrunt, et quod ad Latinam versionem attinet, ea Græco Jo. Antiocheni codici non accommodata est: neque alia plane est quam Balsamonis versio a Gentiano Herveto facta: ut cuivis conferenti patebit. Ut alia enim omittam, in Balsamonis illa versione verba ista, *Ἐσδρα δύο Ἐσθῆρ ἓν* perperam transferuntur vel imprimuntur potius, *Esdrae duo: libri Esther unus*. Hic autem error etiam in Jo. Antiocheni versionem irrepsit. Quod fieri non potuit, nisi eadem omnino esset versio, etiam cum mendis suis transcripta: e qua propterea, ut ad alium codicem et auctorem etiam, Balsamonem scilicet, proprie pertinente, nihil de hoc Canone ut a Jo. Antiocheno lecto concludi potest. Ex eo autem, quod in Græco ejus textu nulla fiat Maccabæorum mentio, legitime inferamus libros illos huic Canoni antiquitus non insertos fuisse. Hoc vero ipse etiam Observatorprehendisse videtur, alio enim confugit, di-

citque, *Nisi malis dicere Jo. Antiochenum libros Maccabaicos in sua collectione de industria omisisse, quoniam in Ecclesiæ Græcæ Scripturarum Canone illius ætate non exstabant. Ut liquet ex Canone, quem exhibet Leontius, Jo. Antiocheni, ut quibusdam placet, æqualis vel suppar, de Sect. act. ii.*² At at nemini unquam persuadebit Observator Jo. Antiochenum in ecclesiasticis Canonibus colligendis quippiam de industria omittere voluisse. Hoc enim non esset colligere, sed ex conducto depravare Canones. Quod in tantum virum sine summa injuria objici non potest. Quod dicit autem libros Maccabaicos in Græcæ Ecclesiæ Scripturarum Canone istis diebus non exstitisse, si hoc concedatur, clarissime exinde consequetur, libros illos in hoc Apostolico Canone ista ætate non recensitos fuisse. Græca enim Ecclesia hisce Canonibus religiosissime semper adhæsit. Adeo ut, si illa libros Maccabaicos in sacrorum numerum non admiserit, nemini dubium esse possit, quin isti in hoc Canone Apostolico ab initio non numerati fuerint. Ac propterea nullum ex istis libris hic modo recensitis exsculpi potest argumentum, quo summæ horum Canonum antiquitati quidvis detrahatur.

[Observat. in Annot. Bev. cap. vi. p. 28.]

III. Ad hæc, si demus libros Maccabaicos a primis editoribus huic Canoni insertos esse, nihil exinde proficient ad-

² [Ἀλλὰ πρὸ τοῦ ἄψασθαι ἡμᾶς αὐτῶν, τίως ἀπαριθμησώμεθα τὰ ἐκκλησιαστικὰ βιβλία· τῶν τοίνυν ἐκκλησιαστικῶν βιβλίων, τὰ μὲν τῆς παλαιᾶς εἰσι γραφῆς· τὰ δὲ, τῆς νίας. Παλαιὰν δὲ λέγομεν γραφῆν, τὴν πρὸ τῆς παρουσίας τοῦ Χριστοῦ· νίαν δὲ, τὴν μετὰ τὴν παρουσίαν· τῆς μὲν οὖν παλαιᾶς βιβλία εἰσι κβ'. ὧν τὰ μὲν εἰσὶν ἱστορικὰ, τὰ δὲ, προφητικὰ, τὰ δὲ, παραινετικὰ, τὰ δὲ, πρὸς τὸ ψάλλειν γινόμενα· εἰ δὲ καὶ ἕκαστον ἐν ἑκάστῳ εὐρίσκειται, ἀλλ' οὖν ἀπὸ τοῦ πλειονάζοντος ἕκαστον κέκληται. Τὰ τοίνυν ἱστορικὰ βιβλία εἰσι ιβ'. ὧν πρῶτόν ἐστιν ἡ Γένεσις δεύτερον ἐστὶν ἡ Ἔξοδος τρίτον οἱ λεγόμενοι Ἀριθμοὶ τέταρτόν ἐστι τὸ Λευϊτικόν πέμπτον ἐστὶ τὸ Δευτερονόμιον ἕκτον Ἰησοῦς τοῦ Ναυῆ, ἕβδομόν ἐστιν οἱ λεγόμενοι Κριταὶ ὄγδοόν ἐστι βιβλίον ἡ Ῥουθ

μετὰ ταῦτά ἐστι δύο βιβλία, καὶ περιέχει τὰς βασιλείας, τίσσαρις γὰρ εἰσι λόγοι τῶν βασιλιῶν, ἐν δύο βιβλίοις φερόμενοι τὸ οὖν ἕννατον καὶ δέκατον βιβλίον περιέχει τὰς βασιλείας, ἰνδίκατόν ἐστιν αἰ Παραλείπομαι δωδέκατόν ἐστι τῶν ἱστορικῶν βιβλίων ὁ Ἔσθρας προφητικὰ δὲ εἰσι πέντε· ὧν πρῶτον ἐστὶν ὁ Ἡσαΐας· δεύτερον ὁ Ἰερεμίας· τρίτον ὁ Ἰεζεκὴλ· τέταρτον ὁ Δανιὴλ· πέμπτον, τὸ δωδεκαπρόφητον λεγόμενον, ἐν ᾧ δώδεκα προφητῶν κίται προφητεία. Παραινετικὰ εἰσι βιβλία ὄ. ὧν πρῶτον ὁ Ἰάμβ δεύτερόν ἐστιν, αἰ Παροιμίαι Σολομώντος· τρίτον, ὁ Ἐκκλησιαστής· τέταρτον, τὸ ἄσμα τῶν ᾠσμάτων μετὰ ταῦτά ἐστι τὸ ψαλτήριον καὶ ταῦτα μὲν εἰσι τὰ κβ'. βιβλία τῆς παλαιᾶς.—Leontius de Sectis, Act. ii. Gallandii Bib. Pat. tom. xii. pp. 627–629.]

versarii. Isti enim libri longe ante Concilium Nicænum inter sacros numerati sunt. Quod quoniam a Dallæo pariter atque ab Observatore negatur, paucis probatum dabimus. D. Cyprianus in Epistola ad Cornelium de Fortunato et Felicissimo hæc habet, *Sed non idcirco, frater carissime, relinquenda est ecclesiastica disciplina, aut sacerdotalis solvenda censura, quoniam conviciis infestamur, aut erroribus quatimur, quando occurrat et moneat Scriptura divina, dicens, ' Ille vero qui præsumit, et contumax est, vir sui jactans, nihil omnino perficiet, qui dilatavit tanquam infernus animam suam.' Et iterum, ' Et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus in stercora erit, et in vermes, hodie extolletur, et cras non invenietur: quoniam conversus est in terram suam, et cogitatio ejus perit.' Et iterum, ' Vidi impium exaltatum, et extolli super cedros Libani, et transivi, et ecce non fuit, et quæsi eum, et non est inventus locus ejus.'* Ubi observare licet, tres divinæ, ut ait, Scripturæ sententias a D. Cypriano citatas, quarum prima est ex Prophetiæ Habacuc, cap. ii. [5]. Altera incipiens, *Et verba viri*, e Maccabæorum, lib. i. cap. ii. [62]. Tertia e Psalmo xxxvii. [Vulg. xxxvi. 37.] Primus ergo Maccabæorum inter cæteros divinæ Scripturæ libros disertissime hic laudatur. Idem videre est in ejusdem Cypriani tertio testimoniorum libro ad Quirinum. Ubi libri Maccabaici inter alias sanctas, ut in præfatione loquitur, Scripturas³ passim citantur, præsertim, cap. iv. xv. liii. Quinetiam Origenes, postquam duos et viginti libros juxta Hebræos numeravit, (sed libro xii. Prophetarum perperam omisso) addit, *Ἐξω δὲ τούτων ἔστι τὰ Μακκαβαϊκὰ, ἅπερ ἐπιγράφεται Σαρβῆθ σαρβανὲ ἔλ, Extra hos sunt Maccabaici, qui inscribuntur Sarbet Sarbane el.* Etsi igitur hi libri ex iis non essent, quos ab Hebræis receperat, illis tamen ab Ecclesia Christiana tunc temporis subjuncti erant, et una lecti. Alioquin eos, non minus quam alios Apocryphos libros, rejecisset haud dubie Origenes. A quo tamen non modo reliquis hic subnectuntur, verumetiam inter alios SS. Scripturæ libros aliquoties laudantur, ut e commentariis ejus, quæ etiamnum exstant, videre licet. Ac proinde non mirum est, quod in hoc

Cyprian.
Epist. lv.
[Pamel. lix.
Fell. p. 119.]

[P. 62.]
[P. 68.]
[P. 79.]

Orig. in Psal.
i. [Op. tom.
ii. p. 529.] et
apud Euseb.
Hist. Eccles.
lib. vi. cap.
25, [p. 290.]

³ ["Petisti ut ad instruendum te exciperem de Scripturis Sanctis quædam capitula."—Cyprian. Præf. ad lib. iii. Testim. ad Quir. p. 52.]

Canone Apostolico inter alios Veteris Testamenti libros Maccabaici recenseantur; neque etiam quod tres ibidem numerentur. Nam τὰ Μακκαβαϊκὰ, viz. βιβλία, tres minimum libros designant: de tribus saltem jure explicari possunt. *Sed perinde est, inquit Observator, si tres aut duos numeros, quando Maccabaici omnes libri extra canonicorum classem et ordinem ab Origene recensentur.* [Observat. in Annot. Bev. cap. vi. p. 31.] Eo nimirum quod Origenes dicat, ἔξω τούτων, extra hos sunt libri Maccabæorum. Verum enimvero Origenes isthoc in loco non de canonicis SS. Scripturæ libris generatim sic dictis, agit, sed de eis duntaxat, quos Ecclesia ab Hebræis receperat. *Εἰσι δὲ, inquit, α' εἴκοσι δύο βιβλοὶ καθ' Ἑβραίουσ ἀϊδε:* quibus recensitis, addit ἔξω δὲ τούτων τὰ Μακκαβαϊκὰ, hoc est, extra duos illos et viginti Hebræorum libros recepit Ecclesia etiam Maccabaicos, licet non eodem fortasse numero, quo cæteros, ut dignos tamen, qui illis in eodem volumine subjungantur. Quod etiam plerumque, si non semper, factum fuisse, ex omnibus liquet, quæ vel exstant, vel exstitisse noscuntur versionis LXX. Codicibus MSS., Vaticano, Alexandrino. In editionibus etiam Veneta et Complutensi, necnon in versione Syriaca, tres Maccabaici reliquis Veteris Testamenti libris interseruntur. Cum autem nonnullos saltem e dictis codicibus uno alterove post Concilium Nicænum seculo, si non eodem, exaratos fuisse constet, nemo dubitare potest, quin consuetudo ante istud Concilium obtinuerit, ut hi cum reliquis Veteris Testamenti libris una compingerentur. Neque enim credibile est, ut quemlibet librum istis demum diebus inter sacros recenserent, nisi quem a majoribus suis inter eos recensitum acceperant. *Sed ego, inquit Observator, con-* [Ibid. p. 30.] *trarium plane colligo ex eo quod ab ecclesiasticis scriptoribus Synodo Nicæna vetustioribus Maccabaici inter canonicos Veteris Testamenti libros nusquam numerati sunt.* Quod quam falsum sit, e supra dictis patet. Cum Cyprianus enim hos libros inter canonicos eodem, ut ita loquar, halitu, eadem serie, nulla prorsus adhibita distinctione citaverit, Catholicam istius ætatis Ecclesiam eos una cum canonicis numerare solitam fuisse palam est. Præsertim cum Origenes etiam τὰ Μακκαβαϊκὰ libris ab Ecclesia Judaica Christianæ traditis subjunxerit. Nimirum duo et viginti, (ut a veteribus numerantur), libri, a veris prophetis divinitus inspiratis conscripti,

totum authenticum Judæorum Canonem constituerunt. Sed enim inter Judæorum a captivitate Babylonica reditum, et Christi adventum, alii ab aliis, de rebus isto intermedio tempore gestis, scripti sunt libri, de quibus Josephus meminit, qui post recensitos istos xxii. libros addit, Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γέγραπται μὲν ἕκαστα πίστεως δὲ οὐκ ὁμοίως ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τῆν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχὴν, *Cæterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque ætatem singula quidem literis mandata sunt: sed nequam tantam fidem meruerunt, quantam superiores ii libri, propterea quod minus explorata fuit successio prophetarum.* Hi itaque libri, quos inter Maccabaici erant, non Hebraica, qua duo et viginti, sed Græca exarati lingua, nec ipsis Judæis ejusdem ac illi auctoritatis fuerunt, sed nihilominus ab Hellenistis, sive Judæis inter Græcos dispersis, eorumque lingua utentibus, publice legi et eodem, quo libri vere θεόπνευστοι, volumine scribi solebant. Quo factum est, ut Christiani primitivi Græca Biblia hisce libris adaucta in publico usu habentes, libros hosce, licet non ejusdem ac reliquos, magnæ tamen auctoritatis atque utilitatis esse existimarint, eosque inter libros Veteris Testamenti numerarint, et legi voluerint, ut ait D. Hieronymus, *ad ædificationem plebis, sed non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.*⁴ Et de ipsa Maccabæorum scriptura S. Augustinus ait, *Recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur, vel audiatur, maxime propter illos Machabæos, qui pro Dei lege sicut veri Martyres a persecutoribus tam indigna et horrenda perpessi sunt.* Et alibi, *Quorum supputatio temporum non in Scripturis Sanctis, quæ canonicæ appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt Machabæorum libri, quos non Judæi sed Ecclesia pro canonicis habet, propter quorundam Martyrum passiones vehementes atque mirabiles.* Dicit igitur hos libros canonicas quidem Scripturas non esse, quales scilicet sunt viginti duo libri a prophetis scripti, sed nihilo secius pro canonicis ab Ecclesia haberi, pro istiusmodi nimirum libris,

Joseph. cont. Apion. lib. i. [cap. 8. Op. tom. ii. p. 441.] et apud Euseb. Hist. Eccles. lib. iii. cap. 10, [p. 104.]

Hieron. in Præf. ad Proverb.

Aug. contra secundam Gaudent. Epist. lib. i. cap. 38. [Op. tom. ix. col. 1006, D.]

Id. de Civit. Dei, lib. xviii. cap. 36. [Op. tom. vii. col. 833, B; 834, A.]

⁴ [“ Sicut ergo Judith, et Tobit, et Macchabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed inter canonicas Scripturas non recipit; sic et hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis,

non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.” — Hier. Præf. in Libros Salomonis. Op. tom. ix. p. 1296.]

qui inter canonicas et authenticas Veteris Testamenti Scripturas utiliter perlegantur.

Cum quæstio autem nobis non instituatur de libris canonicis et Apocryphis, sed de Canonum Apostolicorum antiquitate, parum in hac controversia interest, utrum libri Maccabaici in hoc ultimo Canone Apostolico jure an injuria inter canonicos numerentur. Nobis enim satis est, quod hi libri ante Synodum Nicænam publice, non minus quam canonici, lecti fuerint, et a nonnullis etiam pro canonicis habiti. Hinc enim apparet, hos libros inter canonicos in hoc ultimo Apostolorum Canone recenseri potuisse, etiamsi tota hæc Canonum collectio multis ante istud Concilium annis juxta nostram sententiam facta fuerit. Nihil saltem ex his libris hic memoratis contra Canonum horum antiquitatem exsculpi potest. Præsertim cum in antiquissima, ut ostendimus, hujus Canonis editione, Joannis nimirum Antiocheni, nulla horum librorum mentio inducatur.

IV. Ut inter canonicos Veteris Testamenti libros Maccabaici, sic inter authenticas Novi Scripturas Constitutiones, Apostolorum vulgo dictæ, in hoc ultimo Canone Apostolico recenseri videntur. Post enumeratas enim genuinas S. Apostolorum Epistolas, protinus subjicitur, Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο· καὶ [αἱ] Διαταγαὶ ὑμῶν τοῖς ἐπισκόποις δι' ἐμοῦ Κλήμεντος ἐν ὀκτῶ βιβλίοις προσπεφωνημένοι· ἃς οὐ χρὴ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά. *Clementis Epistolæ duæ: et Constitutiones vobis Episcopis per me Clementem in octo libris editæ, quæ non sunt omnibus divulgandæ propter ea quæ sunt in iis mystica.* De duabus Clementis Epistolis hic prius memoratis nos postea agemus, quam argumentum contra horum Canonum antiquitatem e Constitutionibus Apostolicis petitum diluerimus. Quod ut effectum demus, disquirendum imprimis est, cujusmodi esset illud Constitutionum volumen hic commemoratum.

Eusebius, qui primitivæ Ecclesiæ monumenta quarto ineunte seculo publicavit, in sacris recensendis libris, eos in tres classes redegit. Alios enim dicit ab Ecclesia sine omni controversia receptos esse: alios autem eadem confidentia rejectos, ut a doctrina Apostolica alienos: alios denique ἀντιλεγομένους vocat, in dubium scilicet a nonnullis

[Pan. Can.
tom. i. p. 56,
B.]

Euseb. Hist.
Eccles. lib.
iii. cap. 31,
[p. 126.]

Euseb. Hist.
Eccles. lib.
iii. cap. 25,
[pp. 118, 119.]

vocatos, sed plurimis tamen Ecclesiis publice lectos.⁵ Medii hujus generis hos numerat libros, 'Εν τοῖς νόθοις κατατετάχθω καὶ τῶν Παύλου Πράξεων ἡ γραφή, ὃ τε λεγόμενος Ποιμὴν, καὶ ἡ 'Αποκάλυψις Πέτρου, καὶ πρὸς τούτοις ἡ φερομένη Βαρνάβα ἐπιστολή, καὶ τῶν 'Αποστόλων αἱ λεγόμεναι διδασχαι, ἔτι τε, ὡς ἔφην, ἡ 'Ιωάννου 'Αποκάλυψις εἰ φανείη, [ἦν τινες, ὡς ἔφην, ἀθετοῦσιν, ἕτεροι δὲ ἐγκρίνουσι τοῖς ὁμολογουμένοις]. *Pro spuriiis* (hoc est iis quibus contradicitur, ut in loco mox ante citato sese explicat) *habendi sunt etiam Actus Pauli, et liber Pastoris titulo inscriptus, et Revelatio Petri: Barnabæ item Epistola, et quæ dicuntur Apostolorum Doctrinæ sive Institutiones, quibus, ut dixi, adjungatur, si lubet, Revelatio Joannis.* Hæc ultima de Joannis Revelatione verba apposui, quoniam ex iis constat, quales essent reliqui libri hic una commemorati, qui scilicet, Joannis Apocalypseos instar, non omnimodo rejecti, sed tantum in dubium vocati sunt: de quibus scilicet controversum est, utrum in sacrum Canonem admitti debeant, an non. Inter eos autem hoc in loco numerantur τῶν 'Αποστόλων αἱ λεγόμεναι διδασχαι, *Doctrinæ Apostolorum dictæ, sive Institutiones Apostolorum*, quemadmodum Cl. V. Henricus Vallesius non inepte reddit. Ruffinus vertit, *Doctrina, quæ dicitur Apostolorum.* In numero itaque singulari legit, καὶ τῶν 'Αποστόλων ἡ λεγομένη διδασχῆ. Secundum hæc, S. Athanasius in Synopsi Sacræ Scripturæ, post numeratos authenticos et ab omnibus receptos utriusque Testamenti libros, addit alios esse et Veteris et Novi Fæderis libros, quorum aliis contradicitur, alii vero Apocryphi vocantur, hoc est in

[S. Ath. Syn.
S. Script.
cap. 74. Op.
tom. ii. p.
201, D.]

ejus notitia omnino rejiciuntur. Εἰσὶ δὲ, inquit, καὶ ἄλλα βιβλία διάφορα παρὰ τὰ προλεχθέντα, ἑκατέρας Διαθήκης, τῆς παλαιᾶς δηλαδὴ καὶ τῆς νέας, τὰ μὲν ἀντιλεγόμενα, τὰ δὲ ἀπόκρυφα. Juxta quam distinctionem recenset, in Veteri quidem Testamento, primo eos, quibus contradicitur, ut Sapientiam Solomonis, et Jesu Sirach, Esther, Judith, Tobiam, Maccabæorum libros quatuor, etc. Deinde Apocryphos, ut Enoch, Patriarchas, orationem Josephi, Testamentum Moysis, et alia ejusdem furfuris figmenta. Postea τὰ τῆς νέας Διαθήκης

[Ibid. cap. 76.
Op. tom. ii.
p. 202, A.]

⁵ [Τῶν ἀντιλεγόμενων μὲν, ὅμως δ' ἐν καὶ τῆς 'Αποστολικῆς ἐκκλησίας ἀλλο-
πλίσταις ἐκκλησίαις παρὰ πολλοῖς δι-
δημοσιυμένων, τῶν τὶ παντελῶς νόθων, τριῶν.—Euseb. Hist. Eccles. lib. iii.
cap. 31, p. 126.]

ἀντιλεγόμενα, illos Novi Testamenti libros quibus contradicitur, recenset, inter quos numeratur, Διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων. Nec non in Epistola Festali idem sanctissimus Pater, post recensitos itidem utriusque Testamenti libros, [ὡς ὅτι] ἐστὶ, inquit, καὶ ἕτερα βιβλία τούτων ἔξωθεν, οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεισθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον. *Sunt et alii præter supradictos libri, non in Canonem quidem redacti, a Patribus vero instituti, ut ab iis, qui primo accedunt, et in pietatis doctrina initiari volunt, legantur.* Cujusmodi sunt, inquit, (in Veteri Testamento) Sapientia Solomonis, Sapientia Sirach, Esther, Judith, et Tobias: (in Novo Testamento) ἡ διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων καὶ ὁ Ποιμὴν, *Doctrina quæ dicitur Apostolorum, et Pastor.* Quendam itaque librum τῶν Ἀποστόλων διδαχὴν dictum istis temporibus exstitisse, atque etiam inter istos Novi Testamenti libros, non qui omnimodo rejecti sunt, sed tantum de quibus dubitatum fuit, recensitum fuisse, duos gravissimos habemus testes, Eusebium et Athanasium. Verumenimvero hunc librum eundem esse, qui etiam διαταγαὶ sive διατάξεις τῶν Ἀποστόλων vocatus est, et nunc et olim doctissimis viris plusquam verisimile visum est. Zonaras enim eruditus in Canones Ecclesiæ Orientalis Scholiasta, in scholiis ad supradictam S. Athanasii canonicam de Festis Epistolam, quæ nos e codice Amerbachiano edidimus in Annotationibus ad Pandectas Canonum, hæc habet, Καὶ διδαχὴν καλουμένην τῶν Ἀποστόλων, λέγουσιν εἶναι τὰς διὰ τοῦ Κλήμεντος συγγραφείσας τῶν Ἀποστόλων διατάξεις, ἃς ἡ λεγομένη ἕκτη συνόδος ἀναγινώσκεισθαι οὐ συγχωρεῖ, ὡς νοθευθείσας, καὶ φθαρθείσας ὑπὸ αἰρετικῶν, *Et doctrinam Apostolorum dictam asserunt esse Constitutiones Apostolorum a Clemente conscriptas, quas ea quæ sexta dicitur Synodus legi non permittit, ut adulteratas et corruptas ab hæreticis.* Et post eum Matthæus Blastares, διδαχὴν τῶν Ἀποστόλων a S. Athanasio memoratam eandem esse dicit quam sexta Synodus rejecit, ταύτην δὲ, inquit, καὶ ἡ ἕκτη σύνοδος ἠθέτησεν, ὡς δεδήλωται, *Hanc autem sexta Synodus rejecit, ut ostensum est: paulo nimirum antea, ubi Constitutiones Apostolorum ab ista Synodo rejectas dixerat.*⁶ Hanc

[Pan. Can. tom. ii. pp. 42, F, 43, A; et S. Athan. Op. tom. i. par. 2, p. 963, A.]

P. 221, [Pan. Can. tom. ii. ad fin.]

Matth. Blast. Syntag. Alphab. lit. B, cap. xi. [p. 57, C; apud Pan. Can. tom. ii.]

⁶ [Ἐξωθεν δὲ τῶν κανονιζομένων εἶναι τὸν Ἑσθήρ, τὴν Ἰουδῆ, καὶ τὸν Ταβίτ, τὸν Φησί, τὴν Σοφίαν Σολομώντος, τὸν Σιράχ, ποιμίνα, καὶ τὴν διδαχὴν τῶν ἁγίων Ἀπο-

[Jud. de
Const. Ap.
Pat. Ap. tom.
i. p. 195.]

tenet sententiam J. B. Cotelerius, diluitque argumenta quæ contra eam allata sunt.

V. Et hæc quidem sententia, si non de iis quæ hodie circumferuntur, sed de Constitutionibus ab Epiphano citatis, intelligatur, nobis etiam verisimillima videtur: eo scilicet, quod eodem, quo Eusebius et Athanasius scripserunt, seculo, istæ Constitutiones sub Apostolorum nomine vulgo notæ fuerint, et ab Epiphano aliquoties laudatæ, ac proinde mirum esset, si Eusebium et Athanasium diligentissimos antiquitatum ecclesiasticarum investigatores laterent. Has autem Constitutiones iis incognitas fuisse, dicamus necesse est, nisi eas per ‘Apostolorum doctrinam’ sive ‘doctrinas’ significarent. Quibus etiam accedit, quod Epiphanius Constitutionum opus a se citatum ‘Doctrinam’ subinde vocet. Quo nomine et in ipso libri corpore sæpe indigitantur. Ut in præfatione ad primum librum Apostoli inducuntur Christianos ad Constitutiones suas attento animo excipiendas his verbis incitantes, Ἀκούσατε διδασκαλίαν ἱερὰν οἱ ἀντεχόμενοι τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ ἐκ προστάγματος τοῦ Σωτῆρος ἰμύστοιχον ταῖς ἐνδόξαις φθογγαῖς αὐτοῦ, *Audite, qui ex præcepto Salvatoris promissionem Ejus retinetis, sacram doctrinam gloriosis Ejus vocibus consonam.* Sic alibi Constitutio, de modo quo pœnitentes tractandi sunt, vocatur διδασκαλία, ὅπως χρῆ προσφέρεσθαι τοῖς μετανοοῦσι. Sic passim per totum librum, ut nemini mirum esse videatur, si idem liber, qui ab his διαταγαί, ab aliis διδαχαί vel διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων nuncupetur.

[Const. Ap.
Præf. ad lib.
i. Cotel. Pat.
Ap. tom. i.
p. 200.]

Ibid. lib. ii.
cap. 12, [p.
220.]

VI. Adhæc Epiphanius quendam Constitutionum librum tanquam ab Apostolis traditum ita laudat, ut nihil dubii esse possit, quin multis ante ejus ætatem annis talis liber in lucem editus fuisset, et doctorum manibus vulgo tritus. Ἀλλὰ καί, inquit, οἱ Ἀπόστολοί φασιν ἐν τῇ διατάξει τῇ καλουμένῃ, ὅτι φυτεία Θεοῦ καὶ ἀμπελῶν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, *Sed et Apostoli in libro, qui Constitutio vocatur, dicunt, Ecclesia Catholica Dei plantatio est, et Vineæ.* Quæ verba ab eo citata initio

Epiphanius.
Hær. xlv.
[Severianus.]
num. 2. [Op.
tom. i. p.
390, A.]

στόλων, ταύτην δὲ ἡ ἕκτη σύνοδος ἠθέτησεν, ὡς διδύλωται.—Matth. Blast. Synt. Alph. lit. B, cap. xi. p. 57, C. Pan. Can. tom. ii.

Ἄς δὲ προστίθῃσι διὰ τοῦ Κλήμεντος δύο ἐπιστολάς, καὶ τὰς πονηρίας τούτων

διατάξεις τῶν Ἀποστόλων ὑστέρων ὁ τῆς 5. συνόδου δεύτερος κανὼν διέγραψεν, ὡς πολὺ τὸ νόθον πρὸς τῶν αἰρετικῶν καὶ παρῆγγραπτον διζαμίνας.—Matth. Blast. Synt. Alph. lit. B, cap. xi. p. 56, F; apud Pan. Can. tom. ii.]

Constitutionum etiamnum exstant. Et alibi, Παρατηρεῖται δὲ ἡ ἐκκλησία ἄγειν τὴν ἑορτὴν τοῦ Πάσχα, τουτέστι τὴν ἑβδομάδα τὴν ὠρισμένην καὶ ἀπ' αὐτῶν τῶν Ἀποστόλων ἐν τῇ διατάξει ἀπὸ δευτέρας σαββάτων, ὅπερ ἐστὶν ἀγορασμὸς τοῦ προβάτου, *Observat autem Ecclesia festum Paschatis peragere, hoc est hebdomadam decretam etiam ab ipsis Apostolis in Constitutione, a secundo Sabbatorum, quod est emptio agni.* Et iterum, Εἰ δὲ καὶ χρεῖ τὸ τῆς διατάξεως τῶν Ἀποστόλων λέγειν, πῶς ἐκεῖ ὠρίζοντο τετράδα, καὶ προσάβατον νηστείαν διὰ παντός, χωρὶς Πεντηκοστῆς, *Si vero et ex Apostolorum Constitutione repetenda nobis est auctoritas, cur illis quartæ sextæque feriæ jejunium perpetua lege sancitur, excepta Pentecoste.* Et paucis interjectis, Εἶτα δὲ εἰ μὴ περὶ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως τετράδων καὶ προσαββάτων οἱ αὐτοὶ Ἀπόστολοι ἐν τῇ διατάξει ἔλεγον, καὶ ἄλλως ἐκ πανταχόθεν εἶχομεν ἀποδείξαι ὁμῶς περὶ τούτου ἀκριβῶς γράφουσι, *Deinde vero si de isto quartæ sextæque feriarum argumento iidem Apostoli in Constitutione nihil dixissent, etiam aliter undique possemus demonstrare. Quanquam ea de re accurate scribunt.* In hisce omnibus, ut patet, locis Epiphanius non modo librum Constitutionum Apostolicarum, sed et ipsos Apostolos in eo loquentes citat; perinde ac si librum istum ab ipsis Apostolis scriptum fuisse persuasissimum habuisset. Hoc autem veri nullo modo simile ei videri potuit, nisi certissime constitisset, librum istum non paulo ante ab hæreticis confictum, sed adeo antiquum pariter atque doctrinæ traditionibusque Apostolorum consonum fuisse, ut ipsis Apostolis vel viris saltem Apostolicis merito adscribi posset. Et quidem quanti ille hunc librum æstimavit, ex his ipsius verbis constat, Εἰς τοῦτο δὲ, *inquit, οἱ αὐτοὶ Αὐδιανοὶ παραφέρουσι τὴν τῶν Ἀποστόλων διάταξιν, οὐσαν μὲν τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, ἀλλ' οὐκ ἀδόκιμον· πᾶσα γὰρ ἐν αὐτῇ κανονικὴ τάξις ἐμφέρεται, καὶ οὐδὲν παρακεχαραγμένον τῆς πίστεως (οὐδὲ τῆς ὁμολογίας,) οὐδὲ τῆς ἐκκλησιαστικῆς διοικήσεως, καὶ κανόνος, καὶ πίστεως.* *Ad hoc autem iidem Audiani detorquent Apostolorum Constitutionem, qui quidem liber a multis in dubium vocatur, sed non est improbandus. Omnis quippe Canonicus ordo in eo continetur, nihilque a fide adulteratum, neque a confessione, nec ab ecclesiastica administratione, et Canone, et fide.* Ubi propterea testimonium ab Audianis ex isto libro adductum non omnino rejicit tanquam invalidum et fide indignum, sed verba Constitutionis aliter

Epiphanius.
Hæret. lxx.
[Audian.]
num. 12. [Op.
tom. i. p.
824, C.]

Id. Hæret.
lxxx.
[Aerian.]
num. 6. [Op.
tom. i. p.
910, B.]

[Ibid. D.]

Id. Hæret. lxx.
[Audian.]
num. 10. [Op.
tom. i. p.
822, A, B.]

exponit, docetque Constitutionem istam pacis tantum et concordiae gratia ad tempus editam fuisse. Quali quidem responsione nunquam usus fuisset, nisi liber iste summæ apud ipsum auctoritatis esset. Adhæc, *καὶ περὶ μὲν οὖν τοῦ γενείου*, inquit, *ἐν ταῖς διατάξεσι τῶν Ἀποστόλων φάσκει ὁ θεῖος λόγος, καὶ ἡ διδασκαλία, μὴ φθείρειν, τουτέστι μὴ τέμνειν τρίχας γενείου.* *Et quidem de barba in Constitutionibus Apostolorum edicit divinus sermo et doctrina, non corrumpendos esse, hoc est, non esse secandos pilos barbæ.* Quæ quidem sunt verba vix dubitantis, quin hæ Constitutiones vere Apostolicæ essent, aut ab ipsis Apostolis traditæ. Alioquin enim divinum sermonem doctrinamque iis nunquam attribuisset.

VII. Ex hisce saltem clarissimis Epiphaniæ testimoniis, de Constitutionibus Apostolorum antiquitus appellatis, manifestum efficitur, Constitutiones quasdam sub Apostolorum nomine, quarto, quo scribebat doctissimus ille Pater, seculo non modo pro antiquis, verum et a nonnullis pro vere Apostolicis habitas fuisse: ac proinde haud mirum esse si nonnulli seculo præcedente, cum in eadem opinione essent, has Constitutiones authenticis Apostolorum commentariis subjunxerint, et una cum canonicis Sacræ Scripturæ libris nonnunquam legerint, et numerarint. Nec moramur, quod Observator post Dallæum aliosque ex Epiphanio observavit, nonnullos de hoc libro dubitasse. De nonnullis enim ex vere canonicis Apostolorum libris tribus prioribus Christianismi seculis dubitatum fuisse, neminem fugit. Ex eo autem, quod liber quilibet ab aliis in dubium vocaretur, minime sequitur, quin ab aliis idem approbatus esset, et inter canonicos recensitus. Sed contendit adhuc Observator. Constitutiones illas a nemine ante Concilium Nicænum in Canonem Scripturæ relatas esse, ac propterea post illa tempora vixisse Canonum Apostolicorum consarcinatorem.⁷ *Unus, inquit, Epiphanius circa annum Domini CCCLXXV. Clementinas Constitutiones aliqua cum laude nominavit; ante eum nemo.* Primo autem neminem ante Epiphanium Con-

Epiphan.
Hær. lxxx.
[Massal.]
num. 7,
[Op. tom. i.
p. 1073, C.]

[Obs. in
Annot. Bev.
cap. vi. p. 32.]

⁷ [“Hoc solum vult clarissimus Dallæus, Constitutiones illas, sive hodiernas, sive Epiphanianas, a nemine ante Concilium Nicænum in Canonem Scripturæ relatas esse; unde colligit

post illa tempora vixisse Canonum Apostolicorum consarcinatorem.”—Observat. in Annot. Bever. cap. vi. p. 32.]

stitutiones istas in Canonem Scripturæ retulisse, vel ulla cum laude nominasse, non sumendum erat, sed probandum. Hoc enim est, de quo contendimus, annon scilicet in hoc ipso Canone Apostolico Constitutiones in Canonem relatæ fuissent ante Concilium Nicænum? Deinde probandum etiam erat, *Διδαχὴν τῶν Ἀποστόλων*, ab Eusebio et Athanasio memoratam, non eundem fuisse librum, quem postea Epiphanius *Διάταξιν τῶν Ἀποστόλων* nominavit. Isto enim dato, quod nobis, ut ostendimus, verisimillimum videtur, Constitutiones Apostolicæ ante Epiphanium inter istiusmodi numeratæ sunt libros, qui *ἀντιλέγομενοι* quidem erant, sed nondum e Canone penitus rejecti. Quid etiam si, excepto hoc Canone Apostolico, Constitutiones a nemine ante Epiphanium, vel ante Concilium Nicænum in Canonem relatæ sunt? A quonam, obsecro, post ista tempora id factum legitur? Sane rationi fideique magis consonum videtur, hunc librum in canonicorum catalogo collocatum fuisse istis temporibus, quibus de libris canonicis adhuc disceptatum erat, potius quam postea, cum inter omnes de illis convenit: ideoque primis Christianismi seculis, potius quam sequentibus, quibus Sacræ Scripturæ Canon ubique stabilitus et receptus fuit.

VII. Adhæc nihil est, quod eruditi viri in ultimum hunc Apostolorum Canonem tanta vehementia inveherentur, quod octo Constitutionum Apostolicarum libros in canonicorum censum, vel in Novi Testamenti Canonem retulerit. Hoc enim non nisi summa injuria contra dictum Canonem objici potest: quippe quo Constitutiones a canonicis Sacræ Scripturæ libris apertissime distinguuntur. De authenticis enim et canonicis utriusque Fœderis libris hæc præfatur Canon, *Ἔστω δὲ ὑμῖν πᾶσι κληρικοῖς καὶ λαϊκοῖς βιβλία σεβάσματα καὶ ἅγια*, *Sint autem vobis omnibus clericis et laicis libri venerabiles et sancti.* Deinde recensitis canonicis Veteris Novique Testamenti libris, de Constitutionibus Apostolicis hæc dicit, *Καὶ αἱ διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις δι' ἐμοῦ Κλήμεντος ἐν ὀκτώ βιβλίοις προσπεφωνημέναι, ἃς οὐ χρὴ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων, διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά.* *Et Constitutiones vobis Episcopis per me Clementem in octo libris nuncupatæ, quas non oportet coram omnibus divulgare propter ea quæ sunt in illis mystica.* Canonici itaque libri clericis et laicis, Constitutiones autem

[Pan. Can. tom. 1. p. 56. A.]

[Ibid. B.]

solis Episcopis nuncupantur, idque ea cautione, ut coram omnibus non divulgentur, propter mysteria scilicet quæ in iis continentur. Quod de libris vere canonicis dici non potest, neque hic dictum est, utpote qui eo scripti sunt, ut omnes veram de Deo fidem rectamque vitæ instituendæ rationem ex iis discant. Cumque in hoc ipso Canone Apostolico cautio ista ad Constitutiones solas adhibeatur, non item ad alios utriusvis Testamenti libros ibidem connumeratos, clarissime exinde constat, illas ab hisce ex Canonis mente secretas esse, ut libros Apocryphos sive non canonicos a vere canonicis. Nimirum octo Constitutionum libri hoc in loco Episcopis, iisque solis, commendantur, ut *πᾶσαν*, si cum Epiphonio loquar, *κανονικὴν τάξιν καὶ ἐκκλησιαστικὴν* *διοίκησιν* continentes, nequaquam ut canonici Sacræ Scripturæ libri ab omnibus perlegendi. Ac proinde, quæcunque argumenta contra Canones Apostolicos e Constitutionibus, ut in Canonem Sacræ Scripturæ relatis, petuntur, una corruunt, nihilque concludunt.

[Hær. lxx.
Audian.
num. 10. Op.
tom. 1. p.
822, A. B.]

IX. Hæc vero omnia eo tantum nomine a nobis dicta sunt, ut pateat Canones Apostolicos ante Concilium Nicænum constitui colligique potuisse, etiamsi Constitutiones Apostolicas iis ab initio intersertas fuisse concederemus. Ad extremum autem totam hanc de Constitutionibus clausulam ultimo huic Apostolorum Canoni alia quam primi conditoris manu, longeque postea insertam fuisse pro comperto habeo. Nullus enim dubito, quin idem huic, quod plerisque aliis Ecclesiæ primitivæ monumentis, acciderit, ut multis scilicet in locis interpolatum fuerit. Quod ut de aliis certum, de hoc saltem loco certissimum est; ut ex eo constat, quod Canonibus Apostolicis cum antiquis Constitutionibus in omnibus non conveniat. Cum antiquis, inquam, Constitutionibus. De iis enim, quæ nomen istud sibi inscriptum hodie circumferunt, non disputamus, utpote quæ ab antiquis illis, quas Epiphanius laudavit, Constitutionibus in omnibus fere discrepant, ut a viris doctis sæpe observatum fuit, ac demonstratum. In antiquis autem Constitutionibus contraria atque in Canonibus Apostolicis constituta sunt. Epiphanius enim ex iis, qui ejus ætate exstabant, Apostolorum, ut vocat, Constitutionibus, hæc de Pascha verba citavit,

[Ibid. p. 822, B.] Ὑμεῖς μὴ ψηφίζητε, ἀλλὰ ποιεῖτε ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν οἱ ἐκ

περιτομῆς· μετ' αὐτῶν ἅμα ποιεῖτε. *Vos temporum rationes ne subducite, sed eodem tempore celebrate Pascha, quo fratres vestri qui ex circumcisione sunt. Cum illis una peragite. Eos autem qui ex circumcisione ad fidem Christianam prodierunt, eodem atque Judæos tempore celebrasse Pascha, inter omnes constat. Verum in Canonibus Apostolicis hoc diserte prohibetur; ut quorum septimus sic statuit, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἀγίαν τοῦ Πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσει, καθαιρεῖσθω. Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus sanctum Paschæ diem ante vernum æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponatur. Idem fere in iis, quæ hodie exstant, Constitutionibus habemus.⁸ Quod cum contrarium sit iis, quæ Epiphanius ex antiquis Constitutionibus citavit, legitime ex eo collegerunt viri eruditi, aliud antiquitus fuisse Constitutionum opus, quam quibus Apostolorum et Clementis nomen hodie inscribitur.⁹ Quin idem etiam demonstrat, inter Constitutiones et Canones Apostolicos antiquitus disconvenisse. Illis enim decretum est, ut Christiani Pascha cum Judæis, nulla habita calculorum ratione, celebrent, Κἄν τε πλανηθῶσι, inquit pristini Constitutores, μηδὲν ὑμῖν μελέτω, *Et quamvis ipsi aberrent, nihil id vos commoveat.* Hisce autem, nempe Canonibus, e contra cautum est, ne quis Pascha cum Judæis ante vernum æquinoctium, accurate scilicet calculatum, celebret. Quocirca omnem excedit fidem, ut qui primus vel condidit, vel collegit Canones Apostolorum, Constitutiones illas commendaret. Hoc enim nihil aliud esset, quam in uno Canone evertere, quod in alio constitutum fuerat. Quo nihil absurdius esse potest. Ac propterea persuasissimum habeo, illam ultimi Canonis Apostolorum partem, quæ de Constitutionibus agit, interpolatoris alicujus manu intersertam fuisse, ejusdem fortasse, qui ipsas etiam Constitutiones corrupit, et depravavit. Cum hic enim ex variis, ut videtur, Apostolorum,*

Can. Apost. VII. [Pan. Can. tom. i. p. 4, E.]

[Const. Ap.] lib. v. cap. 17, [p. 322.]

[Apud Epiph. Hæc. lxx. Audian, num. 10. Op. tom. i. p. 822, B.]

⁸ [Διὶ οὖν ὑμᾶς, ἀδελφοί, τοὺς τοῦ Χριστοῦ τιμῆς ἐξηγορασμένους αἵματι, τὰς ἡμέρας τοῦ Πάσχα ἀκριβῶς ποιῆσαι μετὰ πάσης ἰσιμελείας, μετὰ τροπὴν ἰσημερινὴν ὅπως μὴ δις τοῦ ἰνιαυτοῦ ἑνὸς παθήματος μνίαν ποιῆσθε, ἀλλὰ ἅπασι τοῦ ἔτους τοῦ ἅπασι ἀποθανόντος· μηκέτι δὲ παρατηρούμενοι μετὰ Ἰουδαίων ἰορτάζουσιν·

οὐδεμία γὰρ κοινωνία ἡμῖν νῦν πρὸς αὐτούς. —Const. Ap. lib. v. cap. 17. Cotel. Pat. Ap. tom. i. p. 322.]

⁹ [Cotel. ad Const. lib. v. cap. 17. Pat. Ap. tom. i. p. 322; et Usserius, Prol. in Ignat. cap. ix. Ibid. tom. ii. par. 2, pp. 203–205.]

Pauli, Clementis, Ignatii, Polycarpi, Hippolyti, aliorumque didascaliiis antiquum Constitutionum opus pro libitu auxisset, immutasset, suique seculi ritibus ac institutis accommodasset, quo fallaces suas ac fucosas merces aliis commendatiores haberet, earum mentionem ultimo huic Apostolorum Canoni inter ipsos SS. Scripturæ libros improbus inseruit. Et ex eadem, ut opinor, officina prodierunt, quascunque hodie in hisce Canonibus corruptelas habemus, aut interpolationes. Idem etiam Canones Constitutionibus primus subjunxisse videtur, atque in unum opus conflasse, cum ab initio diversa fuisset opera et res ipsa clamet, et ipse Dallæus fatetur, probatque.¹ E quibus omnibus constat, nihil ex eo contra antiquitatem horum Canonum legitime concludi posse, quod Constitutiones in iis hodie inter S. Scripturæ libros commemorantur.

De Pseud.
lib. III. cap.
I. [p. 416.]

[Can. Ap.
LXXXV. Pan.,
Can. tom. I.
p. 56, B.]

X. Præter Constitutiones Apostolicas duæ Clementis Epistolæ inter S. Scripturæ libros nominantur, idque hoc modo, Πέτρου ἐπιστολαὶ δύο, Ἰωάννου τρεῖς, Ἰακώβου μία, Ἰούδα μία Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. Ubi primo aliquid observare licet discriminis inter has Clementis et alias Epistolas hic recensitas. Postquam enim dixisset, *Joannis tres, Jacobi una, Judæ una*, non addit *Clementis duæ*, sed, voce ἐπιστολαὶ repetita, Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. Quod non opus erat si hæ ejusdem essent auctoritatis atque aliæ prius numeratæ. Deinde observatum etiam velim Clementis Epistolas alio atque Constitutiones modo hic describi. Constitutiones enim perinde memorantur, ac si ab ipso Canonum conditore editæ fuissent. Καὶ αἱ διαταγαὶ ἡμῶν ταῖς ἐπισκόποις δι' ἐμοῦ Κλήμεντος, *Et Constitutiones vobis Episcopis per me Clementem*. Quæ propterea ab impostore aliquo sub ementito Clementis nomine insertæ sunt. At Epistolæ tanquam a tertia persona, vel ab alio quam ab ipso Canonum conditore scriptæ memorantur, non scilicet ἐμοῦ Κλήμεντος, sed in genere, Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. Et sane quicumque fuerit, qui Constitutiones vel primus collegit, vel collectas postea interpolavit, et huic Canoni inseruit; Clementem saltem, ejus

¹ [“Ex his vero propius videri possit diversus temporibus, neque ab uno auctore, consarcinatum utrumque opus; ac prius quidem effectas fuisse Constitutiones; postea collectas atque

editos seorsim Canones; tandem impostori alicui placuisse utrumque opus in unum confari.”—Dall. de Pseud. lib. III. cap. I. p. 416.]

Epistolæ hic memorantur, Romanum fuisse Episcopum inter omnes convenit. Et has quidem duas ipsius Epistolas summæ apud primitivos Christianos auctoritatis fuisse, ex eorum scriptis apparet, ut quibus passim laudantur. Prima enim Epistola ab Irenæo, a Clemente Alexandrino, et ab Origene nec semel citatur. Eam Eusebius ab omnibus uno consensu receptam, et in plurimis Ecclesiis publice recitatam fuisse testatur.² De altera, fateor, Epistola, idem dicit, 'Ιστέον δὲ ὡς καὶ δευτέρα τις εἶναι λέγεται τοῦ Κλήμεντος ἐπιστολῆ· οὐ μὴν ἐθ' ὁμοίως τῇ προτέρᾳ καὶ ταύτην γινώριμον ἐπιστάμεθα, ὅτι μὴδὲ τοὺς ἀρχαίους αὐτῇ κεχρημένους ἴσμεν. *Sciendum autem est, quod quædam secunda etiam Clementis Epistola esse dicitur: Eam autem non similiter ac priorem notam fuisse comperimus, quoniam nec veteres ea usos fuisse scimus.* E quibus Eusebii verbis D. Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum de Clemente agens, dicit, *Fertur et secunda ejus nominis Epistola, quæ a veteribus reprobatur.* Hoc autem non dixit Eusebius: non dixit hanc Epistolam a veteribus reprobata, sed non adeo notam et celebratam fuisse ac priorem. Et ipse quidem Hieronymus, ubi non Eusebii, sed suam de his Epistolis sententiam profert, ambas sine ullo discrimine conjungit. *Ad hos, inquit, et Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit Epistolas, omnemque pene sermonem suum de virginitatis puritate contexit.* Quin Epiphanius etiam eodem modo utriusque mentionem facit, dicens, *Λέγει γὰρ ἐν μιᾷ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ, ἀναχωρῶ, ἄπειμι, ἐνσταθῆτω ὁ λαὸς τοῦ Θεοῦ, Dicit enim (Clemens) in una Epistolarum suarum, Recedo, exeo, instet populus Dei.* Alibi vero ambas has Epistolas in publicis Ecclesiæ conventibus recitatas fuisse tradit: dicit enim, *Αὐτὸς Κλήμης αὐτοὺς κατὰ πάντα ἐλέγχει, ἀφ' ὧν ἔγραψεν ἐπιστολῶν ἐγκυκλίων, τῶν ἐν ταῖς ἀγίαις ἐκκλησίαις ἀναγινωσκομένων. Ipse Clemens omnibus istos (Ebionitas) modis redarguit, in circularibus illis quas scripsit Epistolis, quæ in sanctis Ecclesiis leguntur.* Et quidem, nisi longe fallor opinione, ipse quoque Dionysius Corinthiorum, quibus ambæ hæ Epistolæ nuncupatæ sunt,

[Consule
Vet. Test.
de Epist.
Clementis,
apud Cot.
Pat. Ap.
tom. i. pp.
126-129.]

Hist. Eccles.
lib. iii. cap.
16, [pp. 107,
108.]
[ibid. cap. 38,
[p. 134.]

[Hier. de
Vir. Illust.
cap. xv. Op.
tom. ii. p.
839.]

Hieron. adv.
Jovinian. lib.
i. cap. 12.
[Op. tom. ii.
p. 257, E,
258, A.]

Epiphanius.
Hær. xxvii.
[Carpocrat.
num. 6. [Op.
tom. i. p.
107, B.]

Id. Hær.
xxx. [Ebion.]
num. 15. [Op.
tom. i. p.
139, B.]

² [Τούτου δὲ οὖν Κλήμεντος ὁμολογου-
μένη μία ἐπιστολὴ φέρεται.
Ταύτην δὲ καὶ ἐν πλείοσταις ἐκκλησίαις
ἐπὶ τοῦ κοινῷ διδασκαλικῆς πάλαι τι

καὶ καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς ἔγνωμεν.—Euseb.
Hist. Eccles. lib. iii. cap. 16, pp. 107,
108.]

Episcopus, proximo post Clementem seculo idem innuit.

Apud Euseb.
Hist. Eccles.
lib. iv. cap.
28. [p. 187.]

In Epistola enim ad Romanos scripta hæc habet, Τὸν σήμερον
 οὐκ κυριακὴν ἁγίαν ἡμέραν διηγάζομεν, ἐν ᾗ ἀνεγνώκαμεν ὑμῶν τὴν
 ἐπιστολὴν, ἣν ἔξομεν αἰεὶ ποτε ἀναγνώσκοντες νοθευθεῖσθαι, ὡς καὶ τὴν
 προτέρην ἡμῶν διὰ Κλήμεντος γραφεῖσθαι. *Hodie diem Dominicam
 sacram transegimus, in qua Epistolam vestram legimus, quam
 quidem perpetuo deinde legentes, perinde ac priorcm illam nobis
 a Clemente scriptam Epistolam, optimis præceptis ac docu-
 mentis abundabimus.* Hic duæ celebrantur a Dionysio Epi-
 stolæ, ad Ecclesiam Corinthiacam missæ, quarum una ab
 Ecclesia Romana, altera ab ipso Clemente scripta dicitur.
 Quam a Romanis scriptam dicit, alia non videtur quam ea
 quæ ‘Prima Clementis ad Corinthios Epistola’ vulgo in-
 dicitur, utpote quæ non Clementis sed Ecclesiæ Romanæ
 nomine scripta fuit, ut ex ipsa inscriptione patet. Altera
 vero, quæ secunda dicitur, non Ecclesiæ Romanæ sed Cle-
 mentis nomine scripta est, ut omnes consentiunt, et res ipsa
 loquitur, quandoquidem in hac Epistola appellatio ista
 ἀδελφοί μου sæpe occurrit, in altera nusquam. Hæc igitur
 eadem videtur fuisse, quam Dionysius τὴν προτέρην ἡμῶν διὰ
 Κλήμεντος γραφεῖσθαι appellat. Huic nostræ conjecturæ eruditi
 viri Jo. Bapt. Cotelerii observatio favet, quod ea scilicet
 quæ secunda dicitur, ipsius Clementis nomine scripta Epi-
 stola, ante alteram Ecclesiæ Romanæ nomine scriptam, missa
 fuit. Hinc enim constat quare προτέρα a Dionysio dicatur, eo
 nimirum quod hæc ab ipso Clemente, ante alteram illam ab
 Ecclesia Romana, conscripta fuerat. Non me fugit, Eu-
 sebinum, aliosque post eum omnes, unam duntaxat Clementis
 Epistolam in his Dionysii verbis intelligere, propterea scilicet,
 quod Clementis nomen uni soli inscribatur. Veramenimvero
 cum illa etiam, quæ ab Ecclesia Romana scripta fuit, Cle-
 menti, et quidem jure, ut Ecclesiæ illius Antistiti attribuitur,
 nihil obstat, quin eadem sit Epistola, quam Dionysius primo
 in loco memorat, dicens, ἐν ᾗ ἀνεγνώκαμεν ὑμῶν τὴν ἐπιστολὴν.
 Nec video quamnam alia ab illo intelligatur: cum aliam ab
 Ecclesia Romana ad Corinthiacam scriptam, publiceque
 lectam fuisse non constet. Verbis autem Dionysii hoc modo
 intellectis nihil disertius esse potest. Dicit enim Ecclesiam
 suam Corinthiacam duas legere consuetam esse Epistolas
 Roma missas, quarum una ab Ecclesia Romana, altera autem,

[Jod. de
 post. Ep. S.
 Clementis,
 Pat. Ap. tom.
 i. p. 188.]

quam et priorem vocat, ab ejusdem Præsule Clemente, ad ipsos scripta fuerat. Quas propterea ambas ab Ecclesia ista Corinthiaca, ad quam missæ sunt, publice lectas fuisse, nobis persuasissimum est.

XI. Hisce præcognitis, etiamsi concederemus, quod nunquam probari potest, nobisque veri admodum dissimile videtur, duas scilicet Clementis Romani Epistolas huic Canonis ab initio intersertas fuisse, et proxime post Epistolas canonicas collocatas, minime tamen exinde conficeretur novitium esse hunc Canonem, nec ante Synodum Nicænam constitutum. Nemo enim nescit de canonicis Novi Testamenti libris diu discéptatum fuisse, his plures, illis pauciores per tria saltem priora secula numerantibus Ecclesiis: adeo ut duas in eundem consentientes numerum vix reperiatis. Hoc autem iis omnibus solenne fuit, ut quascunque pro sacris Scripturas habebant, eas omnes sine ullo fere discrimine una recenserent. Vix quempiam habemus Clemente Alexandrino antiquiorem, quem Sacras utriusque Testamenti Scripturas enumerasse constat. Is autem in recensendis Novi Testamenti libris, neque illos prætermisit, qui a nonnullis in dubium vocati sunt, cum ab aliis recepti essent. Nam in libris *ὑποτυπώσεων*, ut ait Eusebius, omnium utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam instituit enarrationem, *Μηδὲ τὰς ἀντιλεγόμενας παρελθὼν, τὴν Ἰουδα λέγω, καὶ τὰς λοιπὰς καθολικὰς ἐπιστολάς, τὴν τε Βαρνάβα, καὶ τὴν Πέτρου λεγομένην Ἀποκάλυψιν.* *Ne illis quidem prætermisiss, de quibus ambigitur, Judæ Epistolam dico, et reliquas Catholicas Epistolas, necnon Epistolam Barnabæ, et Revelationem quæ dicitur Petri.* Ad eundem modum in antiqua illa stichometria ab erudito viro J. B. Cotelerio in notis ad Epistolam Barnabæ e duobus MSS. eruta, inter Sacras Novi Testamenti Scripturas, nulla adhibita distinctione, recensentur Barnabæ Epistola, Liber Pastoris, Actus Pauli, et Revelatio Petri. Quis autem Sacrarum Scripturarum catalogum a Clemente Alexandrino, et in hac stichometria exhibitum post Synodum Nicænam factum fuisse existimet, eo quod hujusmodi libri iis annumerentur? Quis potius antiquos hosce Sacræ Scripturæ catalogos non longe ante elaboratos fuisse crederet, cum Canon scilicet Scripturæ fixos sibi limites nondum haberet? Idem dicendum est de Clementis Epistolis hoc Canone Apostolico

Euseb. Hist.
Eccles. lib.
vi. cap. 14,
[p. 273.]

[Jud. de
Epist. 8.
Barn. Pat.
Ap. tom. i.
p. 8.]

memoratis. Cum a viro enim Apostolico scriptæ essent, et publice in Ecclesia legi solerent, inter Sacras Scripturas facile connumerari poterant, non minus quam Epistola Barnabæ, Hermæ Pastor, Revelatio Petri, aliive istiusmodi libri, qui olim in dubium a plerisque vocati, hodieque Canone penitus ejecti sunt.

XII. Secundum hæc, non defuisse olim, qui duas Clementis Epistolas Sacris Scripturæ libris subjunxerunt, iisque connumerarunt, e vetustissimo illo MS. constat, e quo in lucem primo editæ sunt. Hunc MS. Codicem Cyrillus Lucaris a sede Alexandrina ad Constantinopolitanam translatus, tanquam pretiosissimum Orientis thesaurum Alexandria Constantinopolim secum attulit: eundemque serenissimo pientissimoque Regi nostro CAROLO I. dono dedit, in cujus Bibliotheca adhuc asservatur. In hoc antiquissimo MS. ante mille, ut videtur, et ducentos annos exarato, et ex antiquiori procul omni dubio transcripto, omnes utriusque Testamenti libri ab Ecclesia primitiva recepti exhibentur; et inter alios, duæ istæ Clementis Epistolæ hoc Canone Apostolico post canonicos itidem Sacræ Scripturæ libros commemoratæ. Codex iste manu exaratus in quatuor tomos nunc dividitur, quorum primo præfigitur catalogus omnium librorum, qui in toto Codice continentur. Sed quandoquidem catalogus iste, ut opinor, nondum in lucem datus fuit, eundem huc transcribere non gravabor, utpote qui magnam huic Canoni lucem affert, egregiumque antiquorum Bibliorum specimen exhibet. Scriptus est quidem hic catalogus sive syllabus librorum, iisdem, quibus totus Codex, characteribus, grandioribus scilicet sive uncialibus, quibus, ut jamdudum obsoletis, in communes nostros commutatis, aliud quicquam mutare nobis religio est. Ac proinde neque lacunas supplevimus, sed ubi literæ quævis vetustate sunt abrasæ, ibi interstitia accurate demensa reliquimus. Sic itaque qualis est, se habet.

[Bibl. Mus.
Brit. Plut.
I. D. v.-viii.]

Γένεσις Κόσμου.

"Εξοδος Αιγύπτου.

Λευϊτικόν.

'Αριθμοί.

Δευτερονόμιον.

'Ιησοῦς Ναυῆ.

Κρίται.

'Ροῦθ.

"Ομου Βιβλία Η.

Βασιλείων Α.

Βασιλείων Β.	"Εσδρας Β. ιερέος.
Βασιλείων Γ.	Μακκαβαίων λόγος Α.
Βασιλείων Δ.	Μακκαβαίων λόγος Β.
Παραλειπομένων Α.	Μακκαβαίων λόγος Γ.
Παραλειπομένων Β.	Μακκαβαίων λόγος Δ.
"Ομου βιβλία ς.	Ψαλτήριον μετ' ὠδῶν.
Προφῆται ις.	'Ιώβ.
'Ωσηέ Α.	Παροιμίας.
'Αμώς Β.	'Εκκλησιαστής.
Μιχαίας Γ.	"Ἄσματα ἁσμάτων.
'Ιωήλ Δ.	Σοφία ἢ πανάρετος.
'Αβδίου Ε.	Σοφία 'Ιησοῦς υἱοῦ Σιράχ.
'Ιωνᾶς ς.	'Η Καινὴ Διαθήκη.
Ναοῦμ Ζ.	Εὐαγγέλια Δ.
'Αμβακ οὐμ Η.	Κατὰ Ματθαῖον.
Ζοφονίας Θ.	Κατὰ Μάρκον.
'Αγγαῶς ι.	Κατὰ Λουκᾶν.
Ζαχαρίας ια.	Κατὰ 'Ιωάννην.
Μαλαχίας ιβ.	Πράξεις 'Αποστόλων.
'Ησαίας ιγ.	Καθολικαὶ Ζ.
'Ιερεμίας ιδ.	'Επιστολαὶ Παύλου ΙΔ.
'Ιεζεκιήλ ιε.	'Αποκάλυψις 'Ιωάννου.
Δανιήλ ις.	Κλήμεντος εἰ λή Α.
'Εσθήρ.	εντος εἰ λή Β.
Τωβίτ.	"Ομου βιβλία.
'Ιουδείθ.	Ψαλμοὶ Σολομῶντος ΙΗ.
"Εσδρας Α. ιερέος.	

In hoc accurato librorum, qui in antiquissimo isto MS. exhibentur, indice, ut alia huc minus pertinentia omittam, duas Clementis Epistolas inter Sacra Novi Testamenti Scripturas, non minus quam in hoc Canone Apostolico, recensitas habemus. Post eas enim ponitur ὄμου βιβλία, (sed literis numeralibus vetustate exesis) unde patet istas Epistolas partem Canonis Novi Testamenti constituisse, vel inter canonicas saltem Scripturas perinde numeratas fuisse, ac si ipsæ etiam vere canonicæ essent. Quocirca ubicunque perantiquus hic Codex, proximo, ut videtur, post Synodum Nicænam seculo, exaratus fuit, ex antiquiori haud dubie exemplari, has etiam Epistolas inter sacros Novi Testamenti

libros ibidem antiquitus collectas fuisse constat. Ac propterea nemini mirum esse videatur, quod idem hoc Canone factum habeamus. Mirum potius fuisset, si in hoc Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ dictæ Clementis Epistolæ in sacrorum librorum censu non collocatæ essent, cum eæ tunc temporis et publice in Ecclesiis legi, et una cum aliis Sacrosanctæ Scripturæ libris compingi solerent, ut e MS. hoc catalogo liquet. In quo etiam observare licet, omnes tam Veteris quam Novi Testamenti libros promiscue dispositos esse, nulla inter canonicos et Apocryphos distinctione adhibita: nisi quod Psalmi Solomonis extra aliorum librorum censum constitui videantur, quemadmodum etiam non modo in Nicephori Constantinopolitani stichometria, sed et in S. Athanasii Synopsi, *Ψαλμοὶ καὶ ᾠδαὶ Σολομῶντος* inter ἀντιλεγόμενους Veteris Testamenti libros collocantur. Cum itaque Ecclesia nondum adeo sollicita esset de canonicis et Apocryphis Scripturis accurate distinguendis, quin hæ Epistolæ istis saltem diebus inter alios Sacræ Scripturæ libros facile recenserentur, nemo dubitare potest. Ac propterea ex earum in hoc Canone mentione nihil contra Canonis ipsius antiquitatem legitime concludatur: præsertim cum longe facilius esset, ut hæ Epistolæ canonicorum librorum numero intruderentur ante Concilium Nicænum, quando de numero isto inter omnes nondum convenit, quam postea cum universalis Ecclesiæ consensu stabilitus et determinatus fuit.

XIII. Huic denique Canonis Dallæus vitio vertit, quod Apocalypsis Joannis in eo prætermittatur.³ Hoc autem antiquitatem Canonis confirmat potius quam evertit. In omnibus enim recentioribus Sacrarum Scripturarum catalogis Joannis Apocalypsis constanter annumeratur: sed non item in antiquis. De isto enim libro non tantum tribus prioribus, sed et quarto currente seculo a multis dubitatum est: ut ex Eusebio constat dicente, *Τῆς δὲ Ἀποκαλύψεως ἐφ' ἑκάτερον ἔτι νῦν παρὰ τοῖς πολλοῖς περιέλκεται ἡ δόξα, De Revelationis autem libro adhuc in utramque partem opinionum varietate certatur.*

[Apud Crit. Sacros, tom. viii. par. 2, p. 5.]
[Cap. 74. Op. tom. ii. p. 201, D.]

Euseb. Hist. Eccles. lib. iii. cap. 24, [p. 118.]

³ ["Quinto, Id etiam hujus Canonis falsitatem abunde coarguit, quod Scripturarum nostrarum catalogum texens, neque Esdræ in Veteri Testamento collocat, neque Apocalypsin,

Græcorum quorundam, qui de ea olim dubitarunt, errorem, ut liquet, secutus in Novo memorat."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 13, p. 588.]

Et proximo capite de spuriiis Novi Testamenti libris agens, de Actibus Pauli, Hermæ Pastore, Revelatione Petri, Epistola Barnabæ, et Institutionibus Apostolorum, addit, Ἐτι δὲ, ὡς ἔφην, ἡ Ἰωάννου Ἀποκάλυψις, εἰ φανείη, ἣν τινες, ὡς ἔφην, ἀθετοῦσι, ἕτεροι δὲ ἐγκρίνουσι τοῖς ὁμολογουμένοις. *His adjunge, si lubet, Joannis Revelationem, quam nonnulli, ut supra dixi, rejiciunt, alii inter libros probatos annumerant.* Idem alibi ex Papiæ libris observans duos fuisse eodem tempore in Asia Joannis nomine indigitatos, ipse dubius hæsitavit, utri eorum, Evangelistæ, an alteri, presbytero, adscribenda sit Revelatio.⁴ Et post Eusebium, ut alios hic omittam, Amphilocheus Iconii Episcopus, S. Basilii æqualis, ad finem versuum de Sacræ Scripturæ libris, hæc habet :

Euseb. Hist. Eccles. lib. iii. cap. 25, [p. 119.]

Ibid. cap. 39, [p. 136.]

Τὴν δ' Ἀποκάλυψιν Ἰωάννου πάλιν
Τινὲς μὲν ἐγκρίνουσιν, οἱ πλείους δὲ γε
Νόθην λέγουσιν.

[Pan. Can. tom. ii. p. 180, E.]

*Ast Apocalypsim Joannis aliqui
Iis inserunt, sed longe plurimi
Adulterinam dicunt.*

Hinc ipse quoque Gregorius Nazianzenus, in suis de eodem argumento Carminibus, hunc librum omnino prætermittit, postque recensitos omnes tam Novi quam Veteris Testamenti libros ab universa Ecclesia approbatos addit,

[Greg. Naz. Carm. xii. ad fin. Op. tom. ii. p. 260, et Pan. Can. tom. ii. p. 179, C.]

Εἴ τι δὲ τούτων ἐκτός, οὐκ ἐν γνησίοις.

Si præter hos quid est, ne germanum putes.

Qui hæc legit, mirari desinet, quod Apocalypsis Joannis in perantiquo hoc Canone non commemoretur. Mirandum potius esset, si liber, de quo tamdiu disceptatum fuit, tam

⁴ [Ἐνθα καὶ ἐπιστῆσαι ἄξιον δις καταριθμοῦντι αὐτῶ τὸ Ἰωάννου ὄνομα· ὧν τὸν μὲν πρότερον Πίτρω καὶ Ἰακώβῳ καὶ Ματθαίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις συγκαταλέγει, σαφῶς δηλῶν τὸν εὐαγγελιστὴν τὸν δὲ ἕτερον Ἰωάννην, διαστίλλας τὸν λόγον, ἰτίροις παρὰ τὸν τῶν Ἀποστόλων ἀριθμὸν κατατάσσει, προτάξας αὐτῶ τὸν Ἀριστίωνα, σαφῶς τε αὐτὸν πρῶτον ὀνομάζει· ὡς καὶ διὰ

τούτων ἀποδείκνυσθαι τὴν ἱστορίαν ἀληθῆ, τῶν δύο κατὰ τὴν Ἀσίαν ὁμωνυμῶς κληρῆσθαι εἰρηκότων, δύο τε ἐν Ἐφέσῳ γενέσθαι μνήματα· καὶ ἐκάτερον Ἰωάννου ἔτι νῦν λέγεσθαι· οἷς καὶ ἀναγκαῖον προσέχειν τὸν νοῦν· εἰκὸς γὰρ τὸν δεύτερον, εἰ μὴ τις ἰθὺλοι τὸν πρῶτον, τὴν ἐπ' ὀνόματος φηρομένην Ἰωάννου Ἀποκάλυψιν ἰωρακίνας. —Euseb. Hist. Eccles. lib. iii. cap. 39, p. 136.]

cito in Canonem Scripturæ hoc loco redactus fuisset. Multo saltem facilius in hoc ultimo Apostolorum Canone omitti potuit hic liber ex nostra hypothesis, quam ex Dallæana. Si hæc enim collectio Canonum juxta nostram sententiam secundo tertiove seculo facta fuerit, librum, qui adhuc plurimis dubiæ esset fidei, in canonicis recensendis prætermittere proclive erat, non item post quintum, illudque adultum, seculum, cum ubique propemodum receptus fuit, ut genuinum Joannis Apostoli ac Evangelistæ divinitus inspirati monumentum.

E præmissis itaque videre est, nihil ex hoc ultimo Apostolorum Canone colligi posse, quod vel hunc Canonem vel totam, quam claudit, syllogen Synodo Nicæna recentiore, vel ea non longe antiquiorem esse evincit. Nihil ex tribus libris Maccabaicis, nihil ex Constitutionibus Apostolicis, nihil ex duabus Clementis Epistolis inter canonicos Sacræ Scripturæ libros hic recensitis, nihil denique ex Apocalypsi Joannis hic prætermissa. Quin potius ex eo, quod hic librorum sacrorum catalogus ab aliis omnibus discrepet, quodque nonnulli in eo memorentur libri, qui non nisi primis æræ Christianæ seculis vel publice lecti vel pro sacris habiti fuerunt, hunc ex iis Canonibus esse, quibus totius collectionis antiquitas adstruitur, jure meritissimo concludamus.

CAPUT X.

Synopsis.

- I. *Communia Dallæi argumenta contra Canones Apost. Quorum primum e vocabulis ibi usitatis sumitur.*
- II. *Hæc objectio nostram opinionem non attingit. Vocabula κληρικὸς, ἱερεὺς, λαϊκὸς, ἱερατικὴ διοίκησις, ἀναγνώστης, ψάλλτης, ab Ecclesiæ primordiis usitata esse ostenditur.*
- III. *Idem probatur de vocabulis προσφορὰ, θυσία, sacrificium, θυσιαστήριον, altare.*
- IV. *Discrimen inter βωμὸν et θυσιαστήριον a Patribus diligenter observatum. Eucharistia, quare θυσία, sacrificium et oblatio, dicatur, et sacra mensa altare. Ita ab Irenæo et Justino M. dicuntur.*
- V. *E vocabulis Πεντηκοστή, Κυριακά, et Ὑπερβερεταῖος, et πρῶτος ἐν ἐπισκόποις nihil contra antiquitatem horum Canonum concludi potest.*

I. POSTQUAM Cl. V. Joannes Dallæus primo contra triginta quinque posteriores, et deinde contra quinquaginta priores Canones Apostolorum disputavit, alia quædam communia adhibet argumenta, quibus totam syllogen Apostolis abjudicandam esse demonstrat. Et quidem certe si nihil aliud probatum ivisset, quam hos Canones ab ipsis Apostolis totidem verbis non constitutos fuisse, ei nos etiam faciles subscriberemus. Quandoquidem autem non modo Apostolicam eorum institutionem, verumetiam venerabilem antiquitatem oppugnare conatus est, ne quid nos in hac causa intactum relinquere videamur, hæc etiam communia, ut vocat, argumenta expendemus, eaque, ut ut Turriani sententiam jugulent, nostram nec attingere, nedum destruere paucis ostendemus.

Primo itaque contra hos Canones in commune excipit vir

[Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 18,
pp. 632-641.]

Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 18,
[pp. 632, 63]

eruditus, quod multa in iis vocabula usurpentur, *vel sanctis Apostolis penitus inusitata, vel non eo certe sensu, quo in his Canonibus sumuntur, usurpata. Qualia, inquit, sunt κληρικὸς pro homine ministerium aliquod ecclesiasticum exercente, [Cann. ii. iv. et passim,] κατάλογος τῶν κληρικῶν, [Cann. xv. lxx.] Item, Ἐπίσκοπος et πρεσβύτερος pro ministris diversorum ordinum, [summi et secundi, Can. iii. et passim.] Ἀναγνώστῃς, καὶ ψάλτῃς, [Cann. xxvi. lxxix.] ἱερεὺς, [Can. xlvii.] ἱερατικὸς κατάλογος, [Cann. viii. xvii. xviii. et alibi,] ἱερατικὴ διοίκησις, [Can. lxxxiii.] pro presbytero, et eo quod presbyterorum est. Λαϊκὸς pro eo fidei, qui extra censum ministrorum in Ecclesia est, [Can. xii. et passim.] Θυσιαστήριον pro mensa Domini, [Cann. iii. iv. et alibi,] θυσία pro Eucharistiæ celebratione, [Cann. iii. xlvi.] et pro eadem προσφορὰ, [Can. viii.] Πεντηκοστὴ pro toto eo tempore quod a festo Paschæ ad proprie dictam Pentecosten decurrit, [Can. xxxvii.] Πρῶτος ἐν ἐπισκόποις, pro Metropoleos in provincia Episcopo, [Can. xxxiv.] Τὰ κυριακὰ, Dominica, [Can. xl.] pro rebus quas possidet Ecclesia, quas iidem Canones vocant τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα. [Can. xli.] Ὑπερβερεταῖος October, [Can. xxxvii.] Hæc, inquit vir doctus, et alia fortasse non pauca sequentibus Christianismi seculis usitata in eo, quo Canones usurpant, sensu, constat in veris ac indubitatis, hoc est canonicis Apostolorum Scripturis, nusquam sic posita occurrere.*

II. Hæc autem viri clarissimi exceptio, nec Turriani, nedum nostram de his Canonibus opinionem elevat. Non Turriani quidem: nihil enim vel possibilis, vel etiam probabilis esse potest, quam ut Apostoli de aliis, ac quas in canonicis Scripturis tractant, rebus disserentes, aliis etiam vocibus et loquendi formulis uterentur. Quod ad nostram autem de hisce Canonibus sententiam, eos secundo tertiove seculo constitutos asserentem, spectat, eam ex hac exceptione nihil detrimenti contrahere usque adeo certum et luculentum est, ut verear, ne inaniter verba consumere videar, si illud demonstratum eam. Utcunque, ne Observator, aliive posthæc omnes Dallæi contra antiquitatem horum Canonum a nobis assertam objectiones nondum solutas esse jactarent, de his etiam vocabulis ab eo prolatis pauca delibare non pigebit. Primo autem vocabula ἐπίσκοπος et πρεσβύτερος de ministris diversorum ordinum, summi scilicet et secundi,

toties in hac sylloge usitata, postea iterum ad secundam ipsius exceptionem conficiendam adducuntur; quibus propterea illuc rejectis, videamus annon vox κληρικὸς de homine ministerium ecclesiasticum exercente, ἱερεὺς de presbytero, et λαϊκὸς de fideli non ordinato, a primitiva Ecclesia usurpentur. Vocem autem κληρικὸς eo sensu D. Cypriani diebus vulgo usitatam fuisse, ex unaquaque fere operum illius pagina abunde constat: adeo ut nemo oculum in ea conjiciat, quin vel clerum vel clericum mox inveniet. Et ante eum Origenes eadem voce usus est, Ἴστε δὲ, inquit, ὅτι οὐ πάντως ὁ κληρὸς σώζει· πολλοὶ γὰρ [καὶ] πρεσβύτεροι ἀπολοῦνται, πολλοὶ καὶ λαϊκοὶ μακάριοι ἀποδειχθήσονται. Ubi non modo κληρὸν de ecclesiasticis ministris, sed et vocabulum λαϊκοὶ de reliquis fidelibus usurpatum habes. Tertullianus, *Unde enim Episcopi et clerus? nonne de omnibus? Si non omnes Monogamiæ tenentur, unde Monogami in clerum? An ordo aliquis seorsum debet institui Monogamorum, de quo adlectio fiat in clerum? Sed quum extollimur et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes; quia sacerdotes nos Deo et Patri fecit. Quum ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, et [im]pares sumus. Et paucis interjectis, Laicis vero, queis Monogamia non convenit, cætera quoque aliena sunt. In quo uno, ut videre licet, capite, et clerum, et sacerdotes, et disciplinam sacerdotalem, sive ἱερατικὴν διοίκησιν, et laicos denique habemus. Sed et alibi idem ait, Ubi ecclesiastici ordinis est consessus, et offert, et tinguit sacerdos, qui est ibi solus, sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici.*¹ Sed infinitus essem, si omnia ex eo, aliisque secundi tertiique seculi scriptoribus, loca transcriberem, quibus hujusmodi voces occurrunt, æque ac in Canonibus Apostolorum. Verum insignem Clementis Romani locum præterire nequeo, quo scilicet hæc habet, Τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἰδία λειτουργία δεδομένη ἐστίν, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τρόπος προστέτακται, καὶ Λευίταις ἰδία διακονία ἐπίκεινται ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται. Hinc enim constat hujusmodi vocabula ab ipsis Ecclesiæ primordiis, eo, quo in Canonibus Apostolorum, sensu vulgo usitata fuisse.

Orig. in Jer.
Hom. xi.
[cap. 2. Op.
tom. iii. p.
189, B.]

Tertull. de
Monog. cap.
xii. [p. 533,
B.]

[Ibid. p. 533,
C.]

Id. Exhort.
ad Castitat.
cap. vii. [p.
522, A.]

Clem. Epist.
i. ad Corinth.
[cap. xl. Cot.
Pat. Ap. tom.
i. p. 169.]

¹ ["Ubi ecclesiastici ordinis non sacerdos es tibi solus."—Tertull. Exhort. ad Castitat. cap. vii. p. 522, A.]

Idem dicendum est de vocibus, ἀναγνώστης καὶ ψάλτης. Hujusmodi enim et officia et nomina ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse videntur. Cantus enim ecclesiasticos perpetuo celebrari solitos fuisse inter omnes constat: qui istis autem rite modulandis præpositi sunt, ψάλται, et κανονικοὶ ψάλται a Synodo Laodicensi vocantur. Cornelius Episcopus Romanus, in Epistola ad Fabium Ecclesiæ Antiochenæ antistitem, sua ætate, hoc est anno CCL., in una Ecclesia Romana presbyteros quidem quatuor et quadraginta fuisse dicit, septem autem diaconos, totidemque subdiaconos, Ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα, ἐξορκιστὰς δὲ καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροὺς δύο καὶ πενήκοντα, *Acoluthos duos et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos*. Hypodiaconos et lectores in Ecclesia Carthaginiensi iisdem diebus constitutos fuisse ex D. Cypriano patet.² Et ante eum Tertullianus, *Itaque alius, inquit, hodie Episcopus, cras alius. Hodie diaconus, qui cras lector. Hodie presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera injungunt*. Ubi non tantum laicorum, et sacerdotalium munerum, quibus presbyteri scilicet perfunguntur, verum et lectoris mentio occurrit. Qui a Justino Martyre ἀναγνώσκων appellatur, ubi nimirum ait, *Εἴτα παυσανίου τοῦ ἀναγνώσκοντος, ὁ προσεστὼς διὰ λόγου τὴν νευθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται*. Sed hæc leviora sunt, quam quibus immorari liceat. Neque digna nos ea judicassemus, quæ explicarentur, vel etiam commemorarentur, nisi eorum gratia, qui hujusmodi vocabula ac officia primitivæ Ecclesiæ incognita fuisse ac inusitata opinantur.

Can. xv.
[Pan. Can.
tom. i. p. 459,
E.]

Apud Euseb.
Hist. Eccles.
lib. vi. cap.
43, [p. 312.]

Epist. xxiv.

Tertull. de
Præscr. adv.
Hæc. cap. xli.
[p. 217, C.]

Justin. Apol.
i. [cap. 67,
Op. p. 83, D.]

Can. Apost.
iii. iv. xxxi.
Can. iii. viii.
xlv.

III. Sed major fortasse difficultas orietur de vocabulis *θυσιαστήριον, altare*, pro mensa Domini,³ *θυσία, sacrificium*, et *προσφορὰ, oblatio*, pro Eucharistiæ celebratione.⁴ Ita quidem aliis

² [“Fecisse autem me sciatis lectorem Saturnum, et hypodiaconum Optatum confessorem.” — Cypr. Epist. xxiv. Pamel. xxix. Fell. p. 55.]

³ [Προσεύγκη ἕτερα ἰσὶ τὸ θυσιαστήριον.—Can. Ap. iii. Pan. Can. tom. i. p. 2, B.]

⁴ Ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ θυσιαστήριον.—

Can. Ap. iv. Pan. Can. tom. i. p. 3, A.

Θυσιαστήριον ἕτερον πῆξῃ.—Can. Ap. xxxi. Pan. Can. tom. i. p. 19, E.]

⁴ [Παρὰ τὴν τοῦ Κυρίου διάταξιν τὴν ἰσὶ τῆ θυσίας.—Can. Ap. iii. Pan. Can. tom. i. p. 2, B.]

Προσφορᾶς γινομένης μὴ μεταλάβοι.—

forsitan videatur, non item nobis, qui hæc et hujusmodi nomina de istis rebus usitata in antiquissimis Ecclesiæ monumentis passim invenimus. D. Cyprianus nullo alio, quantum memini, præterquam altaris nomine mensam Domini indigitare solet, isto autem sæpissime.⁵ Ante eum Tertullianus et Eucharistiæ celebrationem sacrificium, et mensam Domini aram Dei nuncupavit. *Similiter et stationum*, inquit, *diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini. Ergo [devotum] Deo obsequium Eucharistia resolvit? an magis Deo obligat? Nonne solennior erit statio tua, si ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii. Eodem sensu voce 'altare' alibi utitur, dicens, Si spiritus reus apud se sit, conscientia erubescit, [conscientiæ erubescens, Prior.] quomodo uudebit orationem dicere ad altare? Apud altare scilicet, sive sacram mensam, publicæ orationes antiquitus celebratæ sunt. Ante Tertullianum ipse etiam Ignatius in genuinis et inviolatis ejus Epistolis *θυσιαστήριον* in eodem sensu adhibuit, 'Εὰν μή τις, inquit, ἐντὸς ἢ τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου τοῦ Θεοῦ. *Nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei.* Et alibi, *Μία γὰρ σὰρξ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἔνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ· ἐν θυσιαστήριον, ὡς εἶς ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ διακόνις τοῖς συνδούλοις μου. Una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix, in unitatem sanguinis Ejus. Unum altare, sicut unus Episcopus cum presbyterio et diaconis conservis meis.**

IV. Constat itaque mysticam mensam ab ipsis Apostolorum temporibus vocatam fuisse *θυσιαστήριον*, non autem *βωμόν*. Hæc enim vox gentilibus solis ac idololatriis, illa eccle-

Epist. xl. ad Plebem, xlii. ad Cornelium, lv. ad eundem, lxiii. ad Cæcil. lxiv. ad Epictetum, etc. Tertull. de Orat. cap. xiv. [p. 135, A.]

Id. Exhort. ad Castit. cap. x. [p. 523, C.]

Ignat. Ep. ad Ephes. [cap. v. Cot. Pat. Ap. tom. ii. p. 47.] Id. Ep. ad Philad. [cap. iv. Cot. Pat. Ap. tom. ii. p. 32.]

Can. Ap. viii. Pan. Can. tom. i. p. 5, E.

Λειτουργικῶν διζαμένους βάπτισμα ἢ θυσίαν.—Can. Ap. xlvi. Pan. Can. tom. i. p. 30, E.]

⁵ ["Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, præter unum altare, et unum sacerdotium, non potest."—Cypr. Epist. xl. Pamel. xliii. Fell. ad Plebem, p. 83.

"Considentibus Dei sacerdotibus et

altari posito."—Epist. xlii. Pamel. xlv. Fell. ad Cornel. p. 87.

"Recedentibus sacerdotibus, ac Domini altare remonentibus."—Ep. lv. Pamel. lix. Fell. ad eundem, p. 139.

"Altaris et Apostolorum faciens mentionem."—Epist. lxiii. ad Cæcil. p. 150.

"Quasi post aras diaboli accedere ad altare Dei fas sit."—Epist. lxiv. Pamel. lxxv. Fell. ad Epictetum, p. 162.]

siasticis scriptoribus peculiaris est; neque unquam usurpatur præterquam de altari quod vero Deo erigitur. Hinc est, quod Origenes, Minutius Felix, Arnobius, aliique Christianos nullos habere βωμούς, nullas idolorum aras, quemadmodum et nulla templa, nulla scilicet claustra numinum, qualia omnia fuerunt, vel existimata sunt ethnicorum templa, sæpe asseruerunt.⁶ Nusquam autem asserunt eos nec θυσιαστήρια habere, istiusmodi scilicet altaria, quæ Corpori Sanguinique Christi mystice offerendo inservierunt. Hujusmodi enim altaria Christianis semper in usu fuisse e supradictis patet. Et quidem vox ista θυσιαστήριον, sive altare proprio sensu, nihil aliud est quam ἀγία τράπεζα, mensa Deo consecrata, sive sancta, ad quam Deus fideles suos invitat, eosque magni Illius sacrificii, quod Unigenitus Ipsius Filius pro humano genere obtulit, participes facit. Unde etiam ipsa hæc sacra actio, sive Eucharistiæ celebratio, θυσία et προσφορά, sacrificium et oblatio, sæpe appellatur, ut non modo e Tertulliano supra allato, verumetiam ex aliis ejusdem ac præcedentis seculi commentariis liquet. Sic enim Irenæus, *Sed et suis discipulis dans consilium (Christus) primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit, et*

Iren. cont.
Hær. lib. iv.
cap. 32, [17,
Massuet.
sect. 5. Op.
p. 249, col. 2.]

⁶ [Μετὰ ταῦτα δὲ ὁ Κέλσος φησὶν, ἡμᾶς βωμούς καὶ ἀγάλματα καὶ νεὼς ἰδεῖσθαι φεύγειν· ἰσχυρὸν τὸ πιστὸν ἡμῖν ἀφανοῦς καὶ ἀπορήτου κοινωνίας οἶσται εἶναι σύνθημα· οὐχ ἔργον, ὅτι βωμοὶ μὲν εἰσιν ἡμῖν τὸ ἑκάστου τῶν δικαίων ἡγιμονικόν, ἀφ' οὗ ἀναπίμπηται ἀληθῶς καὶ νοητῶς εὐαδῆ θυμιάματα, αἱ προσευχαὶ ἀπὸ συνιδήσεως καταρᾶς.—Orig. cont. Celsum, lib. viii. cap. 17, Op. tom. i. pp. 754, B, 755, A.

“Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra et aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod Ei exstruam, cum totus hic mundus Ejus opere fabricatus Eum capere non possit? Et cum homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? Nonne melius

in nostra dedicandus est mente, in nostro imo consecrandus est pectore?” —Min. Felic. Octav. cap. xxxii. Gall. Bib. Patr. tom. ii. p. 399.

“In hac enim consuestis parte crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulacrum constituamus aut formam, non altaria fabricamus, non aras . . .”—Arnob. adv. Gentes, lib. vi. cap. 1, p. 486.

“Quid sibi templa? Quid aræ volunt? Quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum aut absentium monumenta sunt?”—Lact. Inst. lib. ii. cap. 2. Op. tom. i. pp. 116, 117. “Sit nobis Deus non in templis, sed in corde nostro consecratus.”—Id. de Ira Dei, cap. xxiii. Op. tom. ii. p. 179.]

gratias egit, dicens, 'Hoc est Corpus Meum,' et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum Sanguinem confessus est, et Novi Testamenti novam docuit oblationem (προσφορὰν); quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo. Et alibi, Igitur Ecclesiæ oblatio

(προσφορὰ), quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei; non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert glorificatur in eo quod offert, si acceptetur munus ejus.

Et paulo post, Sacrificia in populo, sacrificia in Ecclesia, sed species immutata est tantum, quippe cum jam non a servis sed a liberis offeratur. Nimirum sacra Eucharistia est convivium quoddam fœderale (qualia etiam antiqua fuerunt sacrificia) inter Deum et homines. Homines enim primo offerunt panem et vinum Deo, quas creaturas Sibi oblatas, et in symbola magni per Christum peracti sacrificii consecratas, Deus iterum hominibus impertit. Quo pacto ipsi per fidem de magno Christi sacrificio revera participant. Ac proinde magnum hoc mysterium nullo alio vocabulo aptius pleniusve exprimi potest, quam istis, θυσία, προσφορὰ, sacrificium, oblatio, et similibus. Quibus propterea et a Justino M. nuncupatur.

Πάντας οὖν, inquit, διὰ τοῦ ὀνόματος τούτου θυσίας ἅς παρέδωκεν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς γίνεσθαι, τουτέστιν ἐπὶ τῇ εὐχαριστίᾳ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου, τὰς ἐν παντὶ τόπῳ τῆς γῆς γινομένας ὑπὸ τῶν Χριστιανῶν, προλαβὼν ὁ Θεὸς μαρτυρεῖ εὐαρέστους ὑπάρχειν αὐτῶν. Universos igitur, qui per Nomen Ejus illa offerunt sacrificia, quæ Jesus Christus fieri tradidit, hoc est in Eucharistia panis et poculi, quæ in omni loco a Christianis fiunt, præveniens Deus gratos sibi esse testatur. Quo in libro vox θυσία καὶ προσφορὰ sæpe hoc sensu, pro Eucharistia scilicet, usurpatur.

Et ante eum Clemens Romanus, Πάντα, inquit, τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν, ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν, κατὰ καιροῦς τεταγμένους τὰς τε προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι. Omnia debemus rite ac ordine facere, quæ Dominus præstitutis temporibus peragere jussit, oblationes scilicet et liturgias celebrare; et paulo post, Οἱ οὖν τοῖς προστεταγμένοις καιροῖς ποιῶντες τὰς προσφορὰς αὐτῶν, εὐπρόσδεκτοί τε καὶ μακάριοι, Qui igitur præstitutis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt. Unde constat sacræ Eucharistiæ celebrationem θυσίαν ac προσφορὰν, et mysticam propterea mensam, super quam celebrata est,

[Iren. cont. Hær. lib. iv. cap. 34, (18, Massuet.) sect. 1. Op. p. 250, col. 1.]

[Ibid. cap. 34, (18, Massuet.) sect. 2. Op. p. 250.]

Justin. M. Dial. cum Tryph. [cap. cxvii. Op. p. 209, E.]

Clem. Ep. 1. ad Cor. [cap. xl. Cot. Pat. Ap. tom. i. p. 168.]

[Ibid. Cot. Pat. Ap. tom. i. p. 169.]

θυσιαστήριον, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis appellatam fuisse. Ac proinde nemini mirum esse videatur, quod hæc vocabula in his Canonibus aliquot post annis editis isto sensu usurpentur.

V. Reliqua quæ supersunt vocabula, quibus clarissimus vir hos Canones impugnat, istiusmodi sunt, quibus responsum nullo negotio detur. Quis enim dabit Apostolos vel Apostolicam Ecclesiam totum illud, quod a Pascha ad Pentecosten decurrit spatium temporis Πεντηκοστῆς vocabulo nunquam appellasse? Præsertim cum isto sensu ab ipso Tertulliano aliisque antiquissimis Ecclesiæ Patribus, ut alibi ostendimus, vox ista sæpe usitetur? Quidni etiam Apostoli et viri Apostolici ea τὰ κυριακά, *Dominica*, nuncuparent, quæ ad *Dominicos usus* decernuntur, ut loquitur Irenæus.⁷ Quod autem πρῶτος ἐν ἐπισκόποις, id est Metropoleos cujusque provinciæ Episcopus, in hisce Canonibus memoratur, eam loquendi formulam primitivæ et Apostolicæ Ecclesiæ praxi consonare, supra a nobis fuse demonstratum est. Satis autem mirari nequeo, qua de causa etiam vox ὑπερβερεταῖος ei displiceret. Quasi scilicet Apostolis et primis Christianis ad Macedones, Syromacedones, Antiochenos, Ephesios, et Smyrnæos scribentibus, vel de rebus apud illos peragendis decernentibus, non liceret istis mensium nominibus uti, quæ apud eos vulgo recepta erant. Hujusmodi sane argumentis risus magis quam confutatio convenit. Sed me reprimo; neque enim contra Dallæum, sed pro Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ disputo.

[Cont. Hær.]
lib. iv. cap.
34, [18, Mas-
suet. sect. 2,
Op. p. 250.]

⁷ ["Et propter hoc illi quidem decimas suorum habebant consecratas; qui autem perceperunt libertatem, omnium quæ sunt ipsorum ad Dominicos

decernunt usus. . . ."]—Iren. cont. Hær. lib. iv. cap. 18, sect. 2, Op. p. 250.]

CAPUT XI.

Synopsis.

- I. *Altera communis objectio contra Canones Apost. ex eo petita, quod Episcopi et presbyteri in iis distinguantur. Ista distinctio ab Ecclesia recens nata obtinuit.*
- II. *Clemens Alex. Episcopum et presbyterum non minus quam presbyterum et diaconum distinguit.*
- III. *Eadem distinctio ex Origene, et Dionysio Alex. demonstratur, necnon ex Tertulliano, qui Episcopum ' Summum Sacerdotem ' vocat.*
- IV. *Clemens Alex., Origenes, et Tertullianus Episcopos in ipsis Apostolorum scriptis distinctos esse a presbyteris, adeoque ab ipsis Apostolis distincte institutos judicarunt.*
- V. *Idem ex Tertulliano iterum probatur, necnon ex Irenæo. Multi presbyteri Episcopo Romano subjecti sunt, qui tamen nihil magni momenti sine eo facere potuerunt.*
- VI. *Polycarpus Episcopus ab Apostolis ordinatus presbyteros sibi subjectos habuit. Primi Ecclesiarum Episcopi soli celebrantur, non item presbyteri.*
- VII. *Episcoporum a presbyteris distinctio, eorumque super hos auctoritas, e Dionysio etiam Corinthiaco demonstratur.*
- VIII. *Nonnullos proxime post Apostolos, primo presbyteros, et deinde Episcopos ejusdem Ecclesiæ fuisse probatur.*
- IX. *Hæc distinctio ex iis etiam qui cum Apostolis versati sunt, Ignatio, et Clemente Romano evincitur. Episcopi, presbyteri, et diaconi in Ecclesia Christiana, æque ac Pontifex, Sacerdotes, et Levitæ in Judaica distincti, iisdemque nominibus antiquitus appellati sunt.*
- X. *Clementis I. locus explicatur. Διάκονος istis diebus generale erat omnium Ecclesiæ ministrorum nomen. Clemens non de sua ætate loquitur, sed, quid Apostoli statim post Domini ascensum agebant, docet, cum Ecclesiæ regimen perpetuo duraturum nondum institui potuit.*

- XI. *Quod Episcopi ab Apostolis presbyteri nominentur, nihil contra nos facit. Nam initio Ecclesiæ Judaicæ ‘ Summus Sacerdos ’ etiam simpliciter ‘ Sacerdos ’ dictus fuit.*
- XII. *Ex iis, quæ Apostoli statim post Christi ascensum fecerunt, nihil de perpetuo Ecclesiæ regimine concludi potest. Ipsi Spiritum per Christum sibi insufflatum per $\chi\rho\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$ aliis communicarunt. Quo modo in Apostolorum successores perpetuo infunditur.*
- XIII. *Quæstio de Episcoporum supra presbyteros auctoritate, ut rite instituantur, ita ut determinari possit.*
- XIV. *Singuli Apostoli totam Apostolicam auctoritatem sibi commissam habuerunt, ac proinde eandem in singulares personas transmittere debuerunt.*
- XV. *Hanc auctoritatem Apostoli singularibus personis, Timotheo et Tito, commiserunt: ideoque et aliis; siquidem uniformitati in Ecclesia studerent.*
- XVI. *Eandem apud singulares personas ab Apostolis depositam fuisse, historiæ ecclesiasticæ fidem faciunt. Ipsi etiam adversarii negare nequeunt, quin singulares personæ eandem statim post Apostolos exercuerint.*
- XVII. *Primi Apostolorum successores ecclesiasticæ administrationis formam ab iis institutam nec voluerunt, nec potuerunt immutare. Nullus unquam presbyter ante nostrum et præcedens seculum præter Aerium se Episcopo parem existimavit.*
- XVIII. *Nihil inter jus Divinum et Apostolicum interest. Antiquissimi Patres episcopalem auctoritatem jure Divino institutam consenserunt.*
- XIX. *Hujus dissertationis conclusio.*

I. PROXIMUM commune contra Canones Apostolorum argumentum ex eo petit clarissimus vir, quod Episcopos et presbyteros perpetuo distinguant, atque ita priorem, ut ipsi videtur, ministerii ecclesiastici partem, quæ supra diaconatum est, in duos ordines [Episcoporum et presbyterorum perpetuo] dividant, plurimum inter se et nomine, et jure, et statu, et auctoritate differentes. Nempe sicut dicit vir doctus, ita profecto est. Hi Canones duos illos Episcoporum et presbyterorum ordines perpetuo distinguunt. Et quidem

[Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 18, p.
634.]

nisi hoc fecissent, eos ipse etiam de novitate suspectos habuissem; nec ante quartum, illudque adultum, seculum, post Arianæ scilicet hæreseos exortum, conditos credidissem. Ab ipsis enim Apostolorum temporibus usque ad Arium, nemo unquam presbyteros ejusdem atque Episcopos ordinis fuisse somniavit, sed omnes e contrario, ubi ordines ecclesiasticos enumerant, tres istos, Episcoporum scilicet, presbyterorum, et diaconorum, tanquam a se invicem distinctos, constanter recensent: ut a viris eruditis sæpe demonstratum est. Utcunque hoc etiam in loco unum vel alterum afferre testimonium non pigebit, quo summa inter Episcopi et presbyteri ordines distinctio proximo post Apostolos seculo evidentissime demonstratur.

II. Primo itaque, si alia deessent argumenta, hæc Clementis Alexandrini verba distinctionem istam clare satis indicant: Ἐπεὶ καὶ αἱ ἐνταῦθα κατὰ τὴν ἐκκλησίαν προκοπαὶ ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, μιμήματα οἶμαι τῆς Ἀγγελικῆς δόξης. *Nam et hic quoque in Ecclesia progressionem Episcoporum, presbyterorum, diaconorum, imitationes sunt, ut arbitror, Angelicæ gloriæ.* Hic enim non modo Episcopi, presbyteri, et diaconi tanquam a se invicem distincti memorantur, sed et distincti eorum ordines verbo isto προκοπαὶ luculente indignantur: utpote e quo conficitur, progressionem sive promotionem fuisse a presbytero ad Episcopum, non minus quam a diacono ad presbyterum. Adeo ut, nisi diaconi idem sit atque presbyteri ordo, Episcopi a presbyteris ordine distinguantur necesse est. Ab uno porro ordine ad eundem progressio fieri non potest. Atqui ut a diaconatu ad presbyteratum, sic etiam a presbyteratu ad episcopatum facta est progressio, ut ex his ipsis verbis patet, necnon e sequentibus. Cum enim dixisset Clemens has progressionem esse imitationes gloriæ Angelicæ, ac illius œconomiae et dispensationis, quam Scripturæ illos exspectare dicunt, qui, insistentes vestigiis Apostolorum in perfectione justitiæ convenienter Evangelio vixerunt, addit protinus, Ἐν νεφέλαις τούτους ἀρθέντας γράφει ὁ Ἀπόστολος, διακονήσιν μὲν τὰ πρῶτα, ἔπειτα ἐγκαταταγῆναι τῷ πρεσβυτερίῳ κατὰ προκοπὴν δόξης· (δόξα γὰρ δόξης διαφέρει,) ἄχρις ἂν εἰς τέλειον ἄνδρα αὐξήσωσιν. *Hos sublatos in nubibus scribit Apostolus, primo quidem diaconos esse, deinde cooptatos in presbyteratum per progressum gloriæ,*

Clem. Alex.
Strom. lib.
vi. [cap. 13.]
p. 667,
[Paris. 793,
Potter.]

[Ibid. pp. 667,
668, Paris.
793, Potter.]

(nam gloria differt a gloria,) donec in virum perfectum creverint. In virum perfectum, hoc est, in Episcopum, sensu cœlesti in summum gloriæ apicem. Hic enim ostendit Clemens tres esse gloriæ ordines in cœlis, a se invicem distinctos (nam gloria, inquit, differt a gloria,) quos progressionibus sive ordinibus Episcoporum, presbyterorum, et diaconorum in terris imitantur. Primum scilicet, sive infimum diaconorum esse, medium presbyterorum, supremum autem sive perfectissimum Episcoporum. Quos propterea istis diebus distinctos fuisse in Ecclesia ordines clarissime elucescit.

III. Idem Origenes Clementis æqualis in commentariis suis sæpe inculcat, præsertim ubi hæc habet, Πλεῖτον ἐγὼ ἀπαιτοῦμαι παρὰ τὸν διάκονον, πλεῖτον ὁ διάκονος παρὰ τὸν λαϊκὸν, ὁ δὲ [τὴν] πάντων ἡμῶν ἐγκεχειρισμένος ἀρχὴν αὐτὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἐπὶ πλεῖτον ἀπαιτεῖται. *Plus a me (presbytero) exigitur, quam a diacono: plus a diacono, quam a laico: ab eo autem, qui in nos omnes ecclesiasticum ipsum principatum sibi commissum habet, plus adhuc exigitur.* Vel ut D. Hieronymus hæc ultima verba Latine vertit, *Qui vero totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem.* In his, fateor, Origenis verbis nec Episcopus nec presbyter diserte nominatur. Ambo autem necessario includuntur. Origenem enim presbyterum fuisse nemo nescit: et hæc ipsa verba clamant. Neque enim plus ab eo quam a diacono exigi potuit, nisi ipse presbyter esset, atque ita diacono superior. Per eum autem, qui summum in omnes tam clericos quam laicos paræciæ suæ principatum sibi concreditum habet, Episcopum intelligendum esse nemo dubitare potest. Hoc enim res ipsa loquitur, et vulgaris loquendi formula ab Origene usitata confirmat, a quo scilicet Episcopi ἀρχόντες et ἡγούμενοι passim appellantur.¹ Dicit igitur plus a presbytero quam a diacono

Orig. in Jer. Hom. [xi. (juxta Hier. vii.) cap. 3. Op. tom. iii. p. 189, C, D.]

[Hom. vii. in Jer. Hieron. Op. tom. v. col. 810, A.]

¹ [Βουλευτῶν καὶ ἀρχόντων ἐκκλησίας Θεοῦ.—Orig. cont. Celsum, lib. iii. cap. 30. Op. tom. i. p. 466, F.]

Καὶ οἱ καλῶς ἀρχόντες ἡμῶν βιασθέντες ὑπάρχουσι.—Orig. cont. Celsum, lib. viii. cap. 75; Op. tom. i. p. 798, C.]

Καὶ ἀναγκαιῶς ἄμα καὶ δικαίως ἡγούμενοι.—Ibid. D.]

Ὁ δὲ ἡγούμενος, οὕτω δὲ οἶμαι ὀνομάζειν τὸν καλούμενον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπί-

σκοπον, ὡς ὁ ταῖς ὑπηρετουμένοις διακονούμενος.—Orig. in Matth. tom. xvi. cap. 8. Op. tom. iii. p. 723, C.]

Τοὺς ἡγούμενους τοῦ λαοῦ τοῦ Θεοῦ.—Ibid. E.]

“ Qui vocatur ergo ad episcopatum non ad principatum vocatur, sed ad servitutem totius Ecclesiæ.”—Orig. in Isaiam, Hom. vi. cap. 1. Op. tom. iii. p. 116, col. 1, E. “ In servitutem

exigi: plus etiam ab Episcopo quam a presbytero: quod fieri non potest, nisi Episcopus alius sit a presbytero, eoque non minus superior quam presbyter diacono. Imo vero Episcopum, Τὸν ἐπὶ πάντων ἡμῶν (πρεσβυτέρων, viz. καὶ διακόνων καὶ λαϊκῶν) ἐγκραχειρισμένον ἀρχὴν αὐτὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν affirmat. Quibus verbis summa Episcoporum in ipsos etiam presbyteros ὑπεροχὴ apertissime significatur. Hinc est quod ubicunque ille tres hosce ordines simul recenset, Episcopos cæteris semper præponit, ut ἀνευλαβέσιν ἐπισκόποις, ἢ πρεσβυτέροις, ἢ διακόνοις: et ante, Σύμβολόν ἐστι καὶ ὁ ἐπίσκοπος, καὶ ὁ πρεσβύτερος, καὶ ὁ διάκονος ἀληθινῶν κατὰ τὰ ὀνόματα ταῦτα πραγμάτων. Hisce adjungamus luculentissimum illud Tertulliani testimonium, hæc de baptismo dicentis, *Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem: quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest: nisi Episcopi jam, aut presbyteri, aut diaconi vocantur, dicentes, Domini sermo non debet abscondi ab ullo.* In his antiquissimi Patris verbis observare licet primo Episcopos, presbyteros, et diaconos distincte recensitos: deinde Episcopum istis diebus non simpliciter sacerdotem, sed summum sacerdotem appellatum fuisse: et denique hunc summum sacerdotem baptizandi jus penes se habuisse, presbyteros autem et diaconos baptizare quidem potuisse, non tamen sine Episcopi sive summi sacerdotis auctoritate, communiter scilicet, et ordinarie: nam gravi aliqua urgente necessitate, non tantum presbyteris, et diaconis, sed et laicis baptizare licuit. Nulla autem cogente necessitate, (quæ lege constringi nequit,) ut nullo modo laici, sic ne ipsi presbyteri nec diaconi sine Episcopi auctoritate jus baptizandi habebant: propter Ecclesiæ scilicet honorem, in eo quippe plurimum consistentem, ut omnia ex summi sacerdotis sententia atque auctoritate administrarentur. Quamcunque igitur

Orig. in Matt. [tom. xvi. cap. 22. Op. tom. iii. p. 752, A.] Id. in Matt. [tom. xiv. cap. 22. Op. tom. iii. p. 646, A.] et passim alibi.* Tertull. de Baptismo, cap. 17, [pp. 230, C, 231, A.]

[Vocantur discentes. Pr.]

igitur vocatur Ecclesiæ princeps [sc. Episcopus].—Orig. in Isaiam, Hom. vi. cap. 1. Op. tom. iii. p. 116, col. 2, A.]

* [E. g. 'Ο γούν τοιοῦτος ἐπίσκοπος οὐ καλοῦ ἔργου ἐπιθυμῶν; . . . τὸ δὲ αὐτὸ καὶ περὶ πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων ἐρεῖς.

—Orig. in Matth. tom. xi. cap. 15; Op. tom. iii. p. 501, C. D.

Οἱ δὲ τὰς πρωτοκαθιδρίας πισπιστευμένοι τοῦ λαοῦ ἐπίσκοποι, καὶ πρεσβύτεροι.—Orig. in Matth. tom. xvi. cap. 22; Op. tom. iii. p. 753, B.]

in ipsis etiam sacramentis administrandis vel presbyteri vel diaconi habebant auctoritatem, eam totam Episcopo quisque suo acceptam referebant. Quod non modo Episcoporum a presbyteris distinctionem, sed summam eorum supra hosce eminentiam et auctoritatem perspicue demonstrat. Quod tamen manifestius adhuc, si fieri potest, elucescit ex Dionysii Alexandrini, qui paulo post Tertullianum vixit, Epistola ad Fabium Antiochenæ Ecclesiæ Præsulem, ubi hanc historiam narrat. Serapion, inquit, quidam senex Alexandriæ, in persecutione lapsus, cum jam moribundus esset, nepoti ex filia jussit, ut unum e presbyteris accerseret, qui veniam et communionem ipsi indulgeret. Puer ad presbyterum cucurrit, jam autem nox erat, et presbyter ægrotabat: ἐντολῆς δὲ, inquit Dionysius, ὑπ' ἐμοῦ δεδομένης, *mandato autem a me dato*, ut morituris si peterent, et maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent, exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens, ut aqua intinctam seni in os instillaret. Quod cum puer fecisset, senex animam continuo exhalabat. Ex hac historia patet, Dionysium Episcopum presbyteris suis in mandatis dedisse, ut veniam morituris indulgerent. Quod quidem nisi summam Episcoporum supra presbyteros potestatem evincat, me prorsus nescire fateor, quid quovis modo evinci possit.

Dionys. Alex.
apud Euseb.
Hist. Eccles.
lib. vi. cap.
44, [pp. 317,
318.]

IV. Secundo igitur exeunte tertioque ineunte seculo, quibus scilicet temporibus Canones Apostolorum nobis constituti editique videntur, Episcopos a presbyteris distinctos, iisque præpositos fuisse, ac proinde distinctionem istam atque auctoritatem Episcoporum supra presbyteros in dictis Canonibus toties commemoratam, nostram de Canonum horum antiquitate sententiam haudquaquam elevare, satis superque e præmissis constat. Nec nobis sane videre licet, ut legitima ex hoc argumento conclusio contra ipsam Turriani opinionem inferatur. Hoc enim argumentum in ea fundatur opinione, quæ Episcoporum et presbyterorum nomina in veris Apostolorum scriptis confusa esse et promiscue usitata statuit. Ista autem opinio non nisi post Aerii hæresin exorta est, quarto jam ad finem vergente seculo. Illi vero, qui tribus primis claruerunt seculis, ipsisque propterea Apostolis longe propinquiores fuerunt, Patres contrariam om-

nino sententiam amplexi sunt, scriptisque tradiderunt, Episcopus scilicet in ipsis Apostolorum scriptis a presbyteris distinctos esse, ut alius plane esset ecclesiastici ministerii ordo qui Episcoporum ac qui presbyterorum nomine ibi nuncupantur. Hoc ex eo patet, quod Patres ante laudati, Clemens Alexandrinus, Origenes, et Tertullianus, qui omnes, ut ostendimus, Episcopos et presbyteros accurate distinguunt, illosque hisce superiores asserunt, illa Apostolorum verba, quæ de Episcopis agunt, de solis Episcopis in sua nostraque notione, non de presbyteris, item quæ de presbyteris loquuntur, de solis presbyteris, non de Episcopis intelligunt. Clementem Alexandrinum tres προκοπὰς Episcoporum, presbyterorum, et diaconorum agnovisse, supra a nobis ostensum est. Idem vero alibi hisce tribus ordinibus ecclesiasticis sua cuique præcepta in Sacris Scripturis data affirmat, Μυρίαί δὲ, inquit, ὅσαι ὑποθῆκαι, εἰς πρόσωπα ἐκλεκτὰ διατείνουσαι, ἐγγεγράφαται ταῖς βίβλοις ταῖς ἁγίαις, αἱ μὲν πρεσβυτέρους, αἱ δὲ ἐπισκόπους, αἱ δὲ διακόνους· ἄλλαι χήραις. *Plurima autem alia præcepta, quæ ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt: hæc quidem presbyteris, alia vero Episcopis, alia diaconis. Alia autem viduis.* Nemo non videt Clementem hoc in loco, ea, quæ de Episcopis ab Apostolo præcipiuntur, solis Episcopis, non item presbyteris adscribentem, ut et ea, quæ presbyteris, presbyteris solis, non item Episcopis. Quos propterea a se invicem ab Apostolo non minus distinctos innuit, quam diaconos a viduis. Ad eundem modum Origenes, qui verbis supra citatis Episcopum supra presbyteros æque ac supra diaconos laicosque principatum habere affirmavit, idem in commentariis ad S. Matthæum probat secundas nuptias a nemine, qui dignitatem aliquam in Ecclesia consecutus est, ineundas esse: idque hoc modo, Περὶ μὲν γὰρ, inquit, ἐπισκόπων νομοθετῶν ἐν τῇ πρὸς Τιμόθεον προτέρῃ, φησὶν, Εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ· δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. *Nam in priori ad Timotheum Epistola leges de Episcopis ferens Apostolus, Si quis, inquit, Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Deinde ad inferiores ordines descendens Origenes, addit,² *Tum de diaconis, ‘Dia-*

Clem. Alex. Pædag. lib. iii. cap. 12, 264, [Paris, 309, Potter.]

[Orig. in Matt. tom. xiv. cap. 22. Op. tom. iii. p. 645, B, C.]

[Ibid. C, D.]

² [Περὶ δὲ διακόνων, Διάκονοι, φησὶν, καλῶς προϊστάμενοι, καὶ τῶν ἰδίων οἰκῶν, ἴστωσαν μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες, τίκνων καὶ τὰ λοιπὰ· καὶ χήρας δὲ καθιστᾶς,

coni,' inquit Apostolus, 'sint unius uxoris viri.' *Viduas autem constituens, 'Vidua,' inquit, 'non minor sit, quam sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.'* At in *Epistola ad Titum, 'Hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi: si quis sine crimine est, unius uxoris vir.'* Quare autem hunc ultimum ex *Epistola ad Titum* citaret locum, nisi credidisset presbyteros in Apostoli notitia ab Episcopis distinctos esse, ac proinde in *Epistola ad Timotheum*, ubi Episcopi soli nominantur, non comprehensos? Qui hæc sane Origenis verba attente legit, dubitare nequit, quin ille persuasissimum habuerit, Episcopos, et presbyteros a se invicem, et re, et nomine, ab Apostolo distinctos esse, eundemque sigillatim præcepisse, ne istiusmodi Episcopi, presbyteri, diaconi, et viduæ secundas nuptias contraherent, quales Origenes sua ætate in Ecclesia constitutos esse testatur. Idem et Tertulliano visum est, qui de Monogamia agens hæc habet, *Ut igitur in Domino nubas secundum Legem et Apostolum, (si tamen vel hoc curas) qualis es id matrimonium postulans, quod iis, a quibus postulas, non licet habere; ab Episcopo Monogamo, a presbyteris et diaconis ejusdem sacramenti, (Monogamis scilicet) a viduis, quarum sectam in te recusasti?* Ubi Tertullianus ad eadem procul omni dubio Apostoli verba respexit, quæ ab Origene ante citata sunt, quibus nempe Episcopis, presbyteris, diaconis, et viduis secundis nuptiis interdicitur. Et ille igitur, pariter atque Clemens Alexandrinus ac Origenes, præcepta Episcopis et presbyteris, distincte et seorsim a D. Paulo, illis in *Epistola ad Timotheum*, his in ea ad Titum, data fuisse arbitratus est, ac propterea nomina ista non promiscue ab Apostolo usitata esse, sed proprie, eo nimirum sensu, quo ipsius (Tertulliani) ætate usurpata sunt, qua nomen Episcopi soli summo sacerdoti, sine cujus auctoritate nec presbyteris nec diaconis baptizare licuit, proprium et peculiare fuit, illud autem presbyteri simplicibus sacerdotibus, qui sine Episcopi auctoritate nec baptizandi jus habebant. Unde simul conficitur

Tertull. de
Monog. cap.
11, [p. 531,
C.]

Χήρα, φησίν, ἴσσω μὴ ἕλαστον ἰσῶν
ἰξήκοντα, γιγονυῖα ἰνὸς ἀνδρὸς γυνή . . .
ἰν δὲ τῇ πρὸς Τίτον, Τοῦτο, φησὶ, χάριν
ἀπίλιπόν σε ἰν Κρήτῃ, ἵνα τὰ λίσποντα
ἰπιδιορθώσῃ, καὶ καταστήσῃς κατὰ πάλιν

πρεσβυτέρους, ὡς ἰγὼ σοὶ διαταξάμην· εἴ
τίς ἴσται ἀνίγκλητος, μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ.
—Orig. in Matth. tom. xiv. cap. 22.
Op. tom. iii. p. 645, C, D.]

hos tres antiquissimos Ecclesiæ Patres, qui proximo post Apostolos seculo vixerunt, pro certo habuisse, tres istos distinctos in Ecclesia ordines, Episcoporum, presbyterorum, et diaconorum, ab ipsis Apostolis institutos fuisse. Alioquin enim propria illis singulis præcepta ab Apostolo assignata fuisse, opinari nunquam potuissent.

V. Hanc porro Tertulliani fuisse sententiam ex alio illius loco apparet; ubi scilicet hoc contra hæreticos argumento utitur. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum Ecclesia (habens) Polycarpum ab Joanne collocatum refert. Sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit [itidem. Pr.] Proinde [perinde. Pr.] utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant.* Quin Tertullianus hoc in loco, alibique, ubi similia de ordine Episcoporum tradit, ut adv. Marcionem,³ quin ille, inquam, nomen Episcopi sua notione usurpet, qua scilicet Episcopus idem est atque summus sacerdos auctoritatem supra presbyteros habens, nemini dubium esse potest. Tales autem Episcopos ab ipsis Apostolis constitutos hoc loco refert, Clementem a Petro Romæ, Polycarpum a Joanne Smyrnæ, alios ab aliis alibi. Idem attestatus est ante eum Irenæus, dicens, *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in [omni] Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint videre, et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos. Episcopi igitur in Ecclesiis ab ipsis Apostolis instituti sunt. Quales autem? Tales nimirum, quos ipse in Ecclesia Ro-*

Tertull. de
Præscr. adv.
Hær. cap.
xxxii. [p.
213, B, C.]

[Lib. iv. cap.
5, p. 415, D.]

Iren. [cont.
Hær.] lib. iii.
cap. 3, [sect.
1, p. 175, 1.]

³ [“ In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis, pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauserint; ad quam regulam Galatæ sint correcti; quid legant Philippenses, Thesalonicensis, Ephesii; quid etiam Ro-

mani de proximo sonent, quibus evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus et Joannis alumnas ecclesias. Nam etsi Apocalypsim ejus Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recens in Joannem stabit auctorem. Sic et cæterarum generositas recognoscatur.”—Tert. adv. Marcion. lib. iv. cap. 5, p. 415, D.]

mana constitutos enumerat, ibidem tradens, quod beati Apostoli, cum Ecclesiam fundassent atque instruxissent, episcopatum Ecclesiae administrandae Lino primo tradiderunt, cui successit Anacletus, et *post eum*, inquit, *tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens*. Huic successit Evaristus, Evaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Hyginus, deinde Pius, post quem Anicetus. *Cum autem successisset*, inquit, *Aniceto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius*.⁴ Et sic singulos Ecclesiae Romanae Episcopos ab ipsis Apostolis ad sua usque tempora deducit. Quid autem? nulline interea temporis presbyteri ab Episcopis hisce distincti Romae erant? Hyginus, exempli gratia, vel Eleutherius solus Ecclesiam gubernare, tantamque Christianorum, qui frequentissimi istis diebus ad fidem Romae conversi sunt, multitudinem instruere, iisque sacramenta administrare poterat? Quis hoc sibi vel insulsissimo persuaderi patiatur? praesertim cum Cornelius, qui episcopatum Romanum sexaginta circiter post Eleutherium annis sortitus est, haud pauciores quam quatuor et quadraginta presbyteros in ista Ecclesia fuisse testatus sit. Quis tantum presbyterorum numerum Cornelio subjectos arbitrari potest, et nullos Clementi, nullos Hygino, nullos ipsi Eleutherio, qui vix, vel ne vix quidem, prius denatus est, quam Cornelius natus? Quinetiam sub Eleutherio consessum fuisse presbyterorum pro certissimo habemus. Illo enim sedem istam occupante, Florinus haereticus presbyterio istius Ecclesiae dejectus est. Sic Eusebius, *Οἱ δ' ἐπὶ 'Ρώμης ἠκμαζον, ὧν ἠγεῖτο Φλωρίδος, πρεσβυτερίου τῆς ἐκκλησίας ἀποπεσών*. Sicut autem sub Eleutherio Irenaei coetaneo, sic etiam sub anterioribus istius Ecclesiae Episcopis, usque ad Clementem ab Apostolis ordinatum, pres-

[Iren. cont. Hæres. lib. iii. cap. 3, sect. 3, p. 176.]

Apud Euseb. Hist. Eccles. lib. vi. cap. 43, [p. 312.]

Ib. lib. v. cap. 15, [p. 227.]

⁴ [“Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt. . . . Succedit autem ei Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens. . . . Huic autem Clementi succedit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis consti-

tutus est Sixtus, et ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrium fecit; ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Quum autem,” etc.—Iren. cont. Hæreses, lib. iii. cap. 3, sect. 3, p. 176, 1, 2. Vide Græca Irenaei verba apud Euseb. Hist. Eccles. lib. v. cap. 6, p. 217.]

byteri proculdubio ordinati sunt, qui in Sacramentis aliisque Ecclesiæ negotiis administrandis, Episcopo quisque suo, adstiterunt. Quorum tamen rarior in historiis occurrit mentio, idcirco nimirum quod auctoritas omnis et præfectura penes solos Episcopos fuit, adeo ut presbyteris nihil, quod magni esset momenti, citra eorum sententiam aggredi liceret, juxta Can. Apost. XXXIX.⁵ Cujus rei illustre habemus documentum in Epistola illa, quam presbyteri et diaconi Romæ consistentes post mortem Fabiani, Cornelio successore ejus nondum ordinato, ac propterea sede vacante, ad D. Cyprianum scripserunt, ubi inter alia hæc dicunt, *Quantum nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus, post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum et temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, et eorum, qui lapsi sunt, possit cum auctoritate et consilio habere rationem.* Unde clarissime constat presbyteros et diaconos, qui plurimi tunc temporis Romæ erant, nullam in Ecclesia administranda auctoritatem vel habuisse, vel sibi arrogasse. Etiam si enim ipsa rei necessitas flagitare videretur, ut lapsorum causa quam ocissime determinaretur, illi tamen nihil in ea attentare ausi sunt, sed eam necessario differendam esse fatentur, usque dum Episcopus ipsis constitutus esset, qui causam istam et reliqua omnia Ecclesiæ negotia cum auctoritate et consilio moderari potuit.

Apud Cypr.
Ep. xxxi.
[Pamel. xxx.
Fell. p. 58.]

VI. Post verba de Episcopis Romanis supra allata, Irenæus similia de Polycarpo Ecclesiæ Smyrnenensis Episcopo subjungit: *Et Polycarpus autem, inquit, non solum ab Apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex iis qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia, constitutus Episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate.* Ut Polycarpus itaque Apostolos, sic Irenæus Polycarpum vidit, eumque ab ipsis Apostolis constitutum fuisse Ecclesiæ Smyrnenensis Episcopum affirmat. Eundem autem presbyteros sibi subjectos habuisse, ex Epistola ipsius (cujus ibidem meminit Irenæus)

Iren. [cont.
Hær.] lib. iii.
cap. 3, [sect.
4, p. 176, col.
2. Vide
quoque
Euseb. Hist.
Eccles. lib.
iv. cap. 14,
p. 161.]

⁵ [Οἱ πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι, ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου, μηδὲν ἐπιτελεῖσθαι αὐτοῖς γὰρ ἴσθιν ὁ πιστευμένος τὸν λαὸν τοῦ Κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν

ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτησόμενος.—
Can. Ap. xxxix. Pan. Can. tom. i.
p. 27, C.]

[Cotel. Pat.
Ap. tom. ii.
p. 184.]

ad Philippenses missa palam est : quippe quæ hanc inscriptionem præfert, Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι τῆ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ τῆ παροικίᾳ Φιλίπποις. *Polycarpus et qui cum eo sunt presbyteri, Ecclesiæ Dei quæ est Philippis.* Ex qua inscriptione patet Polycarpum ab ipsis Apostolis, teste Irenæo, constitutum Episcopum presbyteros secum in Ecclesia Smyrnensi habuisse, a quibus etiam sese aperte satis distinguit, suamque supra eos eminentiam declarat, eo quod suum solius nomen Epistolæ inscribat, reliquos autem sub communi duntaxat presbyterorum nomine commemoret. Hinc Irenæus, in hæreticis refellendis, non ad presbyterorum istius Ecclesiæ, sed ad Polycarpi solius successores appellat.

Iren. [cont.
Hær.] lib. iii.
cap. 3, [sect.
4, p. 176.]

Et testimonium his, inquit, perhibent, quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes, et qui usque adhuc successerunt Polycarpo.

Quid hoc, si alii in eadem Ecclesia Polycarpi æquales presbyteri exstitissent? Idem dicendum est de aliis omnibus, majoribus præsertim Ecclesiis, Romana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, in quibus successores Episcoporum ab ipsis Apostolis usque ad quartum seculum memoriæ traditos habemus. Primos Ecclesiæ Romanæ

Euseb. Hist.
Eccles. [lib.
ii. 24; iii. 21;
iv. 1, 4, 5.]

Episcopos ex Irenæo ante didicimus. In Alexandrina, Aniano a Marco Evangelista ordinato Avilius successisse perhibetur, cujus successor fuit Cerdo, hujus Primus, Primi

[Ibid. ii. 22;
iii. 36; iv.
20.]

Justus, Justi Eumenes, et sic deinceps. In Antiochena, a Petro Apostolo constitutus est Evodius, cui successit Ignatius, huic Heros, deinde Cornelius, etc. In Hierosolymitana, Jacobo Apostolo successit Simeon, Simeoni Justus,

[Ibid. iv. 5.]

Justo Zacchæus, Zacchæo Tobias, post eum Benjamin; et sic in singulis Ecclesiis singuli Episcopi successive instituti dicuntur, nulla aliorum presbyterorum facta mentione.

Omnem autem excedit fidem, nemoque sibi persuadere potest, nullos in magnis istis Ecclesiis fuisse presbyteros, præter Episcopos illos, qui per tria propemodum priora secula soli celebrantur. Neque alia reddi potest ratio, cur unicus unamquamque Ecclesiam uno eodemque tempore administrasse dicatur, nisi quod totius Ecclesiæ cura unico illi incubuerit. Presbyteri autem, qui plurimi haud dubie in singulis istis Ecclesiis ordinati sunt, nusquam fere memorantur, propterea nimirum quod illi Episcopo suo subessent, nec quicquam sine ejus auctoritate agere potuissent.

VII. Adhæc Hegesippus, Irenæi æqualis saltem, si non superior, ejusdem, cujus ille, in Ecclesia Romana successionis Episcoporum meminit, et Corinthiacam præterea Ecclesiam in recta fide permansisse refert, usque ad Primum ejusdem loci Episcopum, *Καὶ ἐπέμνευεν, ἡ ἐκκλησία ἡ Κορινθίων ἐν τῷ ὁρθῷ λόγῳ, μέχρι Πρίμου ἐπισκοπεύοντος ἐν Κορίνθῳ.* Et iisdem diebus Dionysius, istius, Corinthiacæ scilicet, Ecclesiæ Episcopus, catholicas Epistolas ad diversas Ecclesias scripsit, quarum una ad Athenienses missa Dionysium Areopagitam primum Atheniensis Ecclesiæ Episcopum fuisse testatur. Publium etiam et post eum Quadratum ejusdem loci Episcopos celebrat. In cæteris insuper Epistolis, Dionysius Ecclesiæ ad quam scribit Episcopum nominatim appellat; ut, Gortynensium Philippum, Amastrianorum Palmam, Romanorum Soterem. In Epistola vero ad Gnossios, Pinytum Ecclesiæ illius Episcopum monet, ne grave onus castitatis fratrum cervicibus tanquam necessarium imponat, sed ejus, quæ in plerisque hominibus inest, infirmitatis rationem habeat. Ita Eusebius, qui ipsas Epistolas vidit, partimque in historiam suam transcripsit, *Ταύταις ἄλλη ἐγκατείλεται πρὸς Κνωσσίους, ἐν ἧ Πινυτὸν τῆς παροικίας ἐπίσκοπον παρακαλεῖ μὴ βαρὺ φορτίον ἐπάναγκες τὸ περὶ ἀγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθεῖναι, τῆς δὲ τῶν πολλῶν καταστοχάζεσθαι ἀσθενείας.* Unde simul constat, quantam in istam Ecclesiam auctoritatem Episcopus ejusdem Pinytus tunc temporis exerceret. Enimvero ipse leges de castitate tulit, easque ipsis clericis, qui *ἀδελφοὶ* hic vocantur, sibi subjectis religiose observandas imposuit. Quam quidem potestatem in eo sitam fuisse non negat Dionysius, sed fatetur potius, eo quod eum moneat ne severe nimis in ista re procederet, sed aliquam humanæ infirmitatis rationem haberet. Quinetiam exinde, quod in hac et in aliis, ad quas scribit, Ecclesiis Dionysius solum cujusque Episcopum nominatim prosequatur, clarissime videre est, istis diebus, hoc est LX. plus minus post Apostolorum tempora annis, unum in unaquaque Ecclesia præsidem fuisse, non presbyteri sed Episcopi nomine indigitatum, qui summam Ecclesiæ quisque suæ curam suscepit, ipsis presbyteris non minus quam diaconis laicisque præpositus est. Adeo ut, si quid erroris in Ecclesiæ administratione admissum esset, Episcopo soli adscriberetur.

Apud Euseb.
Hist. Eccles.
lib. iv. cap.
22, [p. 182.]

[Ib. cap. 23,
pp. 184-187.]

Ibid. [p. 186.]

Unde cum Ecclesia Romana eo severitatis pariter atque temeritatis processerat, ut omnes Asiæ Ecclesias, ob vulgo notam in Paschatis observatione diversitatem, proscribere, atque ab unitate Ecclesiæ alienos pronunciare conaretur, Irenæus hoc Victori soli, Episcopo illius Ecclesiæ, vitio vertit, eumque a proposito abstinere monet, in Epistola ad ipsum scripta.

Apud Euseb.
[Hist. Eccl.]
lib. v. cap.
24, [pp. 245-
249.]

VIII. Dignissimum præterea est, quod in hac causa observetur, ex Ecclesiæ primitivæ monumentis adhuc constare, nonnullos ex iis, qui presbyteri prius fuere, Episcopos postea factos esse. Heraclam enim, qui Episcopus postea illius Ecclesiæ, ut cuique notum est, factus fuit, presbyterum prius Ecclesiæ Alexandrinæ fuisse ipse Origenes testatur, dicens,

Ibid. lib. vi.
cap. 19, [p.
282.]
Hist. Franc.
lib. i. cap.
27.

Και τὸν νῦν ἐν τῷ πρεσβυτερίῳ καθεζόμενον Ἀλεξανδρέων Ἡρακλᾶν.⁶ Pothino, quem, teste Gregorio Turonensi,⁶ Polycarpus illuc miserat, Ecclesiam Lugdunensem per episcopalem suam auctoritatem administrante, Irenæus ejusdem Ecclesiæ presbyter erat, ut e duabus Martyrum Lugdunensium et Viennensium Epistolis, una ad Asiæ Phrygiæque Ecclesias, altera ad Eleutherium Episcopum Romanum, scriptis patet. In illa enim Pothinum Ecclesiæ Lugdunensis Episcopum his verbis celebrant, Ὁ δὲ μακάριος Ποθεινὸς ὁ τὴν διακονίαν. τῆς

Apud Euseb.
[Hist. Eccl.]
lib. v. cap. 1,
[p. 204.]

ἐπισκοπῆς ἐν Λουγδούνῳ πεπιστευμένος. In altera autem Irenæum fratrem et collegam suum Eleuthero his verbis commendant, Εἰ γὰρ ἤδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνην περιποιῆσθαι, ὡς πρεσβύτερον ἐκκλησίας, ὅπερ ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ, ἐν πρώτοις ἂν παρεθέμεθα. *Quod si nobis compertum esset, locum cuiquam conferre justitiam, eum*

Ibid. cap. 4,
[p. 214.]

⁶ [“ In Asia autem, orta persecutione, beatissimus Polycarpus, Joannis Apostoli et Evangelistæ discipulus, octogesimo ætatis suæ anno, velut holocaustum purissimum, per ignem Domino consecratur. Sed et in Galliis multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis coelestibus coronati: quorum passionum historiæ apud nos fideliter usque hodie retinentur.

“ Ex quibus et ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Pothinus Episcopus fuit, qui plenus dierum, diversis affectus suppliciis, pro Christi no-

mine passus est. Beatissimus vero Irenæus hujus successor martyr, qui a beato Polycarpo ad hanc urbem directus est, admirabili virtute enituit: qui in modici temporis spatio prædicatione sua maxime in integro civitatem reddidit Christianam,” etc.—Greg. Turon. Episc. Hist. Franc. lib. i. capp. 26, 27, col. 22. Paris. 1627.

In his ergo verbis non de Pothino sed de Irenæo a Polycarpo in Galliam misso Gregorius Turonensis loqui videtur.]

(Irenæum) *tanquam presbyterum Ecclesiæ, hunc enim locum obtinet, tibi imprimis commendassemus.* Unde Eusebius, qui utriusque Epistolæ fragmenta in Historiam suam transtulit, ibidem ait, *Οἱ δ' αὐτοὶ μάρτυρες καὶ τὸν Εἰρηναῖον πρεσβύτερον τότε ὄντα τῆς ἐν Λουγδούνῃ παροικίας τῷ δηλωθέντι κατὰ Ῥώμην ἐπισκόπῳ συνίστων.* Sed iidem martyres etiam Irenæum, qui tunc temporis presbyter Ecclesiæ Lugdunensis erat, supradicto Romæ Episcopo per literas commendarunt. Sic etiam D. Hieronymus, in Catalogo hæc habens, *Irenæus Pothini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, presbyter a martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherium Episcopum perfert literas.* Postea jam Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur. Vel ut Eusebius itidem scribit, *Ποθεινοῦ δὲ ἐφ' ὅλοις τῆς ζωῆς ἔτεσιν ἐνενήκοντα πὺν τοῖς ἐπὶ Γαλλίας μαρτυρήσασι τελειωθέντος, Εἰρηναῖος τῆς κατὰ Λούγδουνον, ἧς ὁ Ποθεινὸς ἠγεῖτο, παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν διαδέχεται.* Irenæus itaque primo presbyter, et deinde Episcopus fuit Ecclesiæ Lugdunensis. Sic etiam in Ecclesia Romana Dionysium prius presbyterum fuisse quam Episcopum, æqualis ejus Dionysius Alexandrinus fidem facit, quippe cujus Epistola de baptismo ad Dionysium scripta est, tunc quidem Romanæ urbis presbyterum, sed qui aliquanto post tempore ejusdem urbis Episcopus est constitutus, ut testatur Eusebius,⁷ necnon Hieronymus in Catalogo.⁸ Eleutherus autem, sive Eleutherius, primo diaconus fuit Aniceti Episcopi Romani, ut Hegesippus ejusdem ætatis scriptor tradidit.⁹ Eundem autem paulo post Episcopum fuisse ejusdem Ecclesiæ inter omnes constat. Presbyteros porro eidem subditos fuisse nos ante ostendimus, ex Eusebio. Unde conficitur, secundo labente seculo, LXX. annis ab Apostolis vix dum elapsis, tres distinctos ecclesiastici minis-

Euseb. Hist. Eccles. lib. v. [cap. 4, pp. 213, 214.]

[Hier. de Viris Illust. cap. xxxv. Op. tom. ii. col. 859.]

Euseb. [Hist. Eccl.] lib. v. cap. 5, [p. 216.]

Ibid. lib. vii. cap. 7, [p. 328.]

Ibid. lib. iv. cap. 22, [p. 182.]

Lib. v. cap. 15, [p. 227. ut supra, sect. 5, p. 162.]

⁷ [Ἡ τιτάρση αὐτοῦ τῶν περὶ βαπτίσματος ἐπιστολῶν πρὸς τὸν κατὰ Ῥώμην ἰγράφη Διονύσιον τότε μὲν πρεσβυτέρου ἠξιουμένου· οὐκ εἰς μακρὸν δὲ καὶ τὴν ἐπισκοπὴν τῶν ἐκείσε παρεληφότα.—Euseb. Hist. Eccles. lib. vii. cap. 7, p. 328.]

⁸ [“Et ad Philemonem et ad Dionysium Romanæ Ecclesiæ presby-

teros, duas Epistolas (scripsit) et ad eundem Dionysium postea Romæ Episcopum.”—Hier. de Viris Illust. cap. lxxix. Op. tom. ii. col. 895.]

⁹ [Ὁ δὲ διάκονος ἦν Ἐλευθέριος· καὶ παρὰ Ἀνικητοῦ διαδέχεται Σωτῆρ, μετ’ ὃν Ἐλευθέριος.—Euseb. Hist. Eccles. lib. iv. cap. 22, p. 182.]

terii ordines, Episcopum scilicet, presbyteros et diaconos in Ecclesia Romana constitutos fuisse.

IX. Si altius adhuc ascendamus, eosque, qui cum ipsis Apostolis versati sunt, consulamus Patres, illi etiam nos certiores facient Episcopos a presbyteris, suis, hoc est Apostolicis, diebus distinctos fuisse. Ignatium dico, et Clementem Romanum. De Polycarpo enim ante locuti sumus. Ignatius autem Episcopos et presbyteros, non minus quam presbyteros et diaconos in unaquaque fere Epistola distinguit.

[Cap. ii. Cot. Pat. Ap. tom. ii. pp. 17, 18.]

Exempli gratia. In Epistola ad Magnesianos, Damam eorum Episcopum, Bassam, et Apollonium presbyteros et Sotionem denique diaconum laudibus prosequitur. Et paulo post

[Cap. vi. ib. p. 18.]

dicit, Προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων, τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ. In Epistola

[Cap. vii. ib. p. 32.]

ad Philadelphenos, τῷ ἐπισκόπῳ, inquit, προσέχετε, καὶ τῷ πρεσβυτέρῳ, καὶ τοῖς διακόνοις. Et sic passim alibi: ut non opus sit nos plura ex eo testimonia accumulamus, neque etiam probemus has Epistolas a sanctissimo illo Patre ac Martyre conscriptas fuisse. Hoc enim undequaque doctissimus Joannes Pearsonius, Episcopus Cestrensis tanta fide, tanta eruditione ac perspicuitate præstitit, ut nihil in omni antiquitate ecclesiastica clarius certiusve demonstrari possit. Iisdem porro diebus Clemens, Ecclesiæ Romanæ Episcopus ab ipsis Apostolis constitutus, Epistolam ad Corinthios scripsit, qua frequentem presbyterorum mentionem facit, quibus tamen Præfectos Ecclesiæ anteponit, ut in initio fere Epistolæ.

[Ep. i. ad Cor. cap. i. Cot. Pat. Ap. tom. i. p. 145.]

ὑποτασσόμενοι τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ τιμὴν τὴν καθήκουσαν ἀπονέμοντες τοῖς παρ' ὑμῶν πρεσβυτέροις. Præpositis vestris subditi, et presbyteros inter vos debito honore prosequentes.

[Cap. xxi. p. 159.]

Et postea, Προηγούμενους ἡμῶν αἰδεσθῶμεν, τοὺς πρεσβυτέρους ἡμῶν τιμήσωμεν. Præpositos nostros veneremur, presbyteros inter nos vereamur. Ubi Præpositi a presbyteris aperte distinguuntur, iisdemque utrobique præponuntur, ab Ecclesia scilicet Romana, cujus nomine hæc Epistola scripta fuit. Alibi autem idem tres distinctos sacrorum ministrorum ordines in Ecclesia Christiana, æque ac Judaica, constitutos innuit. Ad Christianam enim Ecclesiam scribens, hæc habet, Τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἰδία λειτουργία δεδομένη εἰσὶ, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται καὶ Λευῖταις ἰδία διακονία

[Ib. capp. xl. xli. p. 169.]

ἐπίκεινται ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται. Ἐκαστος ὑμῶν, ἀδελφοί, ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι εὐχαριστεῖτω Θεῷ, ἐν ἀγαθῇ συνειδήσει ὑπάρχων, μὴ παρεκβαίνων τὸν ὠρισμένον τῆς λειτουργίας αὐτοῦ κανόνα. *Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt. Sacerdotibus locus proprius assignatus est: et Levitis sua ministeria incumbunt. Laicus præceptis laicis constringitur. Unusquisque vestrum, fratres, in suo ordine manens, Deo in bona conscientia gratias agat, et cum decore intra præscriptum ministerii sui Canonem se contineat.* Qui ultima hæc verba legit, dubitare nequit, quin priora de distinctis ministrorum ordinibus, ut in Ecclesia Christiana æque ac Judaica constitutis, intelligenda sint. Cum tres enim istos pontificis, sacerdotum, et Levitarum ordines recensisset, illosque singulos pariter atque laicos propria sibi munera injuncta habere ostendisset, addit statim, *Unusquisque vestrum, fratres, in suo ordine manens.* Hinc enim liquet præcedentia etiam verba ad eos, quibus data est hæc Epistola, ad Corinthios videlicet Christianos pertinere, apud quos unus esset ἀρχιερεὺς, pontifex, sive Episcopus, alii ἱερεῖς, sacerdotes, sive presbyteri, alii Δεῦται, diaconi, ut quibus ἰδίας διακονίας incumbunt, alii denique laici. Quos propterea singulos intra limites sibi præscriptos se continere adhortatur: idque exemplo Judæorum, qui nihil sine hujusmodi ministris offerre, nedum eos perturbare ausi sunt. Nec mirum cuiquam videatur, quod sacri Christianæ Ecclesiæ ministri hisce nominibus a Clemente indigitati sint: idem enim et apud alios observare licet. Ipse Tertullianus Episcopum summum sacerdotem appellat. Presbyteros ab ipsis Ecclesiæ primordiis sacerdotes nuncupatos fuisse, capite præcedenti a nobis ostensum est. Diaconos autem Levitas dictos in Conciliis passim invenies. Quinetiam tres hosce sacros Ecclesiæ Christianæ ordines e Judaicis ab ipso Deo institutis sumptos fuisse, iisque respondere, D. Hieronymus, Pater summæ apud episcopalis dignitatis adversarios auctoritatis, conceptis verbis testatus est, idque in illa ipsa Epistola ad Evagrium, quam isti nobis toties objiciunt. Dicta enim Epistola his verbis terminatur, *Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento, quod Aaron, et filii ejus, et Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, et presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia.* Quæ verba non

De Baptismo, cap. xvii. [p. 230, C. Vide supra, sect. 3, p. 157.]

[Ut in Canone iii. Conc. Carth. Pan. Can. tom. i. p. 516, A.]

Hieron. [Ep. cxlvi. ad Evangelium (al. lxxxv. ad Evagrium,) sect. i. Op. tom. i. p. 1077, D, E.]

modo funditus evertunt, quæcunque contra Episcoporum a presbyteris distinctionem ex ista Epistola peti solent argumenta, verumetiam demonstrant sanctissimum illum Patrem ea ductum fuisse sententia, quæ docet Apostolos divinitus inspiratos idem in Ecclesia Christiana regimen instituisse, quod in Templo Judaico ab Ipso Deo prius institutum fuerat; haudque minorem esse distinctionem inter Episcopos, presbyteros, et diaconos, quam inter Aaronem sive pontificem, sacerdotes, et Levitas. Adeo ut Episcopus superior sit presbyteris, et presbyteri diaconis, non minus quam summus sacerdos superior fuit sacerdotibus, et sacerdotes Levitis. Quapropter Ecclesia Christiana Judaicæ succedente, et Episcopis, presbyteris, et diaconis in locum pontificum, sacerdotum, et Levitarum substitutis, nemini mirum esse potest, quod Judaica ista nomina apud Clementem, Tertullianum, aliosque Ecclesiæ primitivæ scriptores ad eosdem in Ecclesia ordines designandos aliquandiu usurpata fuerint.

X. Sed, ne quid dissimulare videar, non tacendum est, Clementem alibi duos solos ecclesiasticos ab Apostolis institutos ordines commemorare, Episcopos nimirum et diaconos.

[Ep. i. ad
Cor. cap. xlii.
Cot. Pat. Ap.
tom. i. p.
170.]

Paulo enim post verba supra allata, hæc dicit, Παραγγελίας οὖν λαβόντες, και πληροφρηθέντες διὰ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, και πιστωθέντες τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ, ἐξῆλθον εὐαγγελιζόμενοι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ μέλλειν ἔρχεσθαι κατὰ χώρας οὖν και πόλεις κηρύσσοντες, καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ Πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους και διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. *Mandata quippe accipientes Apostoli, et per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi plena certitudine imbuti, Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt, annunciantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum Dei prædicantes, primitias eorum Spiritu probantes, Episcopos et diaconos illorum, qui credituri erant, constituebant.* Hæc sunt verba illa, quibus novi Ariani tantopere gloriati sunt: ac si clarissime ex iis conficeretur, unum solum supra diaconatum ab Apostolis unquam constitutum fuisse ordinem, Episcoporum scilicet, hoc est, ut illi volunt, presbyterorum. Eo nimirum, quod Clemens hoc in loco alios non nominet, præterquam Episcopos et diaconos.

Verumenimvero, præterquam quod hæc Clementis verba de Episcopis et diaconis generaliter sumptis intelligi possunt, quatenus pastores sunt, et ministri Ecclesiæ, a laicis distincti, eosque instruere, regere, et sacramenta iis administrare constituti; si demus eum presbyteros etiam hoc in loco ab Apostolis constitutos velle, hi quidem sub diaconorum potius quam sub Episcoporum nomine latere dicantur. Vox enim *διάκονος* in Ecclesiæ infantia latissime sumpta fuit, non modo pro iis, quos Apostoli ad mensarum ministerium instituerunt. Sed enim ipsi Apostoli *διάκονοι* passim vocantur, et *διάκονοι καινῆς διαθήκης*. Alias *διάκονοι Θεου*, et *Χριστοῦ* *διάκονοι τῆς δικαιοσύνης*, *τῆς ἐκκλησίας*, *τοῦ εὐαγγελίου*, etc. Imo quidem mensarum ministri idcirco instituti sunt, ut ipsi Apostoli *τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου* instantes essent. Tychicus etiam vocatur *διάκονος*, necnon Timotheus. De Archippo insuper dicit D. Paulus, *Καὶ εἶπατε Ἀρχίππῳ, βλέπε τὴν διακονίαν ἣν παρέλαβες ἐν Κυρίῳ*, unde hi diaconum, alii presbyterum, alii denique Episcopum fuisse Archippum opinati sunt. Et quidem D. Chrysostomus presbyteros antiquitus et Episcopos et diaconos nuncupatos fuisse observat. *Καὶ οἱ πρεσβύτεροι*, inquit, *τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι, καὶ διάκονοι τοῦ Χριστοῦ*. Quapropter supradicta Clementis verba, non sine ratione, et ipsorum Apostolorum Patrumque consensu, ita intelligantur, ut Apostoli et Episcopos proprie sic dictos, et alios quoscunque Ecclesiæ primitivæ ministros, tam presbyteros scilicet, quam diaconos proprie sic dictos, instituisse iis perhibeantur. Quamvis enim per *διακόνους* isto in loco soli forsitan presbyteri non significantur, presbyteros tamen æque ac mensarum ministros sub ista voce comprehendendi posse, nemo ut opinor, negabit. Sed observandum præterea est Clementem in loco supradicto, non de statu Ecclesiæ ut sua ætate, cum ipse Romæ Episcopus erat, constitutæ, loqui, sed ut sese habebat proxime post Christi resurrectionem, per quam, ut ait, Apostoli plena certitudine imbuti, et evangelium prædicarunt, et Episcopos, diaconosque eorum qui credituri erant, constituerunt. Clemens vero quadraginta minimum post Christi resurrectionem annis hanc ad Corinthios Epistolam misit. Intra quod tempus Apostoli Ecclesiam a Christo fundatam et magnis

Act. vi.

1 Cor. iii. 5.

2 Cor. iii. 6.

[2 Cor. vi. 4;

xi. 23, 15;

Eph. iii. 7.]

Act. vi. 4.

Col. iv. 7.

1 Thess. iii.

2.

Col. iv. 17.

Chrysost. in

Epist. ad

Philip. cap. i.

1. [Op. tom.

iv. p. 6.]

fidelium incrementis indies augescentem, ad perfectiorem regiminis perpetuo duraturi formam haud dubie perduxerant, quam cujus immediate post Domini resurrectionem capax erat. Οὐ γὰρ πάντα εὐθὺς ἠδυνήθησαν οἱ Ἀπόστολοι καταστήσαι, *Neque enim omnia statim ordinare poterant Apostoli*, ut recte in hac causa observat Epiphanius. Καὶ γὰρ ἕκαστον πράγμα οὐκ ἀπαρχῆς τὰ πάντα ἔσχεν, ἀλλὰ προβαίνοντος τοῦ χρόνου, τὰ πρὸς τελείωσιν τῶν χρεῶν κατατηγίζετο, *Neque enim ulla res est, quæ ab initio omnibus suis numeris absoluta fuerit, sed procedente demum tempore sua opportunitatibus omnibus ad perfectionem accessio contigit.* Cujus rei egregium petit exemplum ex lege Mosaica, quæ ex parvis initiis non nisi gradatim omnibus suis numeris partibusque expleta fuit. Idem sane dicendum est de Ecclesia Christiana, quæ paucissimis primo constans membris, ad eam, quæ postea absolute necessaria fuit, politiæ formam redigi non potuit, neque vero necesse habuit. Episcopus enim cum diaconis suis omnia cujusvis Ecclesiæ negotia adhuc administrare poterat: nec opus erat presbyteris, qui partem illius curæ in se susciperent, priusquam multitudo fidelium in aliqua urbe major esset, quam ut instructiones et sacramenta ab Episcopo solo accipere possent. Tunc, fateor, necessitas postulabat, ut alii constituerentur presbyteri, qui aliquam eorum curam sub Episcopo sustinerent. Hoc autem non nisi aliquot post annos necesse evasit; præsertim cum ipsi etiam Apostoli adhuc superstites essent, summamque supra universam, et singulares quaslibet Ecclesias, auctoritatem gererent. Proinde non mirum est, quod Clemens, quem, ut cum Apostolis conversatum, latere non potuit, quid illi in ecclesiastica disciplina instituenda et formanda egerant, Episcopos solos et diaconos ab iis primo constitutos memorarit. Et ipse enim D. Paulus eorundem duntaxat sub Apostolis ordinum mentionem inducit. Minime tamen exinde sequitur duos solummodo ordines in Ecclesia tunc temporis exstitisse. Ipsi enim Apostoli unius, et quidem supremi, erant ordinis, quibus Episcopi non minus subjecti erant, quam diaconi Episcopis, nisi forsitan eodem, quo Apostoli, Spiritu instructi essent, qualis fuit Jacobus frater Domini, quem non tantum Clemens Alexandrinus in sexto Insti-

Hær. lxxv.
 [Aerian.]
 num. 5. [Op.
 tom. i. p. 908,
 C.]
 Ibid. [p. 908,
 D.]

Philpp. i. 1;
 1 Tim. iii.

tutionum libro,¹ sed et Hegesippus Apostolis pene coæta-
 neus² Hierosolymorum Episcopum ab Apostolis consti-
 tutum fuisse testatur. Hic itaque licet inter Apostolos non
 recenseatur, cum eodem tamen, quo illi, Divino Spiritu
 duceretur, nihil est quod iis inferior habeatur. Neque
 unquam illos mandata ei dedisse legimus. Alii autem
 Episcopi ab ipsis constituti Apostolicæ eorum auctoritati
 subditi erant. Asiæ enim Episcopis D. Paulus imperasse
 traditur, quid facto opus esset, necnon Timotheo Ephesi, et
 Tito Cretæ Episcopo in Epistolis ad illos missis. Unde
 suspicari licet, eos, etiamsi revera Episcopos ab ipsis Apo-
 stolis constitutos, episcopalem tamen potestatem in Ecclesiis
 suis nondum exercuisse, quamdiu aliquis Apostolorum
 ibidem versaretur. Simulac vero Apostoli Ecclesiam in
 aliqua urbe fundassent, priusquam eandem relinquerent,
 Episcopum aliquem, siveInspectorem, eidem haud dubie
 præficiabant, qui, fundatoris absentis vicem supplens, eccle-
 siastica munia obire, et si necessitas flagitaret, minores sub
 se presbyteros instituere poterat. Hujusmodi autem pres-
 byteros ab ipsis Apostolis ordinatos fuisse non liquet: sed
 contrarium potius verisimillimum videtur, quandoquidem
 iis vix ullibi adhuc opus esset, et Episcopi ab ipsis Aposto-
 lis constituti talium presbyterorum ordinandi amplam satis
 potestatem haberent, si quando major fidelium accessio id
 postularet.

Apud Euseb.
 lib. ii. cap. 1,
 [p. 44.]
 Ibid. cap. 23,
 p. 78.

Act. Apost.
 cap. xx.

XI. Nec quenquam movere debet, quod presbyterorum
 mentio in Apostolorum scriptis subinde fiat. Quanquam
 enim vox ista *πρεσβύτερος* aliter hodie usurpetur, pro iis
 scilicet, qui Episcopo in Ecclesiæ muneribus perfungendis
 adsistunt, Apostolorum tamen diebus ipsi Episcopi *πρεσ-
 βύτεροι* appellabantur, et ita jure appellari poterant, etiamsi
 alios sub se presbyteros habuissent. Licet enim omnes
 presbyteri non sint Episcopi, omnes tamen Episcopi sunt

¹ [Κλήμης δὲ ἐν ἑκτῷ τῶν ὑποτυπώ-
 σιων γράφων ὡς παρίστησι. . . Ἰάκωβον
 τὸν δίκαιον ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων ἰλίσ-
 θαι.—Euseb. Hist. Eccles. lib. ii. cap.
 1, p. 44.]

² [Ἀκριβίστατά γι μὴν τὰ κατ' αὐτὸν
 ὁ Ἡγήσιππος ἐπὶ τῆς πρώτης τῶν Ἀπο-

στόλων γινόμενος διαδοχῆς ἐν τῇ πέμπτῃ
 αὐτοῦ ὑπομνήματι τοῦτον λίγων ἰστορεῖ
 τὸν τρόπον διαδίχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν
 μετὰ τῶν Ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ Κυρίου
 Ἰάκωβος.—Euseb. Hist. Eccles. lib. ii.
 cap. 23, p. 78.]

presbyteri; atque eodem propterea nomine nec immerito nuncupentur. Quemadmodum etiam in Ecclesia Judaica observare licet. In qua scilicet nemo nescit, tres fuisse ecclesiasticarum personarum ordines, summum nempe sacerdotem, sacerdotes inferiores, et Levitas. In prima tamen horum ordinum institutione vox הכהן, *sacerdos*, tam de summo, quam de inferioribus sacerdotibus, promiscue usurpata fuit; usque adeo ut ipse Aaron primus summus sacerdos, nusquam in Pentateucho Mosis aliter quam simpliciter הכהן, *sacerdos*, nominetur, ut ubi dicitur, ונתנו בני אהרן הכהן אש על-המזבח וערכו עצים על-האש: וערכו בני אהרן הכהנים את הנתחים, *Tunc componentes filii Aaronis sacerdotis ignem super altari struent ligna super ignem. Postea disponent filii Aaronis sacerdotes membra.* In quibus verbis Aaronem summum sacerdotem, et filios ejus simplices sacerdotes, uno eodemque nomine indigitatos habemus. Ille enim הכהן, *sacerdos*, hi הכהנים, *sacerdotes*, appellantur. Nec uspiam in libris Mosaicis, vel Aaronem, vel Eleazarum, qui Patri in pontificatu successit, aliter quam הכהן, communi omnium sacerdotum nomine, nuncupatum reperire est. Nec per totum uspiam Pentateuchum, præterquam duobus tribusve locis, ubi de Ecclesia ut postea administranda agitur, nomen istud כהן הגדול, ἀρχιερεύς, usurpatur, etiamsi pontificis, sive ejus, qui cæteris præerat sacerdotibus, frequentissima occurrat mentio. Sed procedente demum tempore, in libris saltem hagiographis et propheticis usu venit, ut summus sacerdos כהן הגדול, ἀρχιερεύς, sive *maximus sacerdotum*, inferiores autem sacerdotes absolute כהנים, ιερείς, *sacerdotes*, nominati sint. Quis autem ex isto promiscuo nominis hujus usu probare unquam aggressus est, omnes sacerdotes ipsi pontifici pares aut æquales fuisse? Annon in ora hominum pro ludibrio abiret, qui istiusmodi argumento uteretur? Quis enim nescit summum sacerdotem reliquis omnibus superiorem fuisse, licet eodem nomine appellatum? Hoc tamen palmarium est istud argumentum, quo presbyteranæ paritatis propugnatores, presbyteros Episcopis, sacerdotes pontifici pares esse probare conati sunt. Nimirum quod ipsi etiam Episcopi in sacris Apostolorum scriptis πρεσβύτεροι nonnunquam appellentur. Hoc autem argumento nihil unquam efficient, usque dum probatum dederint, omnes in

[Neh. iii. 1;
Zech. iii. 1.]

Ecclesia Judaica sacerdotes τῶ ἀρχιερεῖν pares fuisse, atque ejusdem, cujus ille, ordinis ac auctoritatis, eo quod in Ecclesia ista recens fundata ille communi eorum nomine nuncupatus fuerit. Hoc autem, nec isto, nec ullo alio argumento demonstrari posse inter omnes convenit, utpote quod falsissimum esse cuique notum sit. Quidni autem in Ecclesiae Christianae aequae ac Judaicae primordiis primi et secundi ordinis sacerdotes uno eodemque nomine vocitentur? Sane qui aliter sentiunt, si Judaici essent sacerdotes, eodem argumento cum ipso pontifice pro pontificatu suo contenderent, seque ei pares esse jactitarent. Quod quam absurdum, quam perniciosum esset, ipsi viderint, pene simili Koræ, Dathanis, et Abirami exemplo edocti.

XII. Hæc de statu Ecclesiae Apostolicæ, ut mox post Christi resurrectionem se habebat, strictim idcirco disseruimus, quod exinde pateat, nihil certi de perpetuo Ecclesiae regimine ab Apostolis stabilito ex iis concludi posse, quæ Apostoli in ipsis Evangelii prædicandi primordiis fecisse traduntur. Quemadmodum enim Dominus eorum nosterque Christus Apostolos suos non statim ordinavit, simul ac ministerium suum ingressus est, sed aliquanto post tempore; neque etiam LXX. discipulos una cum Apostolis elegit, sed post elapsam aliquod temporis spatium, cum iis ipsi opus esset; sic et Apostoli Ejus, Magistri vestigiis insistentes, omnia ad perpetuam Ecclesiae administrationem necessaria, statim ut data est illis potestas, non ordinabant, nec ordinare poterant, sed paulatim ac pedetentim, prout occasio sese obtulerit. Ita tamen ut, priusquam illi hinc emigrarent, omnia ad externam Ecclesiae formam ac politiam procul omni dubio determinarint. Etiamsi enim quamdiu Christus in terris versaretur, Apostoli Ejus aliam, quam baptizandi et evangelium prædicandi, potestatem non haberent, ac proinde presbyteri duntaxat essent, τῶ ἀρχιερεῖν, Episcopo illi animarum nostrarum, subditi; post Domini tamen resurrectionem ipsi in episcopatum evecti sunt, Dominique sui nostrique in Ecclesiae administratione successores constituti. Hanc eorum ordinationem a S. Joanne Evangelista traditam habemus, ubi Christus a mortuis resuscitatus Apostolis suis in unum congregatis dicit, *Εἰρήνη ὑμῖν, καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ Πατήρ, καὶ γὰρ πέμπω ὑμᾶς, et cum hoc dixisset*

Cap. xx. [21,
22.]

Matt. xxviii.
20.

insufflavit, dixitque iis, λάβετε Πνεῦμα Ἅγιον, etc. Ut Christus igitur a Patre, sic Apostoli modo a Christo missi sunt, et ad eundem, ut ita loquar, gradum promoti, quantum scilicet ad ordinandi et ecclesiasticam disciplinam exercendi stabilien-
dique auctoritatem spectat. Ipsi igitur a Christo missi, sicut Ille a Patre, alios etiam ad eundem modum mittendi potestatem accipiebant, qui ipsis etiam Apostolis succederent, ut Apostoli Christo, ut ita impleretur illud, quod Christus ad caelos ascensurus promiserat, *Et ecce Ego vobiscum semper usque ad finem seculi.* Quod fieri non potuit, nisi Apostoli in Ecclesia semper manerent, vel in propriis ipsorum personis, vel in successoribus suis sive loci conservatoribus. Ut hujusmodi autem successores sibi perpetuo haberent, eundem, Quem Christus in ipsos, ipsi in alios contulerunt Spiritum. Licet non eodem modo. Christus enim insufflando Spiritum in eos contulit, qui modus Ei peculiaris est, a Quo Spiritus procedit: Apostoli autem in Spiritu, Quo ipsi a Christo induti et hoc edocti sunt, conferendo, antiquo isto ritu a Deo in lege Mosaica instituto et in Ecclesia Judaica perpetuo observato usi sunt, per χειροθεσίαν scilicet sive manuum impositionem. Hoc modo Spiritus a Mose in Joshuam diffusus est. Et hoc modo Spiritus a Christo in Apostolos Ejus sufflatus, ab Apostolis in proximos suos successores, et ab iis in alios successive usque ad finem seculi diffusus est.

Deut. xxxiv.
9.

XIII. Cum hanc igitur Ecclesiae regendae, aliosque in successores ordinandi potestatem Apostoli a Christo sibi concreditam habuissent, quin eandem illi fideliter exercuerint, nemini dubium esse potest. Proinde nec dubitare fas est, quin ubi Apostoli aliquam hominum multitudinem in qualibet urbe ad fidem Christianam, Deo adsistente, convertissent, Ecclesiam ibidem fundarint, eandemque, priusquam ultimum ei valedicerent, ista potestate instruxerint, quam ipsi a Christo aliis communicandam acceperant, qua successores ipsis in omnibus Ecclesiis constituerentur, quibuscum Christus juxta promissum suum usque ad finem seculi esset. Haec, inquam, cordatis omnibus sobriisque Christianis indubitata sunt. Quæritur tantummodo, Utrum Apostoli, priusquam ex hac vita migrarint, hanc suam Ecclesiae regendae aliorumque ordinandi potestatem uni alicui

in unaquaque Ecclesia personæ, an pluribus commiserint? hoc est, juxta recentiore loquendi formulam, ‘Utrum Episcopo, an classi presbyterorum?’ Hoc sane modo proponenda est quæstio de Episcoporum supra presbyteros auctoritate, si eam unquam determinare velimus. De nominibus enim Episcoporum et presbyterorum contendere, nihil aliud est, quam ἀεροβατεῖν, et disputationem ita instituere, ut nullus sit disputandi finis. Neque etiam dirimi potest hæc controversia ex iis, quæ Apostoli initio ministerii sui, sive statim post Domini ascensum, peregrisse leguntur. Ut ante enim observatum est, omnia statim ordinare non poterant, neque opus erat, ut successores sibi constituerent, priusquam ipsi decessuri erant. Et præterea eorum, quæ Apostoli in Evangelio propagando, Ecclesiisque instituendis fecerunt, paucissima scriptis mandata sunt. Solus enim S. Lucas Acta Apostolorum conscripsit. Isque nihil fere de S. Petro tradidit, præterquam ea, quæ eodem vel proximo post Christi ascensum anno fecerat. Plura, fateor, de S. Paulo in Apostolorum censum ab Ipso Christo postea cœlitus vocato refert, sed ea sola, quorum ipse oculatus fuerat testis, ut itineris ei comes. De cæteris Apostolis nihil propemodum memoriæ tradidit. Et quamvis S. Paulus plurimas, et alii ex Apostolis nonnullas scripserint Epistolas, eæ tamen per occasionem, ut ita loquar, scriptæ, Ecclesiæ administrandæ formam ab Apostolis institutam omnibus notam supponunt potius quam faciunt. Adhæc, maxima pars Apostolorum diu vixerunt post conscriptos omnes Novi Testamenti libros; quo temporis spatio Ecclesiam mirum in modum amplificatam ad exactiorem regiminis formam haud dubie redegerunt, quam cujus initio capax fuerat. E quibus omnibus una collatis videre est, hanc, de perpetuo Ecclesiæ regimine ab Apostolis instituto, quæstionem ita concipiendam esse, ut quæretur, non quid ipsi Apostoli in Ecclesia primo fundanda propagandaque fecerint, vel fecisse tradantur, sed quomodo eam modo fundatam et in omnes terrarum fines ab ipsis propagatam, administrandam postea fore decreverint? Utrumque Apostolicam suam auctoritatem uni in unaquaque singulari Ecclesia Præsidi, an pluribus commiserint, priusquam ipsi militantem cum triumphanti Ecclesia commutarint?

XIV. Hæc autem quæstio hoc modo instituta, si sine præjudicio, et eo, quo par est, animi candore agitetur, facillime pariter atque certissime determinari potest. Sanctos enim Apostolos summam illam, qua ipsi præditi erant, Ecclesiam administrandi aliosque ad ecclesiastica officia ordinandi potestatem non pluribus, sed singulari in singulis urbibus sive Ecclesiis Præsidi, seu Episcopo, delegasse, multa sunt quæ fidem plenissimam faciunt. Primo enim nihil dubii esse potest, quin Apostoli hanc aliis potestatem eodem, quoad ejus fieri potuit, modo commiserint, quo ipsis a Christo prius commissa fuerat. Si Christus hanc Suam auctoritatem non singulis Apostolis, sed toti eorum collegio delegasset, ipsis etiam eandem a se non in singularem aliquam personam, sed in totum cujuslibet urbis sive Ecclesiæ presbyterorum corpus, transfundere necesse fuisset. Quandoquidem pro facto certoque habuissent, hanc Domini sui voluntatem fuisse, ut auctoritas ista non nisi certo presbyterorum cœtui concrederetur. Quod si e contra Dominus noster non toti Apostolorum Suorum collegio sed singulis Apostolis hanc potestatem demandarit, illi Ipsius exemplo ducti, non poterant non idem facere, hoc est, auctoritatem istam sibi singulis commissam in singulares itidem Ecclesiæ Præsides transmittere. Alioquin enim Domini vestigiis non ingressi fuissent, neque ex Ejus egissent animo, Qui proprio Ipsius facto clare satis ostenderat, se voluisse, ut auctoritas ista non apud aliquem hominum cœtum deponeretur, sed apud singulares personas; sive quod idem est, non toti presbyterorum in quavis Ecclesia corpori, sed singulari capiti committeretur. Adeo ut, quemadmodum Unus Christus, et unusquisque Apostolorum, sic unus etiam in unaquaque Ecclesia Episcopus totam hanc auctoritatem sibi concreditam haberet, Unius ibidem Christi vicem gerens.

Neque in controversiam venire potest, utrum Christus singulis suis Apostolis, an toti eorum collegio, hanc potestatem delegarit. Etenim si non singulis seorsim, sed omnibus conjunctim eam delegasset, nihil agere potuissent, nisi omnes una interessent, ac propterea nihil omnino, postquam a se invicem ad Evangelium propagandum separati sunt, adeo ut frustra se separarint, quandoquidem juxta hanc hypothesin nihil cuivis eorum ab aliis separatim po-

testatis esset. Et præterea nihil certius, frequentiusve in Sacris Scripturis traditur, quam singulos Apostolos totam, quam omnes a Christo acceperant, potestatem seorsim a collegis suis exercuisse. Ut omittam enim, quod in ipsorum Actis, nunc unum, nunc duos, vel tres, perraro autem omnes Apostolos res ecclesiasticas moderantes inveniamus, D. Paulus verbis conceptis asserit, *Sese sollicitudinem omnium* 2 Cor. xi. 28. *Ecclesiarum sustinuisse*, alibique Corinthiis promittit sese ecclesiastica ipsorum negotia dispositurum esse, τὰ δὲ λοιπὰ, 1 Cor. xi. ult. inquit, ὡς ἂν ἔλθω, διατάξομαι. Quibus etiam verbis indicat se nonnullas de istius Ecclesiæ administratione leges ante tulisse. Quod ex ipsa quoque Epistola constat. Ipse etiam in omnibus Epistolis, iis præsertim quas ad Timotheum Titumque misit, generalia de omni ecclesiastica disciplina mandata dedit. Et quod ad ordinationes spectat, idem dicit, donum Dei per suam ipsius χειροθεσίαν in Timotheum collatum esse. Ὁ ἐστίν, inquit, ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. Nec 2 Tim. i. 6. obstat, quod alibi dicit idem factum fuisse μετὰ ἐπιθέσεως τῶν 1 Tim. iv. 14. χειρῶν τοῦ πρεσβυτέρου. Etiam si enim ex hoc ultimo loco verisimile fiat, alios Paulo in ista ordinatione adstitisse, manusque μετ' αὐτοῦ, cum eo, imposuisse, ex priori tamen suspicari licet, eos non fuisse Apostolos. Si fuissent enim, D. Paulus eos ab ordinatione ista nunquam seclusisset, istam sua solius manuum impositione peractam affirmans, atque ita totam ordinationis illius virtutem atque efficaciam sibi soli asserens. Sed non opus est hisce diutius immoremur, siquidem inter omnes constat, Apostolos separatim egisse, et unum hic, alium illic Ecclesiam fundasse, fundatam administrasse, omniaque ad perpetuam ejusdem administrationem necessaria disposuisse, idque haud minori auctoritate, quam si omnes Apostoli una ibidem adfuissent. Unde liquet auctoritatem istam Apostolicam, in unoquoque Apostolorum, adeoque totam in singularibus personis ab Ipso Christo sitam fuisse, quam propterea eos in singulares etiam personas, ipsorum successores, derivasse extra dubium est. Quod si hæc auctoritas in singulis Ecclesiis singulari alicui personæ ab ipsis Apostolis commissa fuerit, personam istam sive Episcopi, sive presbyteri, sive alio quovis nomine appellatam, aliis quibuscunque in eadem Ecclesia præsidere, summamque supra

eos potestatem jure Apostolico, adeoque Divino, habere necessario sequitur.

XV. Adhæc, ut jure potuerunt, atque etiam debuerunt Apostoli, sic et de facto totam suam ecclesiasticarum administrationum ordinationumque auctoritatem singularibus personis delegarunt. Hanc enim auctoritatem D. Paulus Timotheo ab ipso ordinato commisit. Hoc ex eo constat, quod Apostolus eum doceat, quomodo auctoritatem istam exercere debeat,

¹ Tim. v. 19-22.

nimirum ut manus nemini cito imponat, ut contra presbyterum accusationem non nisi sub duobus tribusve testibus admittat, ut nihil faciat *κατὰ πρόσκλησιν*, in alteram partem inclinando. Quæ quidem admonitiones frustra ac inaniter, imo inepte et ridicule fierent, nisi Timotheus et ordinandi, et accusationes contra presbyteros prolatas audiendi, et ecclesiasticas denique causas judicandi, potestatem accepisset. Eandem in insula

Tit. i. 5.

Creta auctoritatem Titus sibi delegatam habuit, ut ex eodem constat Apostolo in Epistola ad eum scripta dicente, *Τούτου χάριν κατέλιπόν σε ἐν Κρήτῃ, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγὼ σοὶ διεταξάμην, Hujus rei gratia dereliqui te in Creta, ut quæ desunt corrigas, et presbyteros per singulas civitates constituas, sicut ego tibi ordinavi.* E quibus verbis videre licet, singularem virum Titum, a singulari Apostolo Paulo, omnem, quæ ipsis Apostolis in Ecclesia administranda concessa fuerat, potestatem accepisse, corrigendi scilicet, quæ in Ecclesia deerant, et presbyteros per civitates ordinandi: ad quæ duo capita omnis ecclesiastica, dicam et Apostolica, auctoritas redigatur. Adeo ut pro certissimo habeamus auctoritatem istam in duos hosce singulares viros, Timotheum et Titum ab ipso Apostolo sigillatim transmissam fuisse. Neque in omnibus uspiam Apostolorum scriptis legimus vel D. Paulum, vel alium quemlibet ex Apostolis auctoritatem istam collegio cuiquam, aut cœtui virorum demandasse. Ex eo autem, quod Timotheus in Asia, et Titus in Creta auctoritatem istam sibi seorsim concreditam habuerit, eandem uni sive singulari ubique viro ab Apostolis delegatam fuisse legitime concludamus. Præterquam enim quod ratio ipsa postulare, ut eodem ubique modo eam darent quo acceperant, nemini dubium esse potest, quin omnes Ecclesias uniformes consti-

tuerint. Hoc enim D. Paulus diserte testatur, dicens, Καθώς ^{1 Cor. iv. 17.} πανταχοῦ ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ διδάσκω, et postea, καὶ οὕτως ἐν ταῖς ^{Ib. c. vii. 17.} ἐκκλησίαις πάσαις διατάσσομαι. Hinc enim liquet Apostolos laborasse, ut omnes Ecclesiæ uniformiter administrarentur, iidemque ritus ubique observarentur. Quod fieri non potuit, nisi ipsi a Domino edocti, Spirituque Ipsius instructi, eandem ecclesiasticæ administrationis formam ubique instituerint. Proinde ex eo, quod Apostolus auctoritatem suam in Timotheum et Titum singulatim contulerit, legitima ac necessario inferatur conclusio, Apostolos voluisse, et in mandatis a Domino accepisse, ut omnis ordinationes administrationesque ecclesiasticas celebrandi potestas in unaquaque Ecclesia apud unum aliquem probatum virum, seu Præsidentem et Episcopum ejusdem resideret.

XVI. Idem porro abunde etiam constat ex historia ecclesiastica, quam hac in causa diligenter consulamus necesse est. Cum paucissima enim, ut ante observatum est, eorum, quæ Apostoli fecerunt, sacris literis mandata sint, multaque eorum, quæ ad perpetuam Ecclesiæ administrationem pertinent, non nisi sero ordinare potuerint, cum ipsi hinc decursuri erant, totusque propterea Novi Testamenti Canon longe antea completus fuerat, hinc si pro certo et comperto habere velimus, quomodo Apostoli auctoritatem suam aliis tanquam successoribus suis delegatam reliquerint, inquirendum est necessario in istarum Ecclesiarum historias, quas illi fundarunt, et fundatas aliis tradiderunt administrandas. Si quaerendo enim deprehenderimus, nullam usquam Ecclesiam ab Apostolis fundatam, ab eorum usque diebus, aliter quam ab uno singulari viro administratam fuisse, nullus supererit dubitandi locus, quin Ecclesiam unamquamque regendi auctoritas uni soli ab Apostolis commissa fuerit. Neque enim vel animo cogitare fas est, Ecclesias ab ipsis Apostolis fundatas aliter a proximis ipsorum successoribus administratas fuisse, quam ipsi, cum in vivis essent, instituerant. Verum enim vero si omnes usquequaque ecclesiasticas evolva-
mus antiquitates, nullam inveniemus Ecclesiam ab Apostolo aliquo fundatam, quæ non a singulari aliquo viro administrata fuit, qui inter omnes alios in eadem Ecclesia constitutos vel ordinatos usque adeo eminuit, ut solus in ecclesiasticis historiis nominatim celebrari mereretur: tanquam qui solus

omnem ab Apostolo Ecclesiæ istius fundatore eminentiam atque auctoritatem Apostolicam in se transfusam habuit. Ut Timotheum enim Ephesi, et in Creta Titum, sic Jacobum Hierosolymis, Epaphroditum Philippis, Colossis Archippum, Dionysium Areopagitum Athenis, Polycarpum Smyrnæ, Antipam Pergami, Gaium Thessaloniciæ, Crescentem in Galatia, Evodium vel, ut alii, Ignatium Antiochiæ, Anianum Alexandriæ, Clementem denique Romæ, Ecclesiam quemque suam ab Apostolo fundatore ei concreditam, solum administrasse legimus, nulla fere aliorum, qui ecclesiasticis ibidem fungebantur officiis, mentione uspiam instituta. Quos etiam singulos singulares habuisse successores ex iisdem antiquissimis Ecclesiæ scriptoribus, Hegesippo scilicet, Irenæo, Clemente Alexandrino, Eusebio, Hieronymo,³ aliisque patet. Quod luculentissimo nobis est argumento Apostolicam auctoritatem in singulis Ecclesiis, non in nescio quantum hominum cœtum, sed in viros singulares ab ipsis Apostolis divinitus inspiratis transmissam fuisse. Præsertim cum ab anno CXL., hoc est a quadragesimo plus minus ab ultimo Apostolorum anno, singulares ubique terrarum viros sub Episcoporum nomine cæteris presbyteris præsedisse, summamque supra eos in sua quemque Ecclesia auctoritatem exercuisse, ex antiquis, et fide dignissimis Ecclesiæ monumentis usque adeo manifestum certumque sit, ut ipsi acerimi episcopalis hujus auctoritatis oppugnatores, rei veritate victi, velint nolint, illud fateri sæpe coacti fuerint. Et quidem si alia non præsto essent argumenta, hoc unum ab ipsis adversariis concessum summam Episcoporum supra presbyteros totamque cujusque Ecclesiæ ὑπεροχὴν atque auctori-

[Vide supra, sect. 6, 7, pp. 163-166.]

³ ["Mortuus est autem [Marcus] octavo Neronis anno et sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano."—Hier. de Viris Illust. cap. viii. Op. tom. ii. col. 830.

"Clemens . . . quartus post Petrum Romæ Episcopus; siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem."—Ibid. cap. xv. Op. tom. ii. col. 839.

"Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ ter-

tius post Petrum Apostolum Episcopus."—Hier. de Viris Illust. cap. xvi. Op. tom. ii. col. 841.

"Polycarpus, Joannis Apostoli discipulus, et ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit."—Ibid. cap. xvii. Op. tom. ii. col. 843.

"Quadratus Apostolorum discipulus, Publio Athenarum Episcopo ob Christi fidem martyrio coronato, in locum ejus substituitur."—Ibid. cap. xx. Op. tom. ii. col. 846.]

tatem, ab ipsis Apostolis, adeoque divinitus, institutam fuisse clarissime demonstrat, et cuivis præjudicio non laboranti extra controversiam ponit.

XVII. Primo enim primos Apostolorum successores, quos latere non potuit, quomodo Apostoli Ecclesiam perpetuo administrandam fore decreverant, pientissimos fuisse viros, totosque Christi cultui devotos, nemo vel negare potest, vel dubitare, qui Christianam religionem præ se fert. Tanta enim fide, tanta pietate, tanto in Christum amore præditi erant, ut Evangelium ab Ipso prædicatum sanguine suo consignare semper parati essent, quippe qui se suaque omnia Christo dedicarant. Quocirca si potuissent, haud dubie nunquam voluissent quivis eorum majorem sibi supra fratres suos potestatem usurpare, quam Dominus ipsis prius concesserat. Hoc enim cum vera pietate neutiquam constare, ac propterea in tam sanctos piosque viros cadere non potuit. Utpote quod ambitionem, superbiam, avaritiam, tyrannidem, omnium denique vitiorum colluviem sub se comprehendit. Quid enim in Christum magis impium, quam sacram Ipsius institutionem sacrilega manu violare? In fratres quid magis iniquum, quam suis eos privilegiis spoliare, et totam auctoritatem, quæ ipsis omnibus in commune a Christo commissa fuerat, sibi soli arrogare? Hæc tamen egregia sunt ista facinora, quæ presbyteranæ paritatis assertores primis Apostolorum discipulis et successoribus imputare non erubescunt, dum eos statim post Apostolorum obitum se supra fratres suos insolentia dominatus extulisse asseverant. Desinant autem hoc iis in posterum objicere, usque dum probatum dederint, illos non Christi discipulos sed profligatissimos fuisse viros, et omnium scelerum maculis notatissimos. Si sancti enim, si religiosi, si Christiani nominis quovis modo digni erant, (quod nobis sane persuasissimum est, ipsique adversarii negare non possunt) tanta teneri culpa nolissent. Et præterea, ut si potuissent, nunquam voluissent, sic etiam e contra si voluissent, nunquam potuissent, aliam quam Apostolicam ecclesiasticæ administrationis formam ubique saltem terrarum introducere ac stabilire. Si una, fateor, alterave duntaxat Ecclesia a singulari Episcopo gubernata fuisset, suspicari forsitan liceret, aliquam Apostolicæ institutioni violentiam ibi nefarie illatam esse. Res autem longe aliter

se habuit. Omnes enim Ecclesiæ ab Apostolis constitutæ, etiamsi magno locorum intervallo disterminatæ, sibi que invicem vix nomine tenus cognitæ, in unam eandemque regiminis formam conspirarunt: adeo ut, secundo nondum adulto seculo, ac proinde statim post Apostolorum obitum, nullam invenire sit Ecclesiam, quæ non a singulari Episcopo administrata fuit. Quod fieri nequaquam potuit, nisi omnes Ecclesiæ eandem disciplinæ atque administrationis formam, una cum fide ab Apostolis traditam accepissent. Adhæc, si singulares ubique Episcopi summam, de qua agimus, in Ecclesia quisque sua, supraque presbyteros in eadem constitutos, auctoritatem contra Domini præceptum, atque Apostolorum Ejus institutionem sibi vindicarint, et exercuerint, qui factum est, ut nulli usquam presbyteri iis obluctati fuerint, nec improbam Dominici præcepti violationem illis objecerint? Sane auctoritas, præsertim in religione, non tanto despectui haberi solet, ut eam sibi quisquam facile extorqueri sinat. Si Apostoli itaque æqualem omnibus in unaquaque Ecclesia presbyteris auctoritatem delegarint, quod demum pacto evenit, ut omnes ubique presbyteris eam sibi eximi, et in Episcopos solos transferri securi paterentur? Quare illi, æque ac nostræ ætatis, presbyteri, se Episcopis suis pares esse non jactitabant? Quare illi non æque impatientes erant subjectionis et obedientiæ Episcopis suis præstandæ? Annon illi, qui proximo post Apostolos vixerunt seculo, perspectius longe haberent, quid ab Apostolis institutum fuerat, quam nos qui quindecim seculorum spatio ab iis removemur? Si illud itaque, quod hodierni presbyteranæ *ἰσοτιμίας* patroni tanquam certissimum discipulis suis venditant, Apostolos scilicet instituisse, ut unaquæque Ecclesia non a singulari aliquo Episcopo sed ab omnibus conjunctim presbyteris regeretur, si hoc, inquam, primitivis illis presbyteris notum et persuasum fuisset, Apostolicam istam institutionem, quæ ipsis favebat, violari vel infringi procul omni dubio nunquam permisissent. Sed si quis iis imperare cœperit Episcopus, multo majori quam nostri presbyterani ratione respondere poterant, ‘Nimium, coepiscope, tibi arrogas, tu enim nosque omnes scimus Dominum et Apostolos Ejus, a quibus fidem, doctrinam, atque ordinationem nostram suscepimus, decrevisse, ut omnes pares essemus, tuque haud

majorem in nos auctoritatem haberes, quam nos in te.' Quis hujusmodi responsum ab iis redditum non exspectaret, si Episcopi aliquam supra illos auctoritatem contra Apostolicam institutionem usurpassent? Veruntamen nihil hujusmodi in omni antiquitate ecclesiastica occurrit. Episcopos presbyteris imperasse ubique, sed presbyteros iis vel restitisse vel etiam responsasse nusquam legimus. Adeo ut episcopalis supra presbyteros auctoritas per aliquam multa secula in universa Ecclesia, nemine contradicente, obtinuerit. Imo quidem per mille et quingentos annos, nullum, præter unum Aerium ejusque gregales quarto exeunte seculo exortos pariter atque extinctos, invenire est presbyterum, qui se Episcopo æqualem asserere ausus est. Quod non mirum dico, sed impossibile esset, si ipsi Apostoli presbyteranam illam, quam nonnulli hisce diebus propugnant, paritatem instituissent, vel etiam si episcopalem illam non instituissent auctoritatem, qua omnes ubique gentium Ecclesiæ ab ipso Apostolico usque ad præsens hoc nostrum, vel saltem præcedens, seculum continenter administratæ fuerunt. Quam propterea qua ratione hac nostra demum ætate oppugnare, vel etiam in quæstionem vocare liceat, isti viderint, qui de hodiernis quibusdam ac particularibus, magis quam de ipsa primitiva atque universa Ecclesia solliciti sunt.

XVIII. Hisce rationibus inducti persuasissimum habemus, quod, sicut in veteri Ecclesia pontifex supra sacerdotes et Levitas, in nova primo Christus supra Apostolos et LXX. discipulos, Eoque mortuo Apostoli supra Episcopos et diaconos; sic etiam, quod, illis mortuis, Episcopi supra presbyteros et diaconos summam auctoritatem jure divino habeant, et usque ad finem seculi habere debeant. Cum Apostoli enim in Ecclesia propaganda ac stabilienda divinitus inspirati atque adjuti fuerint, nihilque fecerint, nisi quod a Christo traditum acceperant, et nihil Christus Θεός-θεωπος, nisi quod a Deo, quare distinguendum sit, vel quomodo distinguatur inter jus Apostolicum et Divinum, me prorsus nescire fateor. Ac proinde, cum Apostoli hanc auctoritatem sibi a Christo commissam ad Episcopos ipsorum successores transmiserint, nihil nobis rationi magis consentaneum videtur, nihil magis necessarium, quam ut ista Episcoporum supra presbyteros auctoritas ad Divinam institu-

tionem referatur. Nec nova quidem est hæc opinio, a nobis, vel aliis, ultimis hisce diebus excogitata, eadem enim est, quam antiquissimi Ecclesiæ Patres tenuerunt, nobisque clarissime tradiderunt. Tertullianum enim, Clementem Alexandrinum et Origenem, qui omnes proximo post Apostolos seculo vixerunt, in hac⁴ fuisse sententia supra a nobis demonstratum est. D. Cyprianum iisdem pene æqualem idem sensisse e plurimis ipsius verbis abunde constat. Episcopos enim Apostolis *vicaria ordinatione successisse* asserit.⁴ Alibi que de suæ ætatis Episcopis loquens, *Quoniam Apostolos*, inquit, *id est Episcopos et Præpositos Dominus elegit*. Hinc episcopalem auctoritatem *Ecclesiæ gubernandæ sublimem et Divinam potestatem* vocat.⁵ Hoc autem luculentissime imprimis docet in Epistola ad lapsos, qui ipsi de usurpata pace per Paulum Martyrem data scripserunt, sic incipiente, *Dominus noster, Cujus præcepta metuere, et observare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur et dicit Petro, Ego tibi dico, quia tu es Petrus, et super istam petram, etc.* Inde per temporum et successionum vices *Episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur. Cum hoc itaque Divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse [ut Ecclesiæ nomine literas facerent.]* Hic enim verbis conceptis affirmat, hoc, ut *omnis nimirum actus Ecclesiæ per Episcopos gubernetur, DIVINA LEGE* fundatum esse. Ut alios recentiores omittam, D. Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum, etc. S. Athanasius, vir Concilii Nicæni tempore clarissimus, ad Dracontium, qui episcopatum fugiebat, scribens, hæc habet, *Εἰ δὲ τῶν ἐκκλησιῶν ἡ διάταξις οὐκ ἀρέσκει σοι, οὐδὲ νομίζεις τὸ τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργήματα μισθὸν ἔχειν, ἀλλὰ καταφρονεῖν τοῦ ταῦτα διαταξαμένου Σωτῆρος πεποιηκᾶς σαυτὸν, παρακαλῶ, μὴ τοιαῦτα λογίζου, μηδὲ ἀνέχου τῶν ταῦτα συμβουλευόντων· οὐ γὰρ ἄξια Δρακοντίου ταῦτα· ἂν γὰρ ὁ Κύριος διὰ τῶν Ἀποστόλων τετύπωκε, ταῦτα καλὰ καὶ βέβαια*

Cypr. Ep. lxi. [Pamel. lxi. Fell.] ad Florentium Pupian. Ep. lxi. [Pamel. iii. Fell.] ad Rogatian. [p. 6.] Ep. lv. [Pamel. lxi. Fell. ad Corn.]

Ep. xxvii. [Pamel. xxxiii. Fell.] ad Lapsos, [p. 66.] [Matt. xvi. 18.]

Athanas. Epist. ad Dracontium, [cap. iii. Op. tom. i. pp. 264, F, 265, A.]

⁴ ["Qui dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolos vicaria ordinatione succedunt."—Cypr. Ep. lxi. Pamel. lxi. Fell. ad Florent. Pupian. p. 166.]

⁵ ["Actum est de episcopatus vigore, et de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac Divina potestate."—Cypr. Ep. lv. Pamel. lxi. ad Corn. Fell. p. 126.]

μένει, ἢ δὲ τῶν ἀδελφῶν δειλία παύσεται. *Quod si constitutio Ecclesiarum tibi non placet, aut nullam omnino mercedem Episcopi functioni destinata arbitraris, et Servatorem, Qui eam ita instituit, contemnis; oro te, ne istiusmodi quid in mentem admittas, neque auctores istiusmodi consiliorum sustineas. Non enim ista digna sunt Dracontio. Nam quæ Dominus per Apostolos instituit, et bona sunt et firma persistunt. Ista autem fratrum meticulositas compescetur.* Si Dominus autem episcopalem, de qua hic loquitur S. Athanasius, functionem per Apostolos instituit, quin ea jure Divino instituta, vel si D. Cypriani verbis utar, *lege Divina fundata fuerit, nemini dubium esse potest.*

XIX. Ex hisce igitur prælibatis concludimus, Episcopos a Domino Apostolisque Ejus supra presbyteros constitutos esse, et ab iisdem distinctos, non minus quam illi a diaconis, ac propterea tres hosce Episcoporum, presbyterorum, et diaconorum ordines in hac Canonum Apostolicorum sylloge distincte memorari ac recenseri potuisse, etiamsi hi Canones ab ipsis, juxta Turriani sententiam, Apostolis conditi fuissent, multo magis si juxta nostram, secundo exeunte vel tertio ineunte seculo in lucem prodierint.

CAPUT XII.

Synopsis.

- I. *Canones Apost. XLVI., XLVII., LXVIII., de hæreticorum baptismo non admittendo. Quid contra eos obiectum est.*
- II. *Hæreticorum baptismus ante D. Cyprianum condemnatus est, et pro nullo habitus.*
- III. *Quæ de Romana Ecclesia affert vir doctus, sententiam nostram confirmant. Quare Donatistæ hæreticorum baptismum respuebant. S. Augustinus baptismum sine Evangelicis verbis collatum nullum esse pronunciavit.*
- IV. *S. Basilius hæreticorum quorumlibet baptismum repudiavit. Et Canonis Apost. XLVI. de hac re editi meminit. Qui tamen Canon de antiquis tantum hæreticis intelligendus est.*
- V. *Canonibus Nicænis cum Apostolicis optime in hac re convenit. Παυλιανίσαντες a Synodo Nicæna quinam dicti. Eorum ordinatio æque ac baptismus exploditur.*
- VI. *Hujus capituli librique secundi Epilogus.*

I. ULTIMUM contra utramque hujus collectionis partem argumentum hic discutiendum ex istis petit Dallæus Canonibus, qui collatum ab hæreticis baptismum explodunt. Qualis est Canon XLVI., *Episcopum vel presbyterum, qui hæreticorum baptismum aut sacrificium admiserit, deponi jubens.*¹ Et XLVII., quo cautum est, *ut Episcopus vel presbyter, si vere baptizatum de integro baptizaverit, vel ab impiis pollutum non baptizaverit, deponatur.*² Et in poste-

¹ [Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἱρετικῶν διζαμίνοῦς βάπτισμα ἢ εὐσίαν καθαιριῖσθαι προστάσσομεν.—Can. Ap. xlv. Pan. Can. tom. i. p. 30, E.]

² [Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, τὸν κατὰ

ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα ἢ ἀνωθεν βαπτίσῃ, ἢ τὸν μεμολυσμένον παρὰ τῶν ἀσεβῶν ἰὰν μὴ βαπτίσῃ, καθαιριῖσθω.—Can. Ap. xlvii. Pan. Can. tom. i. p.

31, B.]

riori parte sylloges, Canon LXVIII., quo dicitur, *qui ab hæreticis baptizantur aut ordinantur, ut fideles vel clerici sint, fieri non posse.*³ Contra hos Canones objicit Dallæus, quod si quæ in iis constituuntur, vera sunt, *Necesse est omnem jam a vetustissimis temporibus Ecclesiam in gravissimo errore versari: præsertim Romanam, quæ, Stephano duce et auctore, urbis circa annum CCLIV. Episcopo, hæreticorum baptismum valere ab illo seculo ad hæc tempora constanter sensit; et Africanam, quæ Donatistas, idem cum istis Canonibus de baptismo sentientes, Augustini calamo acerrime confutavit: et Nicænam denique ipsam Synodum, quæ solos ex omnibus hæreticis Paulianistas rebaptizandos pronunciavit.* Hæc Dallæus.

De Pseud.
lib. iii. cap.
18, pp. 636,
637.

II. Quod vero hic primo opponit vir doctus, *si quæ, scilicet, in his Canonibus constituuntur, vera sunt, necesse esse omnem jam a vetustissimis temporibus Ecclesiam in gravissimo errore versari,* antiquitatem horum Canonum neutiquam attingit. Etiam si enim concederemus, quod haud facile facturi sumus, baptismum ab antiquis hæreticis collatum, contra ac hisce Canonibus constituitur, admitti posse, vel etiam necessario admittendum esse, minime tamen exinde consequeretur, hos Canones non secundo tertiove seculo publicatos fuisse. Nam ea, quæ in illis constituuntur, istis diebus in Ecclesia et docta fuisse, et fortissime vindicata obtinuisse pro certo habemus. D. Cyprianum enim, totamque sub eo celebratam LXXXVII. Episcoporum Synodum, nullum ab hæreticis collatum esse vel conferri posse baptismum, consensisse, notius est quam ut probatione opus sit. Idem et longe ante ab Ecclesia definitum fuisse ipse D. Cyprianus testatur, dicens, *Apud nos autem non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, et longa ætas, ex quo, sub Agrippino bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad Ecclesiam conversi non aspernati sunt, neque cunctati, imo et rationa-*

[A. D. 256.
Conc. tom. 1.
coll. 786-
796.]

Cypr. Epist.
lxxiii. ad
Jubaian. [p.
199.]

³ [Τοὺς γὰρ παρὰ τῶν τοιοῦτων εἶναι δυνατόν.—Can. Ap. lxxviii. Pan. [αἰρετικῶν, scil.] βαπτισθέντας ἢ χειροτονηθέντας, οὔτε πιστοὺς, οὔτε κληρικοὺς Can tom. i. p. 44, D.]

biliter et libenter amplexi sunt, ut lavacri vitalis et salutaris baptismi gratiam consequerentur. In antiqua itaque plurimorum Episcoporum Synodo, multis annis et longa ætate ante D. Cyprianum sub Agrippino habita, constitutum est illud, quod in Canonibus hisce Apostolicis a Dallæo oppugnantis hodie continetur. Quod etiam *ab antecessoribus suis statutum* fuisse, idem iterum affirmat. Et quidem hanc fuisse Ecclesiæ disciplinam longe ante D. Cypriani ætatem ex Tertulliano constat, qui eandem suis diebus et approbatam fuisse atque observatam passim innuit. *Unde et apud nos, inquit, ethnico par, imo et super ethnicum, hæreticus etiam per baptismum veritatis utroque homine purgatus admittitur.* Et alibi de hæretico loquens, *Nemo, inquit, inde [in]strui potest, unde destruitur: nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur.* Fusius adhuc clariusque libro de baptismo, ubi hæc habet, *Unus omnino baptismus est nobis, tam ex Domini Evangelio, quam ex Apostoli literis: quoniam Unus Dominus, et unum baptismum, et una Ecclesia in cælis. Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet. Ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoscere quod mihi est præceptum, quia non Idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est, Idem; ideoque nec baptismus Unus, quia non idem, quem cum rite non habeant, sine dubio non habent; nec capit numerari, quod non habetur. Ita nec possunt accipere, quia non habent.* Unde simul patet, quare hæreticorum baptismus istis diebus rejectus esset: quoniam scilicet illis non idem ac Catholicis Deus erat, nec Christus idem: qui propterea baptismum ut a Christo institutum in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti non celebrabant, sed in nescio quæ ignota et horrenda nomina, quæ videre est apud Irenæum.⁴ Et quidem cum

Epist. lxx.
[Synodica ad
Episc. Numidiae, p.
189.]

Tertull. de
Pudicitia,
cap. 19, [p.
581, B.]

Id. de Præ-
script. adv.
Hær. cap. 12,
[p. 206, C.]

Ibid. de Bap-
tismo, cap.
xv. [p. 230,
A.]

[Iren. cont.
Hær. Lib. i.
cap. 18.]

⁴ [Οἱ δὲ ἄγουσιν ἐφ' ὕδατος, καὶ βαπτίζοντες οὕτως ἐπιτίθουσιν εἰς ὄνομα ἄγνωστον Πατρὸς τῶν ἄλων, εἰς ἀλήθειαν ἁγίου, εἰς τὸν κατελθόντα εἰς τὸν κόσμον, εἰς ἡμῶν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ ἰσχύαν τῶν δυνάμεων· ἄλλοι δὲ Ἑβραϊκὰ ὀνόματα ἐπιτίθουσι, πρὸς τὸ μᾶλλον

καταπλήξασθαι τοὺς τελειομένους, οὕτως· βασιμὰ καμοσὴ βασιανορὰ, μισταδιὰ βουαδὰ, κουστὰ, βαβοφὸρ καλαχθί· τούτων δὲ ἡ ἑρμηνεῖα ἐστὶ τοιαύτη· ὑπὲρ πάντων δυνάμιν τοῦ Πατρὸς ἐπικαλοῦμαι φῶς ὀνομαζόμενον, καὶ πνεῦμα ἄγαθόν, καὶ ζωὴ· ὅτι ἐν σώματι ἰβασίλευσας· ἄλλοι δὲ

omnes istius seculi hæretici ut Valentiniani, Hermogeniani, Praxeani, Marcionistæ, Quintillianistæ, Cataphrygæ, Apelletiani, etc. in gravissimis de Ipso Deo Christoque erroribus versarentur, ac proinde baptismi formam ut a Christo institutam non observarent, sed contemptui potius haberent, mirum nemini videatur, quod baptismus ab iis collatus ab Ecclesia Catholica irritus ac nullus haberetur. Nedum quod id in hisce Canonibus caveatur, qui juxta nostram sententiam istis temporibus constituti sunt, quibus ea viguit Ecclesiæ disciplina.

III. *Sed præsertim Romana*, inquit vir doctus, *Ecclesia*, *Stephano duce et auctore, urbis circa annum CCLIV. Episcopo, hæreticorum baptismum valere, ab illo seculo ad hæc tempora constanter sensit. Esto, ita sensit sentitque Ecclesia Romana. At si Stephanus circa annum Domini CCLIV. dux ei fuit, auctorque hujus sententiæ, contraria sane opinio ante Stephanum in ista etiam Ecclesia obtinuit, ea scilicet quæ in hisce Canonibus stabilitur. Quos propterea ante Stephani ætatem, hoc est ante tertium adultum seculum conditos fuisse, multo verisimilius est, quam ut postea conderentur, cum hæreticorum baptismus in universa, ut Dallæo videtur, Ecclesia admissus est. Adeo ut, ex hac eruditi viri contra Canones Apostolorum exceptione, nostra de eorum antiquitate opinio confirmetur potius quam destruat. Sed et Africana*, inquit, *Ecclesia Donatistas idem cum istis* [Ib. p. 636.] *Canonibus de baptismo sentientes Augustini calamo acerrime confutavit. Non equidem diffiteor S. Augustinum hoc Donatistis vitio vertisse, quod ab hæreticis baptizatos ipsi denuo baptizarent, et baptizandos esse acriter contenderent, omniaque eorum argumenta refellisse, quibus hanc illi opinionem praximque suam confirmare conati sunt. Sed observandum interea est, Donatistas nomen hæretici alio*

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 18, p. 636.]

πάλιν τὴν ἐπιλύτρωσιν ἐπιλίγουσιν οὕτως· τὸ ὄνομα τὸ ἀποικικρυμμένον ἀπὸ πάσης θιότητος, καὶ κυριότητος, καὶ ἀληθείας, ὃ ἐινδύσατο Ἰησοῦς ὁ Ναζωρηὸς, ἐν ταῖς ζωαῖς τοῦ φωτὸς τοῦ Χριστοῦ, Χριστοῦ ζῶντος διὰ Πνεύματος Ἁγίου, εἰς λύτρωσιν Ἀγγλικήν. "Ὄνομα τὸ τῆς ἀποκαταστάσεως· μισσία οὐφαρὶγ, ναμιμψαμὰν

καλδαίαν μοσομηδαία, ἀκραναὶ Ψαυούα, Ἰησοῦ Ναζαρία. καὶ τούτων ἡ ἰερηνία ἰστὶ τοιαύτη· οὐ διαίρω τὸ πνεῦμα, τὴν καρδίαν, καὶ τὴν ὑπερουράνιον δυναμιν, τὴν οἰκτίρμονα· ὀναίμην τοῦ ὀνόματός σου, Σωτῆρ ἀληθείας.— Iren. contra Hær. lib. i. cap. xxi. Massuet. (aliter xviii.) sect. 3, pp. 95, 96.]

usurpasse sensu, quam quo antiquitus usitatum fuerat. Isti enim omnes etiam orthodoxos hæreseos insimulare, hæreticosque appellare solebant, eo tantum nomine, quod cum Cæciliano orthodoxo Carthaginensi Episcopo communicarent. Et quandoquidem D. Cyprianus, totaque Ecclesia Africana antiquissimis temporibus istiusmodi hæreticorum, qui blasphemias de Ipso Deo Christoque hæreses effutiebant, baptismum nihil valere statuissent, Donatistæ arrepta exinde occasione ipsos etiam orthodoxos, hæreticorum nomine ab ipsis notatos, nullam apud se baptizandi potestatem habere asserebant. In quos propterea D. Augustinus vehementer merito invectus est; non tamen negans, quin affirmans potius, istiusmodi hæreticorum baptismum, qui non juxta Domini institutionem in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti collatus est, invalidum prorsus et nullum esse. *Cæterum*,

Aug. de Baptismo contra Donat lib. vi. cap. 25, [Op. tom. ix. col. 294, C.]

inquit, *quis nesciat, non esse Baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus Symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui illis verbis non baptizent.* Unde etiam suam, eundem esse apud hæreticos et catholicos asserentis, sententiam his

Ibid. [C, D.]

verbis protinus exponit, *Ideoque dicimus non omnem baptismum, (nam in multis idolorum sacrilegis sacris baptizari homines perhibentur,) sed Baptismum Christi, id est verbis Evangelicis consecratum, ubique eundem esse, nec hominum quorumlibet et qualibet perversitate violari.* Si qui itaque hæretici Evangelicis inter baptizandum verbis non usi sunt, eorum baptismus, ipso etiam D. Augustino iudice, non est admittendus: sed qui isthoc modo ab iis baptizati dicuntur, ad Ecclesiam Catholicam conversi rite baptizari debent. Enimvero doctissimus ille Pater in ea fuit sententia, quæ totam hujus Sacramenti vim atque essentiam in Evangelicis verbis pronunciandis collocat: adeo ut, ubi illa desiderantur, nullus sit baptismus, illis autem prolatis verus sit baptismus, quocunque animo collatus, et quibuscunque alioquin contaminatus vitiis. *Quia certe, inquit, illa Evangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur, quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi Nomine excluditur.* Hinc alibi dicit, *Quamobrem si Evangelicis verbis, 'In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,' Marcion*

Ibid. [coll. 293, D, 294, A.]

Ibid. lib. iii. cap. 15, [Op. tom. ix. col. 208, B, C.]

Baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum; quamvis ejus fides, sub eisdem verbis aliud opinantis quam Catholica veritas docet, non esset integra sed fabulosis falsitatibus inquinata. Unde liquet D. Augustinum non omnium generatim, sed istiusmodi duntaxat hæreticorum baptismum pro vero habuisse, qui eundem verbis illis Evangelicis consecrabant. Quod si qui non in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizarent, sed in nomen ignoti Patris universorum, in veritatem omnium matrem, in Jesum qui descendit, in unionem et redemptionem, et communicationem virtutum, quomodo antiquos baptizasse hæreticos testis est Irenæus, vel etiam in nomine trium principii expertium, vel in mortem Domini, vel aliis quibuscunque verbis, quam quibus Dominus baptismum ministrari præcepit, talem quidem baptismum D. Augustinus, non minus quam ipse Cyprianus, repudiavit. Et quidem ut recte observat S.

Basiliius, Τίνα οὖν λόγον ἔχει τὸ τούτων βάπτισμα ἐγκριθῆναι τῶν βαπτίζοντων εἰς Πατέρα, καὶ Υἱόν, καὶ Μοντανόν, ἢ Πρίσκιλλαν; οὐ γὰρ ἐβαπτίσθησαν οἱ εἰς τὰ μὴ παραδεδομένα ἡμῶν βαπτισθέντες. Quam ergo habet rationem verum eorum baptismum judicari, qui in Patrem et Filium, et Montanum vel Priscillam, baptizant?

[S. Bas. Ep. clxxxviii. ad Amphil. Can. i. Op. tom. iii. p. 269, D; et Pan. Can. tom. ii. p. 48, A.]

Non enim baptizati sunt, qui in ea, quæ nobis non traduntur, baptizati sunt. Idem dicatur de omni fere veterum hæreticorum baptismo, qui vel de Deo Patre, vel de Filio, vel de Spiritu Sancto, vel de Omnibus pessime sentientes in Singulorum Nomina baptizare non solebant. Hinc Concilium Arelatense I., anno Dom. CCCXIV. celebratum, in quæstione ista de hæreticorum baptismo definienda caute distinguit inter eos, qui in Nomine SS. Trinitatis, et eos qui aliter baptizati sunt: et priores quidem ad Ecclesiam se recipientes sola manuum impositione admittendos, alteros vero de integro baptizandos esse statuit. De Afris, inquit, quod propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut, si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.

[Conc. Arel. I. Can. viii. [Conc. tom. i. col. 1428, A, B.]

IV. Sed quandoquidem de S. Basilio sermo nobis instituitur, observandum præterea est, eum, qui eodem quo

[S. Bas. Ep. clxxxviii.]
Can. i. [Op. tom. iii. pp. 268, D, E, 269, A, B; et Pan. Can. tom. ii. p. 47, D, E, F.]

D. Augustinus seculo vixit, sed senior, omnium omnino hæreticorum baptismum repudiasset. Primo enim, inter hæreses, schismata, et illegitimos conventus distinguendum esse, et ab antiquis distinctum fuisse docet. Hæreses enim vocat, quæ de ipsa in Deum fide ab Ecclesia dissentiant; schismata quæ ob aliquas ecclesiasticas causas fiunt; illegitimos autem conventus istiusmodi appellat conventicula, quæ ab immorigeris presbyteris, vel ab indocto populo separatim ab Ecclesia Catholica celebrantur. Deinde eorum quidem, qui schismata aut conventicula faciunt, baptismum admitti posse affirmat, non item hæreticorum, quo nomine Manichæos, Valentinus, Marcionistas, et Pepuzenos vocat.⁵ Et de hæreticis in genere dicit, *Τούτους δὲ*

Can. xx. [S. Bas. Ep. excix. Op. tom. iii. p. 292, D, E; et Pan. Can. tom. ii. p. 77, D.]

Can. xlvi. [S. Bas. ib. 296, D; et Pan. Can. tom. ii. p. 104, E.]

[S. Bas. ib. p. 297, A; et Pan. Can. tom. ii. p. 104, F.]

δῆλον ὅτι ἄνευ βαπτίσματος ἡ ἐκκλησία οὐ παραδέχεται, Clarum est autem, quod tales Ecclesia non sine baptismate recipit. Quibus alibi accenset Enekratitas, Saccophoros, et Apotactitas, dicitque, *ἡμεῖς μέντοι ἐνὶ λόγῳ ἀναβαπτίζομεν τοὺς τοιοῦτους, nos autem una ratione tales rebaptizamus.* Quoniam scilicet *veluti Marcionistarum, inquit, germen est eorum hæresis, nuptias abhorrentium, et vinum aversantium, et Dei creaturam inquinatam esse dicentium,*⁶ *Οὐ δεχόμεθα οὖν αὐτοὺς εἰς τὴν ἐκκλησίαν, εἰ μὴ βαπτισθῶσιν εἰς τὸ ἡμέτερον βάπτισμα, Eos igitur in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum baptismum baptizati*

⁵ [Ὅτι τὰς μὲν αἰρέσεις ἀνόμασαν, τὰ δὲ σχίσματα, τὰς δὲ παρασυναγωγὰς. Αἰρέσεις μὲν, τοὺς παντελῶς ἀπὴρηγμένους, καὶ κατ' αὐτὴν τὴν πίστιν ἀπηλλοτριωμένους· σχίσματα δὲ, τοὺς δι' αἰτίας τινὰς ἐκκλησιαστικὰς καὶ ζητήματα ἰάσιμα πρὸς ἀλλήλους δινεχθέντας· παρασυναγωγὰς δὲ, τὰς συνάξεις τὰς παρὰ τῶν ἀνυποτάκτων πρεσβυτέρων ἢ ἱερισκόπων, καὶ παρὰ τῶν ἀπαιδύτων λαῶν γινομένας. Οἷον εἴ τις ἐν πταίσματι ἰξιστασθεῖς, ἱπισχίθη τῆς λειτουργίας, καὶ μὴ ὑπέκυψε τοῖς κανόσι, ἀλλ' ἑαυτῷ ἰξεδίκησε τὴν προεδρίαν καὶ τὴν λειτουργίαν, καὶ συναπῆλθεν τούτῳ τινεὶ καταλιπόντι τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν, παρασυναγωγὴ τὸ τοιοῦτο. Σχίσμα δὲ, τὸ παρὰ τῆς μετάνοιας διαφόρου ἔχου πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. Αἰρέσεις δὲ, οἷον ἡ τῶν Μανιχαίων, καὶ Οὐαλιντινῶν,

καὶ Μαρκιωνιστῶν, καὶ αὐτῶν τούτων τῶν Πιστουζηνῶν· εὐθύς γὰρ περὶ αὐτῆς τῆς εἰς Θεὸν πίστεως ἰστὶν ἡ διαφορὰ. "Ἐδοξε τοῖνυν τοῖς ἐξ ἀρχῆς, τὸ μὲν τῶν αἰρετικῶν παντελῶς ἀθετῆσαι· τὸ δὲ τῶν ἀποσχισάντων, ὡς ἔτι ἐκ τῆς ἐκκλησίας ὄντων, παραδίξασθαι· τοὺς δὲ ἐν ταῖς παρασυναγωγαῖς, μετάνοιαν ἀξιολόγῃ καὶ ἱπιστροφῇ βελτιωθέντας, συνάπτισθαι πάλιν τῇ ἐκκλησίᾳ.—S. Bas. Ep. clxxxviii. Can. i. Op. tom. iii. pp. 268, D, E, 269, A, B. Pan. Can. tom. ii. p. 47, D, E, F.]

⁶ [Ὅτι ἱπιδῆ, ὥσπερ Μαρκιωνιστῶν ἰστὶν ἀποβλάστημα ἢ κατ' αὐτοὺς αἰρέσις, βδελυσσομένην τὸν γάμον, καὶ ἀποστρεφόμενην τὸν οἶνον, καὶ τὴν κτίσιν τοῦ Θεοῦ μιμιασμένην εἶναι λιγόντων, κ. τ. λ. ut in textu.—S. Bas. Ep. excix. Can. xlvi. Op. tom. iii. p. 297, A; et Pan. Can. tom. ii. p. 104, F.]

fuertint. Μὴ γὰρ λεγέτωσαν, inquit, ὅτι εἰς Πατέρα, καὶ Υἱὸν, καὶ Ἅγιον Πνεῦμα ἐβαπτίσθημεν, οἷγε κακῶν ποιητὴν ὑποτιθέμενοι τὸν Θεὸν ἐφαμίλλως τῷ Μαρκίῳ, καὶ ταῖς λοιπαῖς αἰρέσεσιν. *Ne dicant enim in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum baptizati sumus, qui quidem Deum malorum esse effectorem existimant, instar Marcionis et reliquarum hæresium.* Unde constat S. Basilium alia atque Augustinum opinione ductum fuisse, quod et istorum, scilicet hæreticorum, baptismus repudiandus sit, qui, licet Evangelicis in baptizando verbis usi sunt, de Deo tamen male sentiunt. Quam quidem opinionem ex his ipsis, quos sub manibus habemus, Canonibus Apostolicis hausisse videtur, ut qui hæreticorum in genere baptismum respuentes, doctissimo Canonumque ecclesiasticorum observantissimo viro occasionem suspicandi præbuerunt, nullum plane eorum, qui Catholicæ de Deo Ecclesiæ dogmata impugnant, admittendum esse baptismum. Quod eo facilius inducor ut credam, quod idem sanctissimus Pater ecclesiasticorum de hac re editorum Canonum mentionem faciat, in primo ipsius ad Amphiloichium Canone:⁷ et in quadragesimo septimo mox ante citato, necesse dicit, ut si aliter se res habere existimetur, Canon Ecclesiæ ab Episcoporum Synodo exponatur. Ὡστε εἰάν, inquit, ἀρέσῃ τοῦτο, δεῖ πλείονας ἐπισκόπους ἐν ταύτῳ γενέσθαι, καὶ οὕτως ἐκθέσθαι τὸν κανόνα, ἵνα καὶ τῷ ποιήσαντι τὸ ἀκίνδυνον ᾖ, καὶ ὁ ἀποκρινόμενος τὸ ἀξιόπιστον ἔχη ἐν τῇ περὶ τούτων ἀποκρίσει, *Quamobrem si hoc placuerit, oportet plures convenire Episcopos, et sic Canonem exponere, ut et is qui fecit, sit extra periculum, et qui respondet, in responsione de his fide dignus habeatur.* Hinc enim liquet ecclesiasticum aliquem istis diebus exstitisse Canonem, quo sub pœna sancitum fuit, ne quis Episcopus aut presbyter hæreticorum baptismum susciperet. Qualis quidem est Canon Apostolicus XLVI. Episcopum et presbyterum hæreticorum baptismum suscipientes depositioni subjiciens, juxta quem propterea nemo extra periculum sit, qui id facit. Cumque alius in omni antiquitate hujusmodi non exstet Canon, S. Basilius hunc ipsum Apostolicum, cum ista scribebat, præ oculis habuisse nobis merito videtur. Tantæ porro apud piissi-

[S. Bas. Ep. cxcix. Can. xlvii. Op. tom. iii. p. 297, B; et Pan. Can. tom. ii. pp. 104, F, 105, A.]

⁷ [Ὁὐ γὰρ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς ὑπεύθυνοι χάριν ἰσμίν, ἀλλὰ δουλιύειν ἀκριβείᾳ κανόνων.—S. Bas. Ep. clxxxviii. Can. i.

Op. tom. iii. p. 270, D; et Pan. Can. tom. ii. p. 48, E.]

mum hunc Patrem auctoritatis fuit hic antiquus Canon, ut nihil contra latissimum illius sensum sine Episcoporum Synodo tentari velit. Adeo ut baptismum ab omnibus suæ etiam ætatis hæreticis ministratum pro nullo habendum esse doceat, quoniam nimirum hic Canon hæreticorum in genere baptismum repudiat. Verumenimvero Canon longe strictiori proculdubio sensu accipi potest, atque etiam debet. Cum secundo enim seculo vel tertii saltem initio conditus fuerit, tales duntaxat hæretici in eo intelligendi sunt, quales istis diebus exorti fuerant. Neminem autem istis seculis hæretici nomine notatum invenimus, præter eos, qui pestiferis et blasphemis de Deo Patre, vel Filio, vel Spiritu Sancto opinionibus imbuti erant; quique propterea baptismum juxta Dominicum præceptum in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti rite et Catholice conferre non poterant. Ac proinde Canon de omnibus, qui ob alias rationes postea hæreseos insimulati sunt, proprie intelligi non potest: sed de iis tantummodo, qui priorum, quibus constitutus est, seculorum hæreticis similes sunt. Quales paucissimi post quartum seculum exorti sunt. Utcunque e prædictis satis superque constat argumentum e S. Augustino prolatum nihil contra auctoritatem, nedum contra antiquitatem horum Canonum valere, præsertim cum ei S. Basilium opponamus, idem, quod hisce Canonibus latissime sumptis constituitur, acerrime defendentem.

V. Quod denique ad Nicænam spectat Synodum, miror quid erudito viro acciderit, ut eam etiam in gravissimo errore versari assereret, si quæ his Apostolicis Canonibus constituuntur vera sunt. Nihil enim apertius esse potest, quam Canonibus Nicænis cum Apostolicis de rejiciendo hæreticorum baptismo optime convenire. Ut Canones enim Apostolici omnium generatim hæreticorum, qui duobus primis æræ Christianæ seculis exorti sunt, baptismum explodunt, eosque, qui ab istis baptizati sunt, si ad Ecclesiam Catholicam convertantur, de integro baptizandos esse decernunt; sic etiam Patres Nicæni de Paulianistis, qui antiquis istis hæreticis simillimi suis demum ipsorum diebus Ecclesiam infestabant, speciatim constituunt, ut conversi denuo baptizentur. *Περὶ τῶν, ἰνὸν, Παυλιανισάντων, εἴτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτίθεται, ἀναβαπτίζεσθαι*

Can. Nic.
XIX. [Pan.
Can. tom. i.
p. 82, B.]

αὐτοὺς ἐξάπαντος. *De Paulianistis, qui ad Catholicam demum Ecclesiam confugerunt, statutum est, ut ii omnino rebaptizentur.* Quid, quæso, in hoc Nicæno Canone Apostolicis contrarium? Annon idem plane hic de quarti seculi, quod ibi de primi et secundi hæreticis constituitur? Quin imo inquit vir doctus, *Synodus Nicæna solos ex omnibus hæreticis Paulianistas rebaptizandos pronuntiavit.* Quid ita, amabo? an quod solos Paulianistas nominet? id enim dicendum est. At qui Paulianistas rebaptizandos pronunciarunt, eo quod antea haud rite vel non omnino potius in Christianam fidem baptizati fuerant, iidem sane omnium, qui Paulianistis similia vel pejora sentiebant, hæreticorum baptisma frustraneum et nullum fuisse, eodem halitu pronunciarunt. Paulianistas enim nominatim baptizandos esse decernunt, non quod isto nomine nuncupati, sed propterea quod Pauli Samosatani hæresi infecti essent; æternam Christi divinitatem negantes, Eumque nudum esse hominem ore blasphemo prædicantes. Hanc enim impiam fuisse Pauli Samosatani opinionem in Annotationibus ad hunc Nicænum Canonem fuse probatum dedimus.⁸ Unde etiam constat, eum anti-

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 18, p. 637.]

Hist. Eccles. lib. v. cap. 28. [p. 251.]

⁸ [“ Hæresis ejus in hoc præcipue versata est, quod, antiquam Artemonis opinionem renovans, æternam Christi Divinitatem, et Personarum proinde Trinitatem denegavit. Hoc si palam faciamus, hic Canon a malevolorum hominum calumniis clarissime vindicabitur. Paulum autem Samosatenum Dominum nostrum Jesum Christum merum prædicasse hominem luculentissimos habemus testes. Eusebius enim de eo loquens ait, Τούτου δὲ ταπεινὰ καὶ χαμαιαισιτῆ περὶ τοῦ Χριστοῦ παρὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν διδασκαλίαν φρονήσαντος, ὡς κοινοῦ τὴν φύσιν ἀνθρώπου γινομένου, ὁ μὲν κατ’ Ἀλιζάνδριαν Διονύσιος παρακληθεὶς ὡς ἂν ἐπὶ τὴν σύνοδον ἀφίκοιτο, κ. τ. λ.—Euseb. Hist. Eccles. lib. vii. cap. 27, [p. 357.] . . . Concilium Antiochenum, contra hunc hæresiarcham anno Dom. cclxxii. congregatum, in Epistola Synodica diserte asserit, quod iste Paulus, τὸν μὲν

τὸν τοῦ Θεοῦ οὐ βούλεται συνομολογῆν ἐξ οὐράνου κατιληθῆναι, apud Euseb. Hist. Eccles. lib. vii. cap. 30, [p. 362.] Et quod λίγυι Ἰησοῦν Χριστὸν κάτωθιν. Ibid. Theodoretus, Ἀρτίμων δὲ καὶ Θεόδοτος, καὶ Σαβίλλιος, καὶ Παῦλος ὁ Σαμοσατιεὺς, καὶ Μάρκελλος, καὶ Φωτεινὸς εἰς τὴν ἰναντίαν ἐξ διαμίτρου βλασφημίαν κατίτισσον. Ἀνθρώπων γὰρ μόνον κηρύττουσι τὸν Χριστὸν, τὴν δὲ πρὸ τῶν αἰώνων ὑπάρχουσαν ἀρνοῦνται Θεότητα. Theodoret. Inconf. Dial. ii. [Op. tom. iv. p. 79.] Et alibi, Φωτεινὸς γὰρ καὶ Μάρκελλος, καὶ ὁ ἐκ τῶν Σαμοσάτων Παῦλος, ἄνθρωπον μόνον εἶναι λίγουσι τὸν Κύριον ἡμῶν καὶ Θεόν. Id. Epist. civ. ad Flavian. [Ibid. p. 1174].”—Bev. Annot. ad Can. Nic. xix. Annot. ad Pan. Can. pp. 85, 86. Pan. Can. tom. ii. ad fin. Eutychium quoque et Abulpharagium auctores Arabicos in eandem sententiam ibidem citat.]

etiam Eusebius. Cum ex antiquis igitur istis, quorum baptismus in Canonibus Apostolicis rejectum est, hæreticis nonnulli sub Paulianistarum nomine Synodi Nicænæ tempore inventi essent ad Ecclesiam Catholicam confugientes, Synodus, re cognita, eos vero Christi baptismum recipiendos esse decernit, antiquos scilicet renovans et confirmans Canones in eos, qui antiquas hæreses in istis Canonibus damnatas renovabant; in omnes nimirum Παλιανιστας, *Paulianizantes*, hoc est qui vel easdem, quas Paulus Samosatenus, vel similes opiniones amplexi sunt. Sub quo propterea nomine non modo Pauli istius, verum et Theodoti, Sabellii, aliorumque hæresiarcharum assectæ comprehensi sunt; omnes scilicet, qui Christi divinitatem, et Personarum in Divina natura Trinitatem negantes, baptismum juxta Domini præceptum in Nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti rite administrare non poterant. Quorum propterea baptismus jure meritissimo repudiatur. Et siquidem Patres Nicæni hoc de Paulianistis decretum ediderint, nemini dubium esse potest, quin omnes etiam antiquos hæreticos, ut Valentinianos, Basilidianos, Marcionistas, Cerinthianos, Dositheanos, Carpocratianos, Cataphrygas, Quintillianistas, Praxeanos, Hermogenianos, aliosque, qui duobus prioribus Christianismi seculis Paulianistis similes, vel, si fieri potuit, pejores de Deo Christoque opiniones effuditabant, Synodus Nicæna nominatim baptizandos pronunciasset, si istis iterum diebus erupissent. Eadem enim fuit de omnibus istiusmodi hæreticis eorumque baptismis, quæ de Paulianistis, ratio. Sed observandum præterea est, Canonem istum Nicænum, æque ac Apostolicos, ordinationem, non minus quam baptismum, hujusmodi hæreticorum repudiasse. Quemadmodum enim Canon Apostolicus LXVIII. dicit: Τῆς ταρᾶ τῶν τιμῶν διαπιστώσεως ἢ χριστοδοξίας, ἢτε πατρὸς, ἢτε ἀληθείας ὄναι ἡνωτῶν, καὶ ἐπιπλὴν αὐτῶν ἁγιάζονται καὶ ὀνομαζοῦνται, ὡς παρὰ τὸν Θεόν, καὶ παρὰ τὸν Χριστὸν, καὶ παρὰ τὸν Ἅγιον Πνεῦμα, καὶ ἅμωθεν, καὶ ἁποδιδόμενοι τῷ Θεῷ καὶ Χριστῷ καὶ Ἁγίῳ Πνεύματι, ὡς ἐν ἑνὶ Θεῷ καὶ ἑνὶ Κυρίῳ καὶ ἑνὶ ἁγίῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ καὶ ἀχωριστῷ καὶ ἁποδίδομενῳ καὶ ἁποδιδόμενῳ, οὗτοι ὄντες ἅπαντες ἁγιάζονται καὶ ὀνομαζοῦνται, ὡς παρὰ τὸν Θεόν, καὶ παρὰ τὸν Χριστὸν, καὶ παρὰ τὸν Ἅγιον Πνεῦμα, καὶ ἅμωθεν, καὶ ἁποδιδόμενοι τῷ Θεῷ καὶ Χριστῷ καὶ Ἁγίῳ Πνεύματι, ὡς ἐν ἑνὶ Θεῷ καὶ ἑνὶ Κυρίῳ καὶ ἑνὶ ἁγίῳ καὶ ἀδιαιρέτῳ καὶ ἀχωριστῷ καὶ ἁποδίδομενῳ καὶ ἁποδιδόμενῳ. Unde non modo constat, Patres Nicænos idem atque Canones Apostolicos de istiusmodi hæreticorum

[*Can. Apo. tom. I. p. 46. D.*]

[*Can. Nic. XXX. IIII. p. 82. B.*]

baptismo et ordinatione sensisse, verumetiam exinde suspicari licet, decretum hoc Nicænum nihil aliud esse, quam Canones Apostolicos Paulianistis accommodatos, et de iis speciatim expositos. Cum Canones enim Apostolici antiquorum generatim hæreticorum baptismum atque ordinationem nihil valere decrevissent, alique post istorum Canonum editionem exorti sint hæretici, Paulianistæ dicti, antiquis illis simillimi, Synodo universali necessarium visum est, veteres illos de hæreticis in genere loquentes Canones de Paulianistis postea exortis in specie explicare, et sancire, ut, juxta quod antiquitus statutum fuerat, istorum etiam tam baptismus, quam ordinatio, nullo in numero habeatur. Patet saltem, quod Canonum Apostolicorum non tantum antiquitas, sed et auctoritas ex hoc Nicæno iis consentiente usque adeo non evertitur, ut egregie potius confirmetur.

VI. Posthæc clarissimus vir alia nonnulla contra utramque Canonum Apostolicorum partem argumenta profert. Quorum primum ex eo petit, quod hæc Canonum sylloge non fuerit a veteri Ecclesia in Canonem scripturarum Apostolicarum relata.⁹ Hoc autem non nostram sed Turriani tantummodo sententiam perstringit, hos Canones ab ipsis Apostolis conditos asserentis. Alterum argumentum ex eo sumitur, quod non fuerunt isti Canones ecclesiasticorum Canonum Codici inserti a veteribus,¹ de qua re in primo hujus tractatus libro fuse a nobis disputatum est. Ultimo autem contra ipsam horum Canonum antiquitatem ex eo disputat, quod omnes, ut inquit, isti Canones omnibus quatuor priorum seculorum Christianis ignoti fuerint, quodque a nullo istorum temporum scriptore uspiam memorati reperiantur.² De hoc autem toto præcedenti libro dis-

Dall. de
Pseud. lib.
iii. capp. 19,
20.

⁹ ["Concludamus non esse hunc, qui dicitur, Apostolorum librum, qui si esset scilicet, ab omnibus Christianis, præsertim vero a vetustissimis, et Apostolico ævo proximis in sacrum Scripturarum Canonem haud dubie relatus esset; quod tamen a nemine sex primorum, ac ne reliquorum quidem, post sextum, seculorum (si unum Damascenorum exceperis) factum esse satis constat."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 19, pp. 645, 646.]

¹ ["Ex his jam satis, ni fallor, constat totis prioribus quinque Christianismi seculis, neque apud Græcos, neque apud Latinos, in Codice Ecclesiæ inter publicas regulas exstitisse ullam Apostolicorum Canonum syllogen, sive priorem Dionysiacam, quæ L. tantum Canonum est, sive posteriorem Græcanicam, quæ triginta quinque capitulis auctior est."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 19, p. 657.]

² ["Hoc Eusebii, hoc Hieronymi

seruimus, et non modo hosce Canones a quamplurimis istorum temporum scriptoribus memoratos gravissimis ipsorum testimoniis ostendimus, verum ista etiam testimonia ab omnibus tam Dallæi quam Observatoris exceptionibus vindicavimus. Proinde non opus est, ut hisce argumentis aliud hoc in loco responsum detur.

(ut cæteros taceam, quorum omnium eadem fuit oblivio) silentium omni voce clarius clamat, omni que sermone disertius loquitur nullos ab Apostolis editos, nullos a Clemente scriptos istos Canones. Alterum secundo hic loco observandum est, quod cum quatuor istorum primorum seculorum Patres, et in synodicis actis sæpe, et in propriis singuli operibus interdum quædam vel constituent, vel commemorant, quæ

in ea, quam habemus, Apostolicorum Canonum sylloge decreta quoque, ac perscripta leguntur, nullus tamen hujus generis locus occurrit, in quo veteres illi auctores hujus Apostolicæ sylloges vel verba nominatim citent, ac describant, vel saltem Canonis, in quo id ipsum, quod præcipiunt, decernitur, numerum annotent."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 20, p. 661.]

FINIS LIBRI SECUNDI.



CODICIS CANONUM ECCLESIAE PRIMITIVÆ
VINDICATI AC ILLUSTRATI,
LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Synopsis.

- I. Canon Apost. LXIX. de Quadragesimali, necnon quartæ, sextæque feriæ jejunio, hoc libro vindicatur.
- II. Jejunium Quadragesimale ante annum Dom. CCCLXX. passim celebratum fuisse, ipse fatetur Dallæus. Idem ante annum Dom. CCCLXV. observatum fuisse, e Synodo Laodicena probatur.
- III. Synodus Nicæna Quadragesimam, non minus quam autumnii tempus, ubique et omnibus notam supponit.
- IV. Id ipse Dallæus negare nequit. Quod nostræ de Canonum Apostolicorum antiquitate opinioni vindicandæ satis est.

I. ETIAMSΙ Dallæus contra totam Canonum Apostolicorum collectionem stylum suum exercuerit, id tamen paucorum tantum gratia fecisse videtur. E quorum numero nonus supra sexagesimum jure merito censeatur; quippe qui de jejunio quadragesimali, de quartæ item et sextæ feriæ jejunio agit, quæ primitivæ Ecclesiæ incognita prorsus, vel saltem non religiose observata fuisse, ille in singulari libro demonstrare conatus est. Hanc itaque quæstionem, quatenus Canones Apostolicos attingit, nos summa, qua possumus, brevitate expedire moliemur. Canon autem de hac re agens sic jubet, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν τοῦ Πάσχα οὐ νηστεύει, ἢ τετράδα, ἢ Παρασκευὴν, καθαιρείσθω· ἐκτὸς εἰ μὴ δι'

[Vide supra, p. 112.]

Can. Apost. lxi. [Pan. Can. tom. i. p. 45, A.]

ἀσθένειαν σωματικὴν ἐμποδίζοιτο· εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω. *Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel lector, vel cantor, sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunit, vel quartam vel Parasceven, deponatur, præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur. Si sit vero laicus, segregetur.* Hunc Canonem Ecclesiæ primitivæ moribus ac institutis per omnia consonare contendimus. Cum autem duabus constet partibus, quarum una de Quadragesima, altera de quarta et Parasceve agit, nos sigillatim de iis disputabimus, a jejunio quadragesimali, ut prius hic nominato, ordientes.

II. Primo autem, jejunium quoddam plurium ante paschalem festivitatem hebdomadam, ante septuagesimum quarti seculi annum, vulgo, et passim ab Ecclesia celebratum fuisse, ex D. Ambrosii, Basilii M., Cyrilli Hierosolymitani, Epiphani, Gregorii Nazianzeni, et Nysseni, Chrysostomi, Augustini, Hieronymi, Theophili Alexandrini, aliorumque, qui ante prædictum vixerunt annum, opusculis, et commentariis usque adeo constat, ut ipse etiam Dallæus illud negare nequeat, sed tantorum virorum testimoniis victus, ingenuè confessus est, in singulari isto libro, quem De Jejuniiis et Quadragesima edidit.¹ Quo quidem libro cum se totum contra jejunia ecclesiastica opposuerit, omniaque congesserit argumenta, quæ eorum antiquitatem quovis modo elevare videantur, istum imprimis in hac discutienda controversia consulamus, et objectionibus ibidem allatis respondeamus necesse est, si hunc Apostolicum Canonem ea, qua par est, fidelitate vindicare velimus. Quæ enim in libro de Pseudepigraphis hucusque citato ad hunc

[Dall. de Jej.
et Quad.]
lib. iii. cap.
10, [p. 501.]

¹ [“ Cæterum non negamus circiter hæc tempora, id est iis triginta annis, qui a CCCXL. ad CCCLXX. fluxerunt, illud paschalis hebdomadis jejunium sic paulatim productum excrevisse, ut passim apud plerosque quadraginta dies ante Paschæ celebritatem observarentur.”—Dall. de Jejun. et Quad. lib. iii. cap. 10, p. 498.

“ Ab his temporibus Quadragesimæ jejunium plurium ante Pascha hebdomadam in usu passim apud Christianos

fuisse confitemur. Quo pertinent illa tam multa ab adversariis laudata Ambrosii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, et Nysseni, Cyrilli Hierosolymitani, Chrysostomi, Epiphani, Theophili Alexandrini, Hieronymi, Augustini, Paulini, Cassiani, Maximi, Leonis, Chrysologi, Dorothei, Gregorii Magni, et aliorum testimonia; quos omnes infra annum quarti seculi septuagesimum vixisse constat.”—Dall. de Jejun. et Quad. lib. iii. cap. 10, p. 501.]

Canonem objecit, pauca, vel potius nulla sunt eorum respectu, quæ in peculiari isto tractatu, toto de jejuniis conscripto, ex omni antiquitate corradere omnem pro virili machinam adhibuit. In hoc ipso autem libro, capite supra laudato, ingenue, ut diximus, confessus est, Quadragesimam ante annum CCCLXX. passim celebratam fuisse. Ob quam quidem concessionem nullas ei debemus gratias, quandoquidem non modo Patres a nobis recensiti illud sæpe numero asseruerint, verumetiam Synodus Laodicensis extra controversiam posuit; utpote quæ et Quadragesimæ, et plurimum e quibus constitit hebdomadam sæpe meminit.

Edicit enim, "Ὅτι οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον, *Quod non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, et Dominica tantum.* Item,

Can. Laod. xlix. [Pan. Can. tom. i. p. 476, B.]

"Ὅτι οὐ δεῖ μετὰ δύο ἐβδομάδας τῆς τεσσαρακοστῆς δέχεσθαι εἰς τὸ φώτισμα, *Quod non oportet post duas Quadragesimæ hebdomadas ad baptismum admitti.* Item, "Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ τῇ ὑστέρᾳ ἐβδομάδι τὴν πέμπτην λύειν, καὶ ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν ἀτιμάζειν, ἀλλὰ δεῖ πᾶσαν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ζηροφαγοῦντας. *Quod non oportet in Quadragesimæ postrema septimana quintæ feriæ jejunium solvere, et totam Quadragesimam dehonore.* Sed oportet totam Quadragesimam

Can. xlv. [Pan. Can. tom. i. p. 474, C.]
Can. i. [p. 476, D.]

jejunare aridis vescentes. Ne nuptiæ denique, nec natalitia in Quadragesima celebrentur, jubet.² In quibus, ut videre licet, Canonibus, non tantum Quadragesima in genere, sed et secunda, necnon ultima Quadragesimæ septimana commemoratur. Unde clarissime conficitur, Quadragesimam in plures septimanas distributam, totamque Synodi istius tempore religiose admodum observatam fuisse. Habita est autem Synodus ista Laodicensis juxta opinionem nostram in Annotationibus explicatam anno circiter CCCLXV.³ Dal-

Can. ii. iii.

² [Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ μαρτύρων γενέθλια ἱππιλιῖν, ἀλλὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων μνήμας ποιεῖν ἐν τοῖς σαββάτοις καὶ κυριακαῖς.—Can. Laod. li. Pan. Can. tom. i. p. 477, C.]

"Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ γάμους ἢ γενέθλια ἱππιλιῖν. — Can. Laod. lii. Ib. F.]

³ ["Quanto autem tempore post Synodum istam Antiochenam, vel quoto

Dom. anno celebrata fuit, vix certe definiri potest; sed si conjecturis locus datur, quid nobis visum est, paucis expediamus. Primo itaque ex omnibus inscriptionibus horum Canonum super allatis constat, hanc Synodum in Phrygia Pacatiana ex diversis Asiæ regionibus sive provinciis conflata esse. Deinde æque certum est, nonnullos, Valentiniano et Valente imperantibus,

læus anteriorem aliquantulum facit, in annum circiter CCCLX. eam conjiciens.⁴ Ac proinde diffiteri non potuit, quin Quadragesima quarto saltem præcipiti seculo passim celebrata fuerit. Quod etiamsi nostræ de Canonibus Apostolicis opinioni confirmandæ non sufficiat, ex eo tamen colligere est, illud, quod in præsentī Canone constituitur, in Ecclesia obtinuisse, longe ante quintum adultum seculum,

in Asia et Phrygia doctrinam fidei in controversiam vocasse, quod Synodo in Illyrico cogendæ occasionem dedit, ut Theodoretus diserte asserit his verbis, de Valentino loquens, *Μαθὼν δὲ τινὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ καὶ ἐν τῇ Φρυγίᾳ περὶ τῶν θείων ἀμφισβητοῦντας δογματῶν, ἐν μὲν τῇ Ἰλλυρικῇ σύνοδον γενέσθαι προσέταξεν.* Theod. Hist. Eccles. lib. iv. cap. 7, [p. 154.] Synodo congregata, ipsi Imperatores literas miserunt ad diœcesim Asianam, sic inscriptas, *Ἀυτοκράτορες μέγιστοι, αὐσίβαστοι, κηται, Ἀύγουστοι, Οὐαλιντιανὸς, καὶ Οὐάλης, καὶ Γρατιανὸς ἐπισκόποις διοικήσεως Ἀσιανῆς, Φρυγίας, Καροφρυγίας, Πακατιανῆς, ἐν Κυρίῳ χαίρειν.* [Ib. cap. 7, p. 154.] Ipsa etiam Synodus synodicam ad eosdem Episcopos epistolam misit, sic inscriptam, *Οἱ ἐπισκοποὶ τοῦ Ἰλλυρικοῦ ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐπισκόποις διοικήσεως Ἀσιανῆς, Φρυγίας, Καροφρυγίας, Πακατιανῆς, ἐν Κυρίῳ χαίρειν.* Cap. 8, [pp. 157, 158.] Cum igitur hæ duæ epistolæ ad Episcopos Asiæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ, scriptæ fuerint, eos, ex diversis istis Asiæ diœceseos provinciis, ad Synodum in Laodicea Phrygiæ metropoli convenisse verisimile est, ut de rebus in istis epistolis comprehensis, de fide nimirum Consubstantiali in controversiam a nonnullis tunc dierum vocata, inter se disserent, eamque confirmarent, prout in istis literis ab iis postulatum est. Suspicio igitur hos Canones a Synodo tunc temporis habita constitutos esse, hoc est, anno Dom. CCCLXV. Nam et isto currente anno supradicta in Illyrico Synodus celebrata fuit.

Huic conjecturæ aliquid accrescit roboris ex ipsa synodica Epistola ad Episcopos Asianos missa, utpote in qua Synodus illa Illyrica eos admonuit, ut istiusmodi eligerentur Episcopi, qui probata fide et moribus inculpatissimos essent. Hoc enim et ab ipsa hac Synodo definitur, Can. xii. [Pan. Can. tom. i. p. 458, D.] Quod denique a nobis conjectum est, verisimilius adhuc ex eo videtur, quod nihil in ecclesiasticis historiis occurrit, Synodo ex diversis Asiæ diœceseos provinciis congregandæ occasionem istis diebus præbens, præter literas illas ab Imperatoribus et Synodo Illyrica illuc missas; ut si non certum sit, saltem probabile est, hanc Synodum illis diebus, hoc est, anno Dom. CCCLXV., plus minus, habitam fuisse; cujus propterea Canones post Antiochenos merito collocantur.—Bev. Annot. ad Præf. Can. Laod. Annot. p. 193. Pan. Can. tom. ii. ad fin.]

⁴ [“Imo nonnisi post exortum et damnatum Photinianorum nomen, annis post Nicænam minimum xxxv., habitam fuisse jam ex superioribus constat; ut quæ de Quadragesima habet non in aliud tempus conjici debeant, quam in A.D. circiter CCCLX.”—Dall. de Jejun. et Quad. lib. iii. cap. 10, p. 501. “Baronius autem,” (ut refert Beveregius,) “et ex eo Binius, eam medio tempore inter Neocæsariensem et Nicænam collocat.” “Alii” (ut legimus Conc. tom. i. col. 1495.)²⁴ rectius sub Liberio circa annum CCCLXIV., aut CCCLVII. Alii denique sub Damaso, A.D. CCCLXVII.”]

quo Dallæus hanc collectionem primo consarcinatum esse contendit.

III. Quod si jejunium quadragesimale quarto labente seculo, ipso etiam Dallæo iudice, usu publico receptum fuerit, vix dubium esse potest, quin eodem ineunte in Ecclesia celebratum esset. Nihil enim in omnibus, quæ habemus, istius seculi monumentis occurrit, unde suspicari licet, hunc ritum, isto demum currente, nondumque adulto seculo, primum institutum fuisse, et ab Ecclesia susceptum. Si quid enim hujusmodi occurrisset, Dallæus, qui nullum non movit lapidem, quo jejunii hujus antiquitatem everteret, illud procul omni dubio lætus protulisset. Quod tamen nullus fecit. Sed nihilominus *profiteri ausus est*, ut ipse ait, *non videri Quadragesimam in publico Christianorum usu ante Synodum Nicænam, hoc est, ante annum Domini CCCXXV. exstitisse.*⁵ Hoc ille totidem verbis profitetur. Quo tamen nihil inconsideratius, nihil falsius efferri potuit: ut ex ipsa illa Synodo Nicæna videre est: quippe quæ Canone quinto duas quotannis in unaquaque provincia Synodos ad ecclesiasticas lites componendas celebrari jubens, tempestates, quibus celebrandæ sunt, his verbis definit: *Αἱ δὲ σύνοδοι γινέσθωσαν, μία μὲν πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς, ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης, τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται τῷ Θεῷ· δευτέρα δὲ κατὰ τὸν τοῦ μετοπίωρου καιρὸν.* *Synodi autem fiant, una quidem ante Quadragesimam, ut, omnibus animi sordibus sublatis, purum munus Deo offeratur. Secunda autem circiter autumnī tempus.* Ex his autem verbis vel cæcus videat, Quadragesimam istis diebus æque cognitam fuisse atque ipsum autumnī tempus, ut cui hic opponitur. Omnes saltem Patres, qui huic Synodo intererant, in hoc primæ anniversariæ Synodi constituendo tempore non potuissent convenire, nisi Quadragesimam in suis cujusque provinciis quotannis celebratam fuisse probe nossent. Illi autem ex omnibus propemodum tunc dierum cognitis terræ provinciis in hanc Synodum con-

De Jejun. et
Quad. lib. iii.
cap. 9, [p.
480.]

Can. Nic. V.
[Pan. Can.
tom. i. p. 64,
B, C.]

⁵ ["Illud quidem profiteri ausim non videri eam in publico Christianorum usu ante Nicænam Synodum (hoc est ante A.D. CCCXXV.) exstitisse. Certe

nulla ante id tempus clara, et vera, atque indubitata ejus documenta ab adversariis adferuntur." — Dall. de Jejun. et Quad. lib. iii. cap. 9, p. 480.]

[Vide Subscriptionem
Episcoporum, qui huic
Concilio interfuerunt,
Conc. tom. ii.
coll. 50-54.]

gregati sunt. Ex Ægypto, Thebaide, Libya, Palæstina, Syria, Arabia, Mesopotamia, Perside, Cilicia, Cappadocia, Armenia, minori majorique, Ponto Polemoniaco, Paphlagonia, Galatia, Asia Proconsulari, Lydia, Phrygia, Pisidia, Lycia, Pamphylia, Insulari, Caria, Isauria, Cypro, Bithynia, Europa, Dacia, Mysia, Macedonia, Achaia, Thessalia, Calabria, Africa, Dardania, Dalmatia, Pannonia, Galliis, Gothia, et Bosphoro, ut ex Actis patet. In omnibus ergo his provinciis, adeoque per omnem fere terrarum orbem, ubi Christiana religio colebatur, Quadragesimam cognitam, observatamque fuisse ante hanc Synodum Nicææ coactam, unus hic Canon ab eadem editus fidem plenissimam facit. Et si quæ aliæ essent provinciæ, sive Ecclesiæ, quæ nullos ad hanc Synodum Episcopos miserant, istis etiam Quadragesimæ non minus quam autumnus tempus notum esse Synodus hoc in loco pro concessio sumit. Cavet enim, ut hæc duo Concilia dictis temporibus καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν quotannis habeantur. Καλῶς, inquit, ἔχειν ἔδοξεν, ἐκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν δις τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι. Adeo ut omnes ubicunque constitutæ Ecclesiæ hoc decreto obstringerentur. Quomodo autem hoc fieri potuit, si Quadragesima, ante quam una ex hisce Synodis perpetuo celebranda erat, nondum cognita esset, prius quam prima hæc universalis Synodus Canonem istum divulgaret? Vel quis eo credulitatis pervenit, ut fidem Dallæo habeat, asserenti, profitenti, vel etiam juranti Quadragesimam in publico Christianorum usu ante Synodum Nicænam non exstitisse, cum ipsa Synodus Nicæna ejusdem, ut certæ anni tempestatis omnibus et ubique cognitæ, mentionem fecerit? Quam ridiculum enim et absurdum fuisset, præcipere, ut Synodus καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν ante Quadragesimam quotannis cogeretur, nisi ipsa etiam Quadragesima καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν celebrata fuisset? Quod si omnes ubique provinciæ Quadragesimam ante celebrassent, atque ita pro comperto habuissent, quo anni tempore prima hæc anniversaria Synodus juxta decretum Nicænum convocanda esset (quod quidem ex hoc ipso Canone certissimum efficitur) cuinam unquam cauto prudentique viro persuadebit Dallæus Quadragesimam ante ipsam hanc Synodum in publico Ecclesiæ usu non exstitisse? Si talis

[Can. Nic. V.
Pan. Can.
tom. i. p. 64,
B.]

quidem tamque diserta universalis Concilii sanctio, quæ Quadragesimam omnibus notam et percelebratam fuisse pro certissimo sumit, eam nihilominus ante exstitisse non probet, de veteris Ecclesiæ moribus frustra contendimus. Prorsus enim impossibile est, ut quivis ritus ab Ecclesia primitiva usitatus, dicam et quodvis antehac actum, dilucidiori fortiorive argumento adstruatur.

IV. Verum Dallæus etiamsi loco ante citato de Quadragesima in genere tanquam ante Nicænam Synodum prorsus incognita loquatur, se tamen postea recolligens, Canonemque Nicænum attentius, ut opinor, inspiciens, limitationem necessario adhibendam esse vidit. Negare enim non potuit, quin Quadragesima, ut hoc Apostolico Canone memorata, ante exstitisset vulgo cognita: sed negat tantummodo talem antea exstitisse Quadragesimam, qualis a Romana, aliisque hodie Ecclesiis celebratur, quadraginta scilicet dierum. *Sed neque*

ipse, inquit ille, Nicænæ Synodi Canon, si penitus inspiciatur, ad firmandam istorum Quadragesimam sufficere videtur. Fatetur itaque; Quadragesimam, etsi non 'istorum,' hoc Nicæno Canone firmatam esse. Quod quidem nobis causæque nostræ abunde sufficit. Apostolicus enim, quem defendimus, pariter atque Nicænus Canon de Quadragesima tantum generatim agit, non de hac vel illa, ut ab Ecclesia aliqua particulari celebrata. Contra quem nihilominus perinde disputat vir doctissimus, ac si illud statuisset, quod omni antiquitati incognitum plane esset, et inauditum. *Contra*

vero, inquit, hunc antiquitati ignotum fuisse Canonem recte ex eo concluditur, quod et vetustissimi Quadragesimam minime observarent tribus prioribus Christianismi seculis. Qua ratione hoc affirmarit non video, cum ipse diffiteri nequeat, Synodum Nicænam quarto ineunte seculo coactam de Quadragesima, tanquam omnibus cognita atque observata, meminisse. Ut illud enim quarto ineunte seculo omnibus observaretur, quod tribus prioribus minime observatum fuerit, sapientis cujusque fides ut incredibile prorsus et absurdum respuit. Adeo ut, si aliud non suppeteret argumentum, hoc ipsum a primo generali Concilio editum decretum aliqualem ante istam Synodum observatam fuisse Quadragesimam luculentissime demonstret. Quod quidem Apostolicum hunc Canonem a novitatis suspicione est vindicando; quippe qui

[Dall. de
Jejun. et
Quad. lib. iii.
cap. 9, p.
481.]

[Ibid. de
Pseud. lib.
iii. cap. 13,
p. 578.]

Quadragesimæ eodem plane quo iste Nicænus modo, sub simplici scilicet τῆς τεσσαρακοστῆς nomine, mentionem faciat. Qualis autem Quadragesima in Canone vel Nicæno, vel Apostolico intelligenda sit, et utrum talis fuerit, qualem Bellarminus, Perronius, aliique, quos oppugnat Dallæus, defendunt, nihil est quod nos laboremus, qui non de Romana sed primitiva Ecclesia disputamus.

CAPUT II.

Synopsis.

- I. *Quadragesimam a Synodo Nicæna memoratam unius, vel duorum, vel ad summum sex dierum fuisse opinatur Dallæus, eamque opinionem duabus conatur firmare rationibus: quibus respondetur. Quid per 'purum munus' isto tempore oblatum intelligendum sit.*
- II. *Eodem quo habita est Synodus Nicæna seculo, Quadragesimam quadraginta dierum fuisse, ex D. Ambrosio, Gregorio Nazienzeno, aliisque demonstratur.*
- III. *Exinde Quadragesimam a Synodo Nicæna memoratam quadraginta dierum fuisse legitime concludatur.*
- IV. *Idem ex ipsa voce τεσσαρακοστή a Synodo usitata evincitur.*

I. AT videamus tamen nihilominus qualem in Nicæno Canone Quadragesimam sibi fingat eruditus vir. Fatetur equidem hoc nomine id jejunium intelligi, quod ante Pascha passim omnibus celebrari solebat, quod τὴν νηστείαν τοῦ Πάσχα vocat Clemens, Gangrensis vero Synodus, eodem fere quo Nicæna habita tempore, τὰς παραδεδομένας νηστείας εἰς τὸ κοινόν, καὶ φυλασσομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, *Tradita in commune jejunia, et ab Ecclesia observata.* Quæ denique Constantinus apud Socratem τὰς ὠρισμένας νηστείας, *jejunia definita*, appellat.¹ An vero hoc jejunium, inquit vir doctus, quod hactenus unius, vel alterius diei, aut sex ad summum dierum fuerat, tum temporis

[Const. Ap. lib. v. cap. 13. Cot. Pat. Ap. tom. i. p. 316.]
[Can. Gan. xix. Pan. Can. tom. i. p. 425, C.]
[Soer. Hist. Eccles. lib. i. cap. 9, p. 33.]
Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, [p. 482.]

¹ [“Hoc nomine fateor id jejunium intelligi, quod ante Pascha passim ab omnibus celebrabatur, quod τὴν νηστείαν τοῦ Πάσχα, *Paschæ jejunium*, vocat Clemens; Gangrensis vero Synodus, eodem fere, quo Nicæna, tempore habita, τὰς παραδεδομένας νηστείας

εἰς τὸ κοινόν, καὶ φυλασσομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, *tradita in commune jejunia, et ab Ecclesia observata*; quæ denique Constantinus apud Socratem, τὰς ὠρισμένας νηστείας, *jejunia definita*.”—Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, p. 482.]

quadraginta dierum fuerit, non definit Synodus. Imo non fuisse quadraginta dierum vero propius videtur. Hæc est Dallæi de Quadragesima a Canone Nicæno memorata opinio, quod scilicet etiamsi vocetur, non tamen erat Quadragesima, sive quadraginta dierum jejunium, sed jejunium unius vel alterius, vel ad summum sex dierum. Jejunium igitur antepaschale Synodi Nicænæ tempore celebratum, et ab eadem Canone supra laudato indicatum fuisse fatetur. Sed affirmat tantummodo hoc non quadraginta fuisse dierum, sed incerti, nescit quantilli, sed longe minoris numeri. Cum vero Synodus jejunium istud τὴν τεσσαρακοστὴν diserte nominet, non sine causa veritus est vir doctus, ut hæc assertio fidem apud lectorem inveniatur, nisi certissimis rationibus suffulciatur. Quales tamen ille nullas proferre potuit. Dicit tantum primo, Si fuisset (illud quadraginta dierum jejunium), plane incommodum accidisset cogi ante Quadragesimam provinciales omnes Synodos; quod jubent Patres. Illæ enim Synodi in medium Februarium plerumque incidissent; quod anni tempus ob dierum brevitatem, itinerumque difficultatem parum est, ut liquet, ad habendos hujusmodi conventus opportunum. Nimirum ac si sanctissimi Patres Nicææ congregati in condendo hoc de provincialibus Synodis decreto, de dierum quantitate, de qualitate viæ, aliisque istiusmodi minutissimis rebus solliciti fuissent, quæ nullius plane momenti sunt, cum magna Ecclesiæ negotia tractantur. Si hæc iis curæ fuissent, media potius æstate unam saltem ex anniversariis Synodis celebrari præcepissent. Illud enim anni tempus ob dierum longitudinem itinerumque facilitatem longe opportunius videretur. Sed neutram tamen æstate, sed primam quidem ante Quadragesimam, alteram autumnii tempore habendam esse decernunt. Quin ipsi etiam unam sexcentis istiusmodi argutiis præponderantem rationem reddiderunt, quare unam e Synodis ante Quadragesimam haberi voluerunt, ut sublata scilicet omni simultate purum Deo munus offeratur. E quibus tamen verbis, quod mirum est, Dallæus alterum suum fabricatus est argumentum, quo probaret Quadragesimam hoc loco non esse Quadragesimam sive quadraginta dierum jejunium. Nicæni enim Patres statuunt unam ante Quadragesimam celebrandam esse Synodum ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται τῷ Θεῷ, ut, omni simultate

[Dall. de
Jejun. et
Quadr. lib.
iii. cap. 9, p.
482.]

[Can. Nic. V.
Pan. Can.
tom. i. p. 64,
C.]

ac dissensione sublata, purum munus offeratur Deo. Id vero, inquit vir doctus, qui fieri potuit non equidem video, si sex septemve hebdomadas Synodi initia a paschali festo abfuerint.

[Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, p. 483.]

Quid ita quæso? Annon purum Deo munus in Quadragesima æque ac in paschali festo offeratur? Nicæni profecto Patres hoc in loco non omnino de munere aliquo in paschali festivitate offerendo, quo tota argumenti Dallæani vis fundatur, sed de ipso jejunio quadragesimali loquuntur, quod rite celebratum munus Deo oblatum vocant, eo quod per istud tempus se sinceræ pro peccatis anteactis contritioni, orationibus, eleemosynis, vigiliis, vel, ut semel dicam, Deo in omnibus, quoad fieri potuit, accuratissime colendo, totos devoverent. Quod quidem Deo gratissimum fuisse munus, nemo, ut opinor, inficias eat. Hoc igitur Canone cautum est, ut una quotannis Synodus Provincialis ad omnes componendas lites ante Quadragesimam habeatur, ne pietatis exercitia per subsequentem Quadragesimam obeunda odio ac mutua inter fratres dissensione contaminentur; sed sublatis omnibus simultatibus totum ita transigatur jejunium, ut purum sit munus Deo oblatum. Velut Paraphrastes Arabicus hæc Canonis verba explicat,

أما المرة الاولى التي هي قبل الصوم الكبير المقدس فليكون الصلح والمودة بين الجماعة كما ذكرنا ويكونوا انقبأ القلوب من افكار الشيطان ويكونوا مطهرين مثل الملائكة النقيين القلوب ويرتفع عن كنيسة الله الضغائن في الصوم Et prima quidem tempestas,

Joseph. Ægypt. in Syn. Nic. Can. v. [Pan. Can. tom. 1. p. 690, D. E.]

quæ est ante magnum sanctumque jejunium, constituitur, ut pax sit atque amicitia inter cætum, quemadmodum diximus, sintque in cordibus suis a diabolicis cogitationibus puri, et Angelorum ad instar cordibus purorum sanctificati, et odia in sancto jejunio ex Ecclesia Dei tollantur, et sic puras Deo oblationes offerant. Et Patres quidem Nicæni hoc loco aperte adeo de ipso jejunio quadragesimali, totoque per istud constructo operum sacrorum corpore sub muneris Deo oblatis nomine loquuntur, ut satis mirari nequeam, quo demum fato in mentem Dallæo venerit, hæc Canonis verba de munere in paschali celebritate offerendo interpretari, de Eucharistia scilicet tunc temporis celebranda. Præsertim cum, si hoc etiam ei demus, munus videlicet eucharisticum hoc loco

intelligendum esse, nihil ex eo consequetur. Hoc enim munus non solum in festo paschali, sed per totam etiam Quadragesimam, Dominicis saltem, et forte etiam Sabbatis, istis temporibus offerri solebat: ut e Synodi Laodicenæ Canone [X]LIX. constat.²

[Pan. Can. tom. i. p. 476, B.]

II. Nihil est ergo, quod Quadragesimam, in Canone Nicæno memoratam, paucis tantum ante Pascha diebus inchoatam fuisse arbitremur. Multa potius suadent illud quadraginta fuisse dierum jejunium. Enimvero nihil dubii esse potest, quin Patres Nicæni per 'Quadragesimam' tale significant jejunium antepaschale, quod in publico Ecclesiæ usu tunc temporis erat, vulgoque celebrabatur. At eodem, quo habita est ista Synodus, labente seculo, antepaschale hoc jejunium quadraginta dies passim vulgoque peragebatur, ut e plurimis ac indubitatis seculi istius monumentis patet. Nam D. Ambrosius paucis post Synodum istam annis natus, et ante elapsam illud seculum denatus, non modo in sermonibus, qui dubiæ nonnullis fidei videntur, verumetiam in genuinis ac indubitatis suis opusculis, Quadragesimæ, ut jejunii quadraginta dies celebrati, frequentem mentionem fecit.

Ambros. de Noe et Arca, cap. xiii. [sect. 44. Op. tom. i. col. 244, F.]

Ut in libro de Noe et Arca, *Ut [Unde, Ben.] nunc jam, inquit, non pænæ præscripti sunt dies quadraginta, sed vitæ: ut hoc numero jejunii et orationibus crebrioribus nostrorum levemus supplicia peccatorum, atque ad decreta [præscripta, Ben.] legis intenti devotione ac fide nostrum corrigamus errorem. Itaque per Domini resurrectionem quadragesimus dies jam non habetur novissimus sed primus.* Et alibi, de quadraginta diebus tan-

Id. in Evang. Lucæ, lib. iv. [cap. 15. Op. tom. i. col. 1338, E, F.]

quam mystico numero loquens ait, *Tot jejunio dierum Domini nobis in Evangelium patescit ingressus. Unde si quis Evangelii gloriam, fructumque resurrectionis optat adipisci, mystici jejunii prævaricator esse non debet: quod et in lege Moyses, et in Evangelio suo Christus utriusque Testamenti auctoritate præscripsit fidele virtutis esse certamen.* Iisdem fere diebus Gregorius Nazianzenus se quadraginta jejunasse dies in carminibus suis εἰς τὴν ἐκ νηστείας σιωπῆν testatur, sic incipientibus;

² [Ὅτι οὐ διὰ τῆς τρισσεκακοστῆς ἡμέρας προσφίρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ.

—Can. Laod. xlix. Pan. Can. tom. i. p. 476, B.]

Ἰσχεο, γλῶσσα φίλη, σύ δε μοι, γραφίς, ἔγγραφε σιγῆς
 ῥήματα, καὶ φθέγγου ὄμμασι τὰ κραδίης.
 Ἦνικα σάρκας ἔδησα, Θεοῦ βροτέοις παθέεσσι
 Μύστιν ἄγων θυσιῆν, ὡς κε θάνω βίότη.
 Ἡμασι τεσσαράκοντα νόμοις Χριστοῦ βασιλῆος,
 Εὔτε καθαιρομένοις σώμασιν ἔσπετ' ἄκος.

[Greg. Naz.
Carm. xxxiv.
vv. 1-6. Op.
tom. ii. p.
882.]

*Lingua sile, mutam at vocem mea penna tabellis
 Scribe, oculisque animi concine sensa tui.
 Cum carnem astrinxi, cupiensque occumbere mundo,
 Suppliciiis Christi mystica sacra tuli.
 Vicenis, ut Christi lex fert, totidemque diebus,
 Purgatæ carni cum medicina venit.*

Sanctus quoque Hieronymus, qui eodem labente seculo claruit, jejunium ante Pascha quadraginta diebus extensum sua fuisse ætate his verbis indicat, *Ipse quoque Dominus verus Jona missus ad prædicationem mundi, jejunavit [jejunat, Vall.] quadraginta dies, et hæreditatem nobis jejunii derelinquens, ad esum corporis sui sub hoc numero nostras animas præparat. Ut alia, quæ plurima proferri possunt, testimonia hic omit- tamus, Theophilus Alexandrinus Hieronymo æqualis, hoc luculentissime demonstrat, in prima [secunda, sec. Vallars.] sua Paschali Epistola hæc habens, [Et] Si[c] poterimus im- minentium jejuniorum iter capere, incipientes Quadragesimam [incipient dies Quadragesimæ, Vallars.] a tricesima die mensis Mechir, et hebdomadam salutaris Paschæ [celebrabimus, Val- lars.] quinta die mensis Pharmuti, finientesque [finientes, Val- lars.] jejunia secundum Evangelicas traditiones vespere Sabbati, decima die Pharmuti, et illucescente statim Dominica festa celebremus undecima die ejusdem mensis. Hic quadraginta Quadragesimæ dies juxta menses Ægyptiacos computantur, qui omnes erant τριακονθήμεροι, sive triginta dierum, quibus ad finem anni quinque dies adjecti sunt, ἡμέραι ἐπαγόμεναι prop- terea dicti. Dicit itaque Theophilus Quadragesimam isto anno cœpisse a tricesima sive ultima die mensis Mechir (exclusa), quem secutus est mensis Phamenoth triginta itidem dierum, quibus additi decem sequentis mensis Pharmuthi dies (quorum ultimo finiendum esse jejunium asserit) qua- draginta accurate constituunt. Idem colligere licet e secunda*

Hieron. in
Jon. cap. iii.
[Op. tom. vi.
col. 416, D.]

[Ibid. col.
416, C.]

[Ap. Hier.
Epist. Epist.
xcviii. sect.
25. Op. tom.
i. pp. 602, D,
E, 603, A.]

[Apud Hier.
Epist. Epist.
xcvi. sect. 20,
tom. I. p.
574, C, D.]

[prima, sec. Vallars.] ejusdem Epistola Paschali, alio anno conscripta, ubi ait, [*Et si Dei tribuerit clementia, cum angelis merebimur Dominicum*] *Pascha celebrare, habentes Quadragesimæ exordium ab octava die mensis qui secundum Ægyptios vocatur Phamenoth, et Ipso præbente vires, attentius jejunemus, hebdomadæ majoris, i. e. Paschæ venerabilis die XIII. mensis Pharmuthi fundamenta jacentes, ita dumtaxat, ut juxta Evangelicas traditiones finiamus jejunia intempesta nocte die XVIII. supradicti mensis Pharmuthi.* A mensis itaque Phamenoth die octava (exclusa itidem) usque ad duodevicesimam Pharmuthi inclusam peragebatur isto anno Quadragesima, in priori scilicet mense viginti duo dies et in posteriori duodeviginti, qui collecti quadraginta præcise efficiunt.

III. Cum pro comperto itaque certoque habeamus, jejunium antepaschale, eodem, quo habita est Synodus Nicæna, seculo non unam dumtaxat hebdomadam, nedum unam alteramve diem, sed quadraginta dies celebratum fuisse, quis sibi persuadeat Quadragesimam ab ista Synodo memoratam, quod ipse Dallæus jejunium antepaschale fuisse fatetur, non quadraginta, sed unius, vel alterius, vel ad summum sex dierum fuisse jejunium? Anne uno eodemque seculo, imo quidem dimidia seculi parte, tantum incrementum capere potuit hoc jejunium, ut a sex ad quadraginta dies propagaretur? Si universalis Ecclesia Nicææ congregata anno Dom. CCCXXV. in talem consenserit Quadragesimam, qualis in somnis, ut opinor, primo visa est Dallæo, paucorum scilicet dierum, statueritque, ut Synodus provincialis ante eam quotannis habeatur, qui, quæso, factum est, ut eadem Ecclesia statim postea longe aliam majoremque Quadragesimam, quadraginta nimirum dierum, ubique celebraret? et tamen nulla tantæ in hoc jejunio immutationis vestigia uspiam appareant? Quid etiam quod D. Ambrosius quadraginta dierum jejunium utriusque Testamenti auctoritate, et Gregorius Nazianzenus νόμοις Χριστοῦ βασιλῆος, præscriptum affirmant, Theophilus etiam Alexandrinus, aliique fere omnes, quotquot eodem labente seculo de hoc jejunio meminerunt, idem, ut a se celebratum, adeo antiquum habuerint, ut ad Evangelicas et Apostolicas traditiones referant? Annon hoc invictissimo est argumento, communem fuisse istius seculi sententiam, antepaschale jejunium quadraginta diebus

commensuratum, longe ante Nicænam Synodum publico Ecclesiæ usu receptum fuisse, et Quadragesimam ab ista Synodo memoratam tantam fuisse, quantam ipsi peragebant? Quicquid sane Dallæo, aliisque in ejus sententiam juratis, videatur, nemo, qui hæc animo præjudicii vinculis liberato expendit, dubitare potest, quin Quadragesima a Patribus Nicænis celebrata ejusdem fuerit quantitatis atque ea, quam alii ejusdem seculi Patres suis diebus celebratam fuisse asseruerunt. Verum post paucos ab isto Concilio elapsos annos Quadragesimam quadraginta dierum passim obtinuisse usque adeo palam est et manifestum, ut nec ipse Dallæus illud negare queat; ac proinde eam, cujus istud Concilium mentionem fecit, ut omnibus cognitæ, nec plurium, nec pauciorum fuisse dierum, necessario concludendum est.

IV. Sed pluribus non opus est argumentis, cum ipsa vox, qua jejunium antepaschale a Synodo Nicæna, æque ac alibi, perpetuo significatur, illud quadraginta fuisse dierum clarissime eloquatur. Enimvero *τεσσαρακοστή*, *Quadragesima*, diserte appellatur. Quid ita, quæso, nisi quod quadraginta dies peractum esset? Adeone inepti et literarum imperiti fuerint Nicæni Patres, ut jejunium uno, alterove, vel ad summum sex diebus completum *τῆς τεσσαρακοστῆς* nomine nuncuparent? Illi hoc Canone unam quotannis Synodum in unaquaque per totum terrarum orbem Christianum provincia ante jejunium antepaschale habendam esse definiunt, illudque tempus *τῆς τεσσαρακοστῆς*, sive *Quadragesimæ*, voce, ut omnibus nota, indignant. Quod si illi per istam vocem non jejunium quadraginta dies, quod ipsa vox denotat, celebratum voluerunt, sed aliud nescio quid a vocis istius significatione longissime abhorrens; nemo intelligere potuit, quid sibi Patres velint: hæcque ab iis edita sanctio sibimet ipsa contradiceret, illud enim *τεσσαρακοστή* ab ea appellaretur, quod non esset, imo vero quod cum numero *τεσσαράκοντα*, unde nomen sortitur, nihil commune habet. Nos autem, qui sanctissimos illos Patres, ut fidelissimos, strenuissimosque fidei nostræ assertores summa, qua possumus, veneratione prosequimur, nefas cogitatu ducimus, eos non modo voce ipsa, verum universa etiam Ecclesia, tam mirum in modum abuti voluisse, ut in decreto ubique observando jejunium istud sub vago, adeoque ridiculo, *Quadragesimæ* nomine

significarent, quod ultra sex dies nullibi celebratum erat. Quam impropria, quam absurda esset hæc loquendi formula? Eam tamen, si Dallæo fides habeatur, ab ipso etiam Concilio Nicæno usurpatam habemus.³ Sed credat Judæus Apella, non ego, non quivis cordatus Christianus. Et præterea Patres Nicæni hanc vocem ad jejunium quadragesimale denotandum primi non adhibuerunt, sed ea utuntur, tanquam trita et vulgari voce, et in isto sensu omnibus Ecclesiis ac provinciis probe cognita. Adeo ut, cum decretum hoc de Synodo *πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς* quotannis celebranda ad singulas provincias mitteretur, primo statim intuitu Oecumenici Concilii mentem intelligerent. Quod fieri non potuit, nisi certa esset ac determinata vocis hujusce in Ecclesiæ sensu notio. Quomodo autem hæc vox ad jejunium illud antepaschale significandum primum tam publico universæ Ecclesiæ usu recepta fuit? Annon ex eo, quod quadraginta dies isti jejunio dicati fuerint? Qui aliam sane authenticam vel etiam probabilem hujus nomenclaturæ causam invenire conatur, operam et oleum perdet. Adeo ut, si aliis quibuscunque supersederemus argumentis, hæc ipsa vox *τεσσαρακοστή*, qua jejunium ante Pascha quarto currente seculo a Nicænis æque ac ab aliis Patribus vulgo indigitatum fuit, manifestissime demonstrat, jejunium illud istis diebus non unius vel alterius, non quinque solummodo, nec ad summum sex dierum, quod vult Dallæus, sed quadraginta præcise dierum fuisse, quod nos asserimus.

³ [“ Itaque concludendum est illam, quam significant, Quadragesimam, non sex, septemve, hebdomadibus, sed paucis, id est quinque, vel sex, diebus ante Paschæ festum fuisse inchoatam,

eoque omnino id esse jejunium, quod ipsa hebdomade paschali celebrari solitum fuisse demonstravimus.” — Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, p. 483.]

CAPUT III.

Synopsis.

- I. *Ex eo quod alia subinde jejunia 'Quadragesimæ' nomine nuncupentur, opinio illa, quæ antepaschale quadraginta dierum fuisse statuit, confirmatur potius quam destruitur.*
- II. *Argumentum ex Hieronymo sumptum, ex eodem eliditur. Vox 'Quadragesima' posterioribus seculis commune fuit omnium jejuniarum nomen.*
- III. *Palmario e Socrate petito argumento respondetur.*

I. ARGUMENTUM, quo Quadragesimam quadraginta fuisse dierum jejunium demonstratur, ex ipso nomine petito, ut cuius obvium, Dallæum latere non potuit. Qui propterea omnes experitur machinas, quibus vim illius elidere videatur. Qua de causa primo de vocis apud veteres usu, dein de ratione appellationis disputat.¹ Quod ad primum spectat, observat vir doctus, S. Hieronymum in Epistola ad Marcellam de Montanistis loquentem dicere, *Illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint salvatores.* Unde sic disputat eruditus Dallæus, *Putasne Montanistas tria quotannis jejunia celebrasse, quæ singula quadraginta dierum*

De Jejun. et
Quadr. lib.
iii. cap. 9.

Hier. Epist.
ad Marcell.
[Ep. xli.
(aliter liv.)
sect. 3. Op.
tom. i. p.
187, A, B.]
[Dall. de
Jejun. et
Quadr. lib.
iii. cap. 9, p.
485.]

¹ ["Primo ergo de vocis apud veteres usu; deinde de ratione appellationis disputabimus. Ergo, ut a priori ordiar, quærit Bellarminus (lib. ii. de Bon. Op. cap. 15) [Op. tom. iv. p. 1014.] *Quis Quadragesimam vocaret jejunium dierum quindecim, aut viginti?* et negat eo nomine dici posse nisi quadraginta, aut certe prope quadraginta, dierum (id est 36) jejunium. Ego vero, Bellarmine, dabo auctorem, et quidem præ cæteris antiquis maxime idoneum, ac locupletem, qui Quadra-

gesimam vocat, non quindecim aut viginti, (quod tibi absurdum atque impossibile videtur) sed etiam quinque dierum jejunium, quod multo magis mireris, multoque incredibilius existimes. Is vero est Hieronymus, centum pœne annis post Nicænam Synodum denatus, qui in Epistola ad Marcellum loco celeberrimo, et a te ipso non semel laudato, de Montanistis loquens, *Illi,*" etc.—Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, pp. 484, 485.]

essent? *Non puto te* (Bellarminum, quem alloquitur) *tam stultum esse, ut rem adeo absurdam dicas.* Verum qui hoc dicit, non propterea necesse est, is stultus sit. Nam D. Hieronymus nihil hic affirmat de quantitate trium istarum Quadragesimarum, quas a Montanistis celebratas dicit. Nec aliunde haurire licet, quantæ illæ fuerint. Eas saltem Dallæus probare non potuit, pauciorum quam quadraginta dierum fuisse. Imo quidem inquit, Tertullianus dicit, *Montanistas duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis et Dominicis, obtulisse Deo.* Hic autem Tertullianus de se et suæ ætatis Montanistis loquitur, non de ætate S. Hieronymi, qua, ut palam est, Montanistæ tres quotannis Quadragesimas peragebant, quarum duæ illæ a Tertulliano memoratæ xerophagiarum hebdomades partes esse videntur. Nihil saltem ex hisce vel D. Hieronymi vel Tertulliani verbis elici potest, ad evertendam eorum opinionem, qui Quadragesimam quadraginta perpetuo dierum fuisse arbitrantur, idque ex ipsa hac voce probant. Disputatio enim non de vocis abusu, a nonnullis forsitan admissio, sed de proprio et peculiari ejus usu, et præcipue de origine et ratione instituitur. Quare scilicet jejunium antepaschale *τεσσαρακοστή* primo appellatum fuerit. Si demus enim erudito viro, hanc vocem, posterioribus saltem seculis, in alienum a nonnullis sensum detortam fuisse, ut alia scilicet, præter antepaschale, eaque pauciorum quam quadraginta dierum, jejunia designaret; hoc tamen opinionem nostram usque adeo non destruit, ut confirmet potius. Non destruit quidem. Nos enim non moramur, nec disputamus quo sensu Montanistæ, aliive Synodo Nicæna posteriores, vel Catholici, vel hæretici, sed quo sensu ipsi Patres Nicæni hanc vocem usurparunt, et quam ob rem hoc nomen jejunio antepaschali primum impositum fuit. Nulla autem vel verisimilis reddi potest ratio, quare jejunium istud *τεσσαρακοστή*, *Quadragesima* primo nuncuparetur, nisi quod *τεσσαράκοντα*, *quadraginta* dierum esset. Cum publico autem usu semel receptum fuisset, ut magnum illud et præcipuum totius anni jejunium ita diceretur, tandem aliquando evenire potuit, ut alia etiam minora jejunia eodem nomine notarentur. Eo scilicet, quod jejunium antepaschale vulgo adeo passimque Quadragesima vocaretur, ut progressu deinde temporis ‘Quadragesima’ et

[Dall. de
Jejun. et
Quadr. lib.
iii. cap. 9, p.
485.]
Tertull. de
Jejun. cap.
xv. [p. 552,
C.]

'jejunium' tanquam synonyma haberentur, idem plane significantia. Unde nostra de jejunio antepaschali opinio quadraginta dies ei adscribens egregie confirmatur. Hinc enim conficitur hoc jejunii istius nomen vulgare tritumque fuisse, quo 'Quadragesima' scilicet a 'quadraginta' ab omnibus appellaretur. Nihil autem a fide magis atque a ratione alienum est, quam ut omnes simul in tanto errore versarentur, quo jejunium illud Quadragesimam vocarent, quod nihil cum quadraginta communionis aut commercii habebat: sive, quod idem est, ut omnes jejunium antepaschale præter contraque omnem rationem Quadragesimam nominarent.

II. Nihil est ergo quod Dallæus quicquam sibi ex istis D. Hieronymi verbis polliceatur. Præsertim cum, si totus inspiciatur locus, ipsum sententiæ ejus jugulum petat. Hæc enim ibi habet sanctissimus Pater, *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo [toto nobis orbe congruo, Vallars.] jejunamus. Illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint salvatores.* Hinc enim constat jejunium quadragesimale hujus etiam Patris ætate, hoc est quarto labente seculo, tantæ antiquitatis habitum fuisse, ut ab ipsis Apostolis traditum videretur. Constat item unum tantummodo jejunium Catholicis tunc temporis fuisse, quod Quadragesima vocabatur, quotquot alia sub isto nomine a Montanistis hæreticis observarentur. Quid etiam si Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, et Durandus Mimatensis a Dallæo laudati,²

Hier. Epist. ad Marcell. [Ep. xli. (aliter liv.) sect. 3 Op. tom. i. p. 187. A, B.]

² [“Ac ne putes Quadragesimæ vocabulum Hieronymi tantum seculo sic sumptum fuisse, en tibi alium testem quatuor seculis Hieronymo recentiorem, qui Quadragesimas nobis memorat pauciorum dierum, quam quadraginta. Is est Amalarius Fortunatus; *Sanctus*, inquit, (lib. iv. de Off. Eccl. cap. 37, Bibl. Patr. tom. x. p. 495) *Hieronymus unam Quadragesimam ponit in observatione. Nos (de Catholicis loquitur) observamus tres Quadragesimas, id est ante Pascha Domini, circaque festum S. Joannis, et ante nativitatem Domini.* Primam Quadragesimam jeju-

nium antepaschale intelligit; secundam jejunium (ut videtur) quarti mensis; tertiam denique jejunium Adventus. Jam duo hæc posteriora jejunia non quadraginta, sed multo pauciorum, dierum esse nemo nescit. Ergo ne pauciorum quidem dierum jejunium Quadragesimam dici priscis illis seculis ulla fuit invidia. Neque de his aliter loquens Rabanus Maurus, vir eorundem temporum; qui tractatum de tribus illis jejniis suum his verbis concludit, *Sed hæc de tribus Quadragesimis dicta sufficiant.* (Lib. ii. de Inst. Cler. cap. 22. [Op. tom. vi. p. 19,

tres ab Ecclesia suis temporibus observatas fuisse Quadragesimas, scilicet ante Pascha, circa festum S. Joannis, et ante nativitatem Christi, dicant? Isti sane scriptores aliquot post ipsum D. Hieronymum seculis claruerunt, cum vox 'Quadragesima' antiquissimum illud Ecclesiae jejunium antepaschale tot seculorum spatio significarat, ut tandem aliquando commune nonnullis videretur omnium anniversariorum Ecclesiae jejuniarum nomen. Quapropter etiamsi duo illa ultima jejunia pauciorum fortasse quam quadraginta essent dierum, et 'Quadragesima' nihilominus *καταχρηστικῶς* a scriptoribus istis vocentur, nihil tamen vetat, quin jejunium antepaschale, quod primum 'Quadragesima' nominatum est, illudque suum aliis postea jejuniis nomen mutuo dedit, isto propterea nomine indigitatum fuerit, quod quadraginta definite dierum esset.

[Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, p. 487.]

III. *Sed et Socrates, inquit vir doctus, Hieronymo quidem junior, Amalario vero et Rabano multo vetustior, jam pridem hunc vocis Quadragesimæ usum observaverat et miratus fuerat.*

Cum enim variam diversorum in observando antepaschali jejunio consuetudinem memorasset, Καὶ θαυμάσαι μοι ἔπεισι, inquit, πῶς οὗτοι περὶ τῶν ἀριθμῶν τῶν ἡμερῶν διαφωνοῦντες τεσσαρακοστὴν αὐτὴν ὀνομάζουσι. Ac mihi quidem mirari subit, quare ratione isti, licet de numero dierum inter se dissentiant, eodem tamen nomine Quadragesimam vocent. Hæc quidem Socratis esse verba fateor. Fateor etiam eum isthoc in loco dicere Romanos tres continuas hebdomadas ante Pascha, excepto Sabbato et Dominico die, jejunasse; Illyrios autem, Græcos, et Alexandrinos, sex hebdomadas ante Pascha, Sabbatis itidem et Dominicis exceptis, observasse: alios denique

Socrat. Hist. Eccles. lib. v. cap. 22, [pp. 294, 295.]

A.) Ac paulo ante de jejuniis noni ac decimi mensium (id est Novembris et Decembris) loquens, *Congrua itaque dispositione* (inquit) *a magistris Ecclesiae hoc loco jejunium quadragesimale fieri constitutum est, ut ante diem natalis Domini jejunio et abstinentia nosmetipsos castigemus, quatenus venientem Redemptorem digna conversatione suscipere possimus, sicut ante tempus resurrectionis Ejus carnem nostram affligimus, ut resurrectionis*

gratiam, quæ per Ipsum fit, consequi mereamur. Vides, ut antenatale jejunium, perinde ac antepaschale, quadragesimale vocat, ac utriusque causas, atque usus, inter se comparet? Eodem sensu et illa Durandi Mimatensis accipienda sunt, *Communius est, inquit, tres Quadragesimas servare.* (Ration. lib. vi. [cap. 32, sect. 3, p. 302.] de prima Dominica Quadragesimæ.) — Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, pp. 485–487.]

septima ante Pascha hebdomade jejunium exorsos esse, sed tres duntaxat septimanas, quinque dierum singulas, per intervalla jejunasse: et omnes tamen hosce, ut ut in numero dierum discrepantes, jejunium tamen a se celebratum Quadragesimæ nomine nuncupasse.³ Et quod superest, fateor, Socratem aliosque post eum, miratos fuisse, qua ratione isti jejunium pauciorum quam quadraginta dierum 'Quadragesimam' nihilo minus appellarent.⁴ Hinc autem jejunium antepaschale 'Quadragesimam' propterea non appellatum fuisse, quod quadraginta dierum esset, legitime concludi posse, omnino diffiteor. Ut mittam enim Socratem, cum hæc scribebat, hæresi Novatianorum infectum fuisse, qui omnia festa et jejunia liberæ observationis esse contendebant, vel cupiebant saltem; hoc ipso in loco ait, *Οἱ μὲν ἐν Ῥώμῃ*

τρεις πρὸ τοῦ Πάσχα ἐβδομάδας, πλὴν σαββάτου καὶ κυριακῆς, συνημμένας νηστεύουσιν, Nam qui Romæ sunt tres continuas hebdomadas ante Pascha, exceptis Sabbato et Dominica, jejulant. Ubi non modo D. Augustino contradicit, qui cum

multis aliis Romanos Sabbato jejunasse asserit, verum et sibimet ipse contradicit; nonnullis enim post verba ante citata interjectis, sui oblitus ait, *ἐν Ῥώμῃ πᾶν σάββατον νηστεύ-*

Socrat. Hist. Eccles. lib. v. cap. 22, [p. 294.]

[P. 298.]

³ [Οἱ μὲν γὰρ ἐν Ῥώμῃ, τρεῖς πρὸ τοῦ Πάσχα ἐβδομάδας, πλὴν σαββάτου καὶ κυριακῆς, συνημμένας νηστεύουσιν· οἱ δὲ ἐν Ἰλλυριοῖς καὶ ὅλῃ τῇ Ἑλλάδι, καὶ οἱ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, πρὸ ἐβδομάδων ἕξ τὴν πρὸ τοῦ Πάσχα νηστείας νηστεύουσιν, τισσαρακοστὴν αὐτὴν ἰσημέζοντες· ἄλλοι δὲ παρὰ τούτους, ἄλλα πρὸ ἰσθῆτος τῆς ἱερῆς ἐβδομάδων τῆς νηστείας ἀρχόμενοι, καὶ τρεῖς μόνως πενημέριους ἐκ διαλημμάτων νηστεύοντες, οἷον ἔστιν καὶ αὐτὰ τισσαρακοστὴν τοῦ χρόνου τούτου καλοῦσι.— Socr. Hist. Eccles. lib. v. cap. 22, p. 294.]

⁴ [Καὶ τὴν πρὸ ταύτης δὲ καλουμένην τισσαρακοστὴν, ἐν ᾗ νηστεύει τὸ πλῆθος οἱ μὲν, εἰς ἕξ ἐβδομάδας ἡμερῶν λογίζονται, ὡς Ἰλλυριοὶ καὶ οἱ πρὸς διόση, ἄλλοι τε

πᾶσα καὶ Αἴγυπτος ἐν τοῖς Παλαιστινοῖς· οἱ δὲ, ἰσθῆτα, ὡς ἐν Κωνσταντινουπόλει, καὶ τοῖς σιρῆξ Ἰβησι, μέχρι Φονίκων· ἄλλοι δὲ, τρεῖς σποράδην ἐν ταῖς ἕξ ἢ ἰσθῆτα νηστεύουσιν. οἱ δὲ, ἅμα τρεῖς πρὸ τῆς ἱερῆς συνάπτουσιν· οἱ δὲ, δύο, ὡς οἱ τὰ τοῦ Μοντανοῦ φρονῶντες.— Socr. Hist. Eccles. lib. vii. cap. 19, p. 308.]

Τρεῖς δ' ἐν αὐταῖς ἄλλοι πενημέριους ἐκ διαλημμάτων νηστεύοντες, ἰσθῆτα καὶ αὐτὰ τισσαρακοστὴν τοῦ χρόνου τούτου καλοῦσι· οἱ δὲ δύο, οἱ τὰ Μοντανοῦ. ἐν ὧς καὶ ἑαυτὰ μοι ἴσως τῶς ἄκατοις αὐτὰ τισσαρακοστὴν αὐτὴν ἰσημέζουσι, κατὰ τὸ μέτρον τῶν ἡμερῶν οἷον ἔστιν διαφίρματα.— Niceph. Callist. Ecol. Hist. lib. xii. cap. 34, tom. ii. p. 296. A.]

Sed concedamus Dallæo verissima esse, quæ Socrates hoc in loco de observationis quadragesimalis diversitate in diversis Ecclesiis scripsit. Nihil tamen hic dicit, quod Dallæus in rem suam vertat, omnia potius nostræ favent opinioni. Ex his enim Socratis verbis videre est, aliquantum ante Pascha jejunium ab omnibus tunc temporis Ecclesiis observatum fuisse. Et quidem sub nomine τῆς τεσσαρακοστῆς, unde hoc commune fuisse et ubique receptum jejunii istius nomen manifestissimo conficitur. Sed Socrates, inquis, miratus est, ut Ecclesiæ ab ipso memoratæ in numero dierum hujus jejunii dissentirent, et omnes tamen illud τῆν τεσσαρακοστὴν nominarent. Esto. Hoccine autem tuæ est opinioni adstruendæ? Imo vero funditus eam diruit. Hinc enim necessario consequitur Socratem in nostra fuisse sententia, quæ jejunium antepaschale τεσσαρακοστὴν, 'Quadragesimam,' propterea dictam fuisse judicat, quod 'quadraginta' esset dierum. Alioquin enim mirari non potuit, ut pauciorum dierum jejunia isthoc nomine indigitarentur. Quod si hoc verum sit, ut nos contendimus, antepaschale quadraginta dierum jejunium æque antiquum sit necesse est, atque ipsa vox τεσσαρακοστὴ ad illud significandum usitata. Si vox enim ista, ut Socrates juxta ac nos volumus, dies quadraginta denotet, jejunium antepaschale propterea tantum isto nomine primo nuncupari potuit, quod quadraginta dies celebraretur. Ita autem, ut videmus, a Concilio Nicæno vocatur: ac proinde nihil dubii esse potest, quin jejunium hoc ante istum concessum quadraginta dierum fuerit. Sed miratus est Socrates ut jejunium quindecim aut triginta dierum a singularibus Ecclesiis 'Quadragesima' diceretur! Quanto magis miratus fuisset, si ipsi etiam Patres Nicæni ex universa Ecclesia congregati, jejunium unius, vel alterius, vel ad summum sex dierum, isto nomine appellasset? Hoc autem non miratus est, quandoquidem probe novit, Synodum Nicænam proprie locutam esse, et per 'Quadragesimam' illud voluisse quod ipsa vox sonat, 'quadraginta' scilicet dierum jejunium. Quem quidem primum fuisse ac genuinum vocabuli istius, ut ab Ecclesia usitati, sensum, nemo unquam ante Dallæum vel negavit, vel negare potuit. Saltem non Socrates, qui miratus est, ut alio sensu ab ullis unquam acceptum fuerit. Quocirca si quos Dallæus voce ista ita abutentes invenisset, satius

fuisset et rationi magis consentaneum, ut illud cum Socrate miraretur, quam ut, ex tanta vocis abusione ab uno vel altero contra communem Ecclesiæ sensum usurpata, eam nullibi, nec ab ipsa Synodo Nicæna, proprie usitatam fuisse probare niteretur. Præsertim cum magno conatu nihil egerit, ut e supradictis patet.

CAPUT IV.

Synopsis.

- I. *Argumentum e Cassiano petatum refellitur, eumque Quadragesimam eo dictam putasse ostenditur, quod quadraginta dierum esset.*
- II. *Vocis ' Quadragesimæ ' ratio a Dallæo exinde sumpta, quod quadraginta horarum esset jejunium.*
- III. *Istam rationem nequaquam admitti posse probatur, ex eo quod istiusmodi jejunii nusquam in omni antiquitate, nedum in Synodo Nicæna, mentio fiat.*
- IV. *Rigaltii de hujus nomenclaturæ ratione conjectura a Dallæo laudata refellitur. Ea Dallæanam sententiam destruit.*
- V. *Vera vocis ' Quadragesimæ ' ad jejunium antepaschale denotandum usitatæ ratio explicatur. Τεσσαρακοστή a quadragesimo die ante Pascha vocatur, ut Πεντηκοστή a quinquagesimo die post Pascha.*
- VI. *Quo sensu vox Τεσσαρακοστή a Synodo Nicæna usurpatur.*

I. ΠΟΣΤΗΛΕC Dallæus de hujus nominis jejunio antepaschali impositi ratione disputat. Et primo observat Cassianum rationem hujus rei, quod jejunium scilicet istud Quadragesima vocatur, non ex eo repetere, quod quadraginta dierum esset, sed longe aliunde.¹ Is enim præfatus rationem hujus rei humana oblitteratam esse incuria, hæc

¹ [“ Age tamen, nequid a nobis hac in parte desideretur, tentemus si quam, non improbabilem, vocis Quadragesimæ in ea notione rationem afferre possimus. Ac Quadragesimam quidem non ideo dictam esse, quod quadraginta dies ipsi Christiani jejunarent, præter ea, quæ modo diximus, illud insuper clarissime demonstrat, quod

Cassianus, dum in hoc argumento versatur, rationem hujus rei, quam præfatur *humana incuria fuisse oblitteratam*, nequaquam inde repetit, (quod facile et promptum erat, si id verum ipse judicasset) sed longe aliunde.”— Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, p. 490.]

addit,² *Tempus hoc, quo anniversariæ, ut dictum est, decimæ Deo triginta [et] sex semis jejuniis offeruntur, Quadragesimæ nomen accepit, quod fortasse vel propter hoc visum sit hoc vocabulo debere censi, quod Mo[y]ses, vel Helias, vel Ipse Dominus noster Jesus Christus quadraginta diebus jejunasse traduntur. Ad cujus numeri sacramentum, illi quoque quadraginta anni, quibus Israel est in solitudine commoratus, et quadraginta similiter mansiones, quibus eam mystice pertransiisse describitur, non incongrue coaptantur. Et fortasse ipsa decimatio recte, quasi ab usu telonei, Quadragesimæ nomen accepit. Ita enim illa publica vulgo vocatur exactio, ex qua tanta lucri portio regis commodis deputatur, quantum et a nobis a Rege omnium seculorum pro usu vitæ nostræ legitimam Quadragesimæ vectigal exigitur. Hæc, fateor, Joannes Cassianus, S. Joannis Chrysostomi quondam diaconus, loco citato habet. Ut autem exinde sequatur quod vult Dallæus, jejunium scilicet ante Pascha Quadragesimam vocari, non quod quadraginta esset dierum, sed ob alias, nescio quas, rationes, me prorsus fugit. Enimvero quæstio, cui hic respondet Cassianus, his verbis ab ipso proposita est, *Quid causæ est, ut sex hebdomadibus Quadragesima celebretur, licet in quibusdam provinciis, religionis forsitan propensior cura adjecisse hebdomadem etiam septimam videatur, cum neuter numerus, die Dominico Sabbatoque subtracto, quadraginta dierum impleat numerum [summam, Gaz.]? Sex enim et triginta dies in ipsis hebdomadibus tantummodo concluduntur.* Ex ipsa hac quæstione ita proposita constat, communem istis diebus opinionem fuisse, Quadragesimam a quadraginta dierum numero nuncupatam esse, ac propterea Cassianum aliosque, æque ac Socratem, miratos esse, ut jejunium illud, sex tantum et triginta diebus ab Ecclesia Græca celebratum, Quadragesima nihilominus diceretur. Priusquam porro Cassianus ad hanc respondet quæstionem, rationem reddit, quare jejunium antepaschale triginta sex tantummodo diebus solidis a nonnullis Ecclesiis compleatur, eo scilicet, quod triginta sex dies cum dimidio, a nocte Sabbatum magnum inter et Dominicam fluente et vigiliis*

Cassian. Coll.
xxi. cap. 28.
[Op. pp. 570,
571.]

Ibid. cap. 24.
[Op. p. 568.]

² ["Sed profecto cum rationem hujus rei humana oblitterasset incuria, tempus," etc., ut in textu. — Cassian. Coll. xxi. cap. 28, p. 570.]

peracta. deputato. decima sit pars totius anni, quam Deo e Mosaica de decimis lege offerre tenemur.² Ad ipsam autem quæstionem, ¹ Quare vocetur Quadragesima cum triginta sex tantummodo diebus jejunetur, verbis supra laudatis respondet. Quæ quidem longe alia est quæstio atque ea, de qua nos disputamus. Nos enim quærimus, an non vox Quadragesima de jejunio antepaschali usurpata quadraginta dies in eo transactos proprie significet? Hoc nos asserimus, nec dissentit Cassianus, sed sua etiam assensione comprobat: ac propterea aliam istam proponit quæstionem, Quare scilicet, cum vox Quadragesima quadraginta dies proprie denotet, illud tamen jejunium Quadragesima vocetur, quod non quadraginta sed triginta sex tantummodo diebus celebratum est? Hoc Cassiani diebus plurimi sine dubio mirabantur. Quibus ille nodum solvere conatur; adhibita tamen cautione, ne quid Ecclesiæ, in qua educatus fuerat, ejusque membrum erat, detraheret. Enimvero in promptu erat respondere, Ecclesiam Græcam, triginta sex tantummodo dies isti jejunio consecrantem, a prima illius institutione aliquantulum discessisse. Cum primum enim institutum fuit, quadraginta dierum erat: ac eam ob causam Quadragesima proprie vocabatur. Quod si ita respondisset Cassianus, suam Ecclesiam condemnasse videretur, ut pri-

² [“ Licet quorundam pia simplicitas hujus rei amputet quæstionem, tamen quia etiam illa, quæ alius interrogatione indigna duxisset, scrupulosius perscrutantes integram observantiæ nostræ ac mysterii veritatem desideratis agnoscere: evidentissimam hujus etiam rei percipite rationem, ut manifestius approbetis nihil irrationabile nostros tradidisse majores. Lege Mosaica universo populo generalis est promulgata præceptio. Decimas tuas (Exod. xxii.) et primitias offeres Domino Deo tuo. Itaque qui substantiarum nostrarum omniumque fructuum decimas offerre præcipimur, multo magis necesse est, ut ipsius quoque conversationis nostræ, et humani usus operumque nostrorum decimas offeramus, quæ profecto in supputatione

Quadragesimæ evidenter implentur. Omnium enim dierum numerus, quibus revolutus in orbem annus includitur, triginta sex semis dierum numero decimatur. In septem vero hebdomadibus, si dies Dominici et Sabbata subtrahantur, quinque et triginta supersunt dies jejunii deputati, sed abjecta illa vigiliarum die, qua usque in gallorum cantum illucescente Dominica jejunium Sabbati protelatur, non solum sex et triginta dierum numerus adimpletur, verum etiam pro decimis quinque dierum qui residui videbantur, si illud quod superest adjectum noctis spatium computetur, plenitudini totius summæ omnino nihil deerit.”—Cassian. Coll. xxi. cap. 25. Op. p. 569.]

mitivæ hujus jejunii institutioni non accurate insistentem. Et etiamsi ita directe non respondeat, clare tamen indicat, Quadragesimam a quadraginta diebus in ea jejunatis vocatam esse. Prima enim et præcipua, quam affert, hujus nominis ratio est, *quod Mo[y]ses, vel Helias, vel Dominus noster Jesus Christus, quadraginta diebus jejunasse traduntur.* Quod si hoc antepaschale Christianorum jejunium suum ab istis quadraginta dierum jejuniis nomen acceperit, ipsum procul omni dubio quadraginta etiam dierum primo institutum fuit, et Quadragesima propterea dictum. Et hæc quidem vera erat ac genuina nominis ratio. Et licet alias postea rationes longe petat, a numeri scilicet quadragenarii ab Israelitis in solitudine observati mysterio, et a quadragesima lucri portione a regibus sui temporis longe post primam jejunii antepaschalis institutionem exacta, interim tamen non negat, sed concedit potius veriore hujus nominis rationem ex eo petendam esse, quod primo quadraginta esset dierum, ad imitationem jejunii a Mose, Helia, atque Ipso etiam Servatore nostro celebrati. Quam propterea primo in loco posuit.

II. Cum ea vero, quæ de variis hujus nominis rationibus commentatus est Cassianus, ab ingenio potius quam a re ipsa habuisse, luisseque fortasse verius, quam serio philosophatus esse ipsi etiam Dallæo iste videatur, ab eo ad ipsum Dallæum regrediatur oratio, qui, longe petitis Cassiani rationibus haud contentus, novam ipse confinxit. Confinxit, inquam, neque enim plus quam figmentum dici potest. Dicit enim vero Irenæum docuisse *sua memoria fuisse, qui paschale jejunium quadraginta diurnis nocturnisque horis continuarent; quæ jejunandi, inquit, ratio proxime ad ipsius jejunii causam accessisse videtur: quod plerique ideo suscipiendum putabant, quod tunc temporis sponsus ablati esset. Abfuit autem sponsus horas circiter quadraginta, quod ipsi quoque spatium jejunabant. Ergo non a dierum, qui nusquam quadraginta apud vetustissimos apparent, sed ab harum potius horarum numero primam manasse putaverim illam Quadragesimæ appellationem; ut antepaschale jejunium Quadragesima dictum fuerit, tum quod ad lugendam ac commemorandam illam Domini Christi quadraginta horarum absentiam susciperetur, tum quod [a] paucis quibusdam initio,*

Dall. de Jej.
et Quadr. lib.
iii. cap. 9,
pp. 492, 493.

mox vero pluribus, totidem ipsum horas continuaretur. Hæc Dallæus.

[Cap. vii.]

III. Hoc eruditi viri commentum infirmo, vel nullo potius, innititur fundamento. Fundatur enim, si ullibi fundatum dicatur, in Irenæi verbis falso interpretatis. Irenæus enim nusquam docuit sua quosvis memoria fuisse, qui paschale jejunium quadraginta diurnis nocturnisque horis continuarent, ut paulo post, Deo adsistente, ostensuri sumus. Neque ulla exstant in omni antiquitate ecclesiastica prodigiosi istius quadraginta horarum jejunii vestigia. Ac proinde fieri non potuit, ut vox 'Quadragesima' ab eo, quod nullum unquam fuit, jejunio deduceretur. Quid autem si largiamur erudito viro, unum vel alterum fortasse in Ecclesia primitiva solas quadraginta horas, quibus ablati sunt sponsus, jejunos transegisse? Hoccine Quadragesima vocari potuit? et quidem ab universa Ecclesia in Concilio Nicæno congregata? Sane Patres Nicæni voce ista tanquam omnibus et ubique cognita utuntur. Generales vero ritus vocesque ecclesiasticæ, non a singularium aut paucorum hominum, sed ab universalis Ecclesiæ usu praxique derivari solent. Quocirca, nisi probaverit Dallæus hoc non modo a privatis quibusdam hominibus, sed a majori, vel magna saltem Christianorum parte in more positum fuisse, ut quadraginta præcise horas ante Pascha jejunarent, nisi hoc, inquam, probaverit, nunquam efficiet Quadragesimam a quadraginta horis nuncupatam fuisse. Illud autem nec ipse probavit, nec unquam probari potest. Adhæc si Quadragesima a quadraginta horis dicatur, quænam, obsecro, ex istis quadraginta horis Quadragesima proprie dicatur? Hoc enim necessarium est quæsitum, quandoquidem nomen illud adjectivum est, quod suum postulat substantivum, quocum cohæreat: ut hæc vel illa quadragesima dicatur hora, a qua totum illud quadraginta horarum spatium nomen suum mutuetur, ut in vero hujus nominis etymo explicando mox videbimus. Vereor autem, ut hora illa vel ratione vel testimonio unquam indicetur. Nos porro hoc in loco de voce ista ut a Synodo Nicæna usitata disputamus. At Dallæus paulo ante dixerat, imo quidem concluderat, *illam, quam (Patres Nicæni) significant, Quadragesimam, non sex septemve hebdomadibus, sed paucis, id est quinque vel sex*

[Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9.] p. 483.

diebus ante Paschæ festum fuisse inchoatam. Ipsum itaque adversarium testem, vel etiam judicem advocamus, annon vox Quadragesima, ut a Patribus Nicænis usurpata, plus significet quam quadraginta horas? Nullus dubito, quin si sibi constiterit, hoc concedet. Quæstio itaque recurrit, quo sensu jejunium antepaschale 'Quadragesima' vocetur a Concilio Nicæno? Sensu quidem Dallæano, qui Quadragesimam a quadraginta horis deducit, ita vocari non potuit, siquidem ipse quinque vel sex dies tunc temporis jejunatos fuisse confitetur. Restat igitur, ut nostro, vel universalis potius Ecclesiæ, sensu, a quadraginta diebus jejunio ante Pascha dicari solitis nomen illud acceperit, idque longe ante concessum Nicænum, utpote qui pro concessio sumit neminem latere, quid sibi velit vox ista 'Quadragesima.' Quod tamen fieri non potuit, nisi diu ante usitata fuisset.

IV. Veritus autem eruditus vir, ne aliquem incredulum adeo lectorem inveniret, qui nullam huic conjecturæ citra omnem rationem prolatae fidem adhibeat, aliam a Rigaltio excogitatam nomenclaturæ hujus rationem in medium protulit. Post eam enim, quam ipse effinxit, explicatam, addit protinus, *Quæ si cui non satisfaciat, est et altera sane elegans et ingeniosa apud Rigaltium. Is enimvero vero propius esse censet, Priscos Christianos, Divinis et Apostolicis formatos institutis, jejunia sua a quadragesimali Christi jejunio Quadragesimam nuncupasse, ut significarent Judaica non esse, sed Christiana. Itaque memores adeptæ Dominica passione libertatis, quæ in Parascevæ diem inciderat, Parascevam quidem jejunio sacravisse, ut esset eo die, quod ait Septimius libro de oratione, 'communis et quasi publica jejunii religio.' Cujusmodi jejunium mox declarandi luctus a Dominica passione concepti studio in Sabbatum produxisse: sic tamen ut et jejunia quidem alia commendandis orationibus suis utilia servarent, sed ex arbitrio cujusque diversa; maxime autem ritus illius sabbatici jugo libera. Adeo ne quid Judaizare viderentur Parascevæ Christianæ seu Paschæ, σαραβωσίμων et Sabbati sequentis jejunium non Parascevam, neque Sabbatum appellavisse, sed Quadragesimam; ut jam esset Christianum jejunium, non Parascevæ, neque Sabbati, sed Quadragesimæ illius, jejunio Christi plane Divino transactæ, sacramentum. Et mox addit, Apostolis consilium fuisse, ut*

[Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, pp. 494, 495.]
Rigalt. ad Tertull. de Jejun. [cap. 2, pp. 544, 545.]

[Tert. de Orat. cap. xiv. p. 133, A.]

obliteratis Judæorum Sabbatis, jejunia sua Christiani, quæ Domino suo tantula pro tantis offerrent, de jejunii Dominici spatio vocitarent, ut qui minus ea quirent assequi reapse, saltem memoria venerarentur.

Quare Dallæus hoc Rigaltii commentum tanquam elegans atque ingeniosum laudaret, non video, nisi forsitan quod suo sit simile, hoc est, vero dissimillimum. Primo enim dicit priscos Christianos jejunia sua Quadragesimam a quadragesimali Christi jejunio nuncupasse, ut significarent Judaica non esse, sed Christiana. Hoc autem ista voce minime significatur, utpote quæ a quadragesimali Mosis et Helixæ æque ac Christi jejunio derivata, Judæis saltem, videretur. Deinde innuit hæc conjectura primitivos Christianos, ne Judaizare viderentur, ab ipsis etiam Judæorum vocibus abhorruisse; ejus contrarium e Parasceve, Sabbato, Pascha, Pentecoste, aliisque innumeris a Christianis pariter atque a Judæis semper passimque usitatis vocabulis patet. Adhæc illud sibi hic assumit, quod probare debuit, sed nequaquam potuit, solum Parasceves et Sabbati sequentis jejunium Quadragesimam dictum esse, idque ex ipso Apostolorum consilio; cujus rei nec in Apostolicis scriptis neque in ecclesiasticis vel vola exstat, vel vestigium: sed omnia potius in contrarium eunt: usque adeo ut ipse etiam Dallæus negare nequeat, quin vox *τεσσαρακοστή* in Canone Nicæno quinque saltem vel sex dies ante Pascha jejunio dicatos significet.⁴ Quid etiam, quod dicit jejunium Christianum Quadragesimam propterea nuncupatum, ut Quadragesimæ jejunio Christi (quod tamen Quadragesima antiquitus nusquam vocatum fuit) transactæ sacramentum esset? Jejunium duorum dierum sacramentum jejunii dierum quadraginta? Quale, quæso, hoc est sacramentum? Annon nomen illud multo melius mereretur, si, quod nos juxta cum Ecclesia primitiva sentimus, eodem dierum numero, quo ipsum Christi jejunium, perageretur? Secundum istam sane Ri-

⁴ [“ Nam ad eam quidem causam, quam nunc agimus, satis est, quod Quadragesima veteribus dicitur etiam id jejunium, quod quinque tantum aut etiam pauciorum dierum est. Inde enim liquet nihil promovere adver-

sarios, dum loca ex Patribus afferunt, in quibus Quadragesimæ vox simpliciter occurrit, qualis est ille Nicæne Synodi quintus Canon.” — Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, pp. 495, 496.]

galtii opinionem jejunium Christianum jejunii a Christo celebrati nomen fortasse habeat, sed præterea nihil, ac proinde sacramentum illius nulla prorsus ratione dici potest. Præsertim cum nec nomen revera habuerit; quandoquidem, ut dixi, jejunium Christi Quadragesima ab antiquis non dicatur. Hoc enim nomine jejunium Christi nunquam indigitatum fuit, nisi postquam commune fuisset jejunii antepaschalis a Christianis celebrati nomen; a quo ad jejunium Christi significandum a recentioribus transfertur, non e contra e jejunio Christi ad jejunium Christianorum. Quapropter licet dies illi quadraginta Christi jejunio transacti Quadragesimæ a Christianis peragendæ occasionem dederint, nomen tamen dare nequicquam potuerunt. Verum ne in his, vix dignis quæ recenseantur, refellendis diutius immoremur, Rigaltius hoc in loco concedit, asseritque priscos Christianos Divinis ac Apostolicis formatos institutis jejunium suum antepaschale Quadragesimam nuncupasse. Quod si verum sit, corruet Dallæi opinio, hanc vocem non nisi longo post Apostolos tempore ad jejunium istud significandum usitatam fuisse contendentis. Quare nihil est, quod Dallæus hanc Rigaltii conjecturam elegantem adeo atque ingeniosam vocet, quæ suam de hac voce sententiam penitus evertit. Quod si, sua derelicta opinione, Rigaltio concesserit Dallæus, jejunium antepaschale ab ipsis Apostolorum temporibus Quadragesimam appellatum fuisse, tota ejus de Quadragesima disputatio concidet. Nemini enim persuadebit unquam vel Dallæus vel quivis alius, quin jejunium antepaschale quadraginta dierum æque antiquum sit atque vox Quadragesima de eo usitata.

V. Discussis aliorum conjecturis de ratione, quare jejunium antepaschale τεσσαρακοστή, *Quadragesima*, olim dictum fuerit, tempus et necessitas modo flagitat, ut in verum propriumque hujus vocis etymon inquiramus. Quod quidem persuasissimum habeo non adeo difficile inventu fuisse, si tot eruditi viri, pro sui quisque ingenii acumine, tenebras ei non obduxissent. Plerique enim aliquo in ipsam rem hac voce significatam præjudicio laborantes, et nomenclaturæ propterea hujus rationem suis potius opinionibus quam opiniones suas ei accommodare studentes, eam non in voce ipsa, ubi quærenda erat, sed in nubibus quæsiverunt, ubi

scilicet nulla fuit. Res autem in propatulo ponitur, neque opus est, ut ab ipso nomine discedamus, si veram nomenclaturæ hujus rationem deprehendere velimus. Neminem enim latere potest nomen *Τεσσαρακοστή*, sive, quod idem est Latine, ‘Quadragesima,’ etiamsi substantivi naturam induat, et substantive vulgo usurpetur, revera tamen adjectivum esse, et quidem fœminei generis, cujus propterea generis substantivum ei subintellectum sit necesse est. Et nonnunquam, fateor, in profanis saltem auctoribus, *μοῦρα* seu *μερίς* subauditur, ut *τεσσαρακοστή* sit quadragesima pars alicujus rei. Quo tamen sensu hoc in loco accipi non potest, siquidem nihil est cujus jejunium antepaschale Quadragesima pars dicatur. Aliud itaque quærendum est substantivum. Quod facillime invenietur, si memoria teneamus nihil ecclesiasticis pariter ac profanis scriptoribus, tam Græcis quam Latinis, frequentius in more positum esse, quam in hujusmodi ad numerum pertinentibus adjectivis, substantivum *ἡμέραν*, *diem*, subintelligere, ut *κυριακή*, *Dominica*, *πρώτη*, *δευτέρα*, *τετάρτη*, *πέμπτη*, *prima*, *secunda*, *quarta*, *quinta* (hebdomadis), et, quod ad rem nostram proxime accedit, *Πεντηκοστή*, *Quinquagesima*, quibus omnibus vox *ἡμέρα* necessario subintelligitur. Nec aliud subintelligi potest substantivum, quocum cohæreat vox *τεσσαρακοστή*, quæ propterea stricte sumpta diem aliquam quadragesimam significat. Illud autem, quod *τεσσαρακοστή* a Nicænis aliisque Patribus vocatur, jejunium, ante festum Paschæ, ipso etiam Dallæo iudice, celebratum fuit. Quocirca hæc vox aliam proprie significare non potest, quam Quadragesimam ante Pascha jejuniis dicatam diem; quemadmodum scilicet *Πεντηκοστή*, *Quinquagesima*, est dies post Paschalem istam festivitatem. Quod si quadraginta ante Pascha retro numeremus dies, exceptis perpetuo Dominicis, quibus nunquam ullibi jejunare licuit, in diem vulgo vocatam ‘Cinerum’ incidemus, quæ est Quadragesima ante Pascha, ac proinde Caput jejunii appellari solet. Et hoc proculdubio sensu, qui primi jejunium antepaschale *τὴν Τεσσαρακοστήν* nominabant, vocem istam usurpabant. Sicut enim *Πεντηκοστή* est quinquagesima post festum Paschæ, sic *Τεσσαρακοστή* proprie sumpta est quadragesima dies ante festum Paschæ. Unde et proxima post Dominica nomen suum mutuatur. Quadragesima enim dicitur. Hinc etiam

tres antecedentes Dominicæ, una Quinquagesima, altera Sexagesima, tertia Septuagesima, vocantur. Ex ordine scilicet numerandi retro a Dominica Quadragesima. Quod quidem luculento nobis est argumento, dies hujus jejunii retro a Pascha numeratos esse. Ut directe numerando illa sit prima jejunii, quæ est quadragesima dies ante Pascha jejuniis consecrata. Neque enim Dominica illa 'Quadragesima' dici potuit (quo nomine antiquitus gavisata est) nisi quod a Pascha retrorsum numerando ea sit proxima Dominica post quadragesimam jejunii antepaschalis diem. Neque Dominicæ antecedentes, Quinquagesima, Sexagesima, Septuagesima, retrorsum appellatæ fuissent, nisi solenne fuisset Ecclesiæ dies ante Pascha retrorsum computare. Quo retrogrado numerandi modo, prima jejunii antepaschalis dies est Magnum Sabbatum paschalem celebritatem immediate præcedens. Ultima autem sive quadragesima est quarta septimæ hebdomadis antecedentis feria. Dominicæ enim, ut dixi, jejunio semper exemptæ fuerunt: ac propterea in unaquaque hebdomade sex soli dies jejunari solent, adeoque soli hic computari debent. Verum sexies sex triginta sex efficient, quibus si adjiciantur quatuor præcedentes, sive septimæ hebdomadis, dies, quadraginta præcise colligentur: dictaque quarta istius hebdomadis dies, quadragesima erit dies totius jejunii. Unde et totum jejunium isto nomine, 'Quadragesima' scilicet, nuncupatum est, non secus ac in Pentecoste videre licet. Namque Πεντηκοστή stricte sumpta est quinquagesima dies post Pascha. Ab ipsis tamen Ecclesiæ primordiis consuetudo obtinuit, ut vox ista non modo istam singularem diem, sed et totum temporis spatium a Pascha ad Pentecosten intercedens significaret; ut apud Tertullianum, *Excerpe singulas solennitates nationum, et in ordinem exsere, Pentecosten implere non poterunt*, id est, non poterunt adimplere solennitatem, qualis a nobis peragitur, quinquaginta dierum. Sic in Canone Apostolico XXXVII. de duabus etiam Synodis quotannis habendis agente, cautum est, ut una sit τῆ τετάρτη ἑβδομάδι τῆς Πεντηκοστῆς. Et in Canone Nicæno XX. legimus ἐν ταῖς τῆς Πεντηκοστῆς ἡμέραις. In his, et aliis quamplurimis, quæ cuius veterum monumenta legenti passim occurrunt, locis, vox Πεντηκοστή non ipsam quinquagesimam post Pascha diem, sed

[Tertull. de
Idolol. cap.
xiv. [p. 94,
B.]

[Pan. Can.
tom. i. p. 25,
D.]
[Ibid. p. 84
B.]

totum illud quinquaginta dierum spatium denotat, quod ab uno ad alterum festum labitur, et unam magnam solennitatem constituit. Ad eundem modum vox *Τεσσαρακοστή*, quæ proprie quadragesimam ante Pascha diem jejunio transactam significat, latius sumpta totum illud quadraginta ante Pascha dierum spatium notat, quod Ecclesia jejuniis consecrare consueta est; vel, ut semel dicam, ut *Πεντηκοστή* primo quidem diem quinquagesimam, deinde et quinquaginta dies post Pascha feriatos, sic *Τεσσαρακοστή* primo diem quadragesimam, et deinde quadraginta dies ante Pascha jejunos significat. Et ita in veterum pariter atque recentiorum scriptis passim vulgoque usitatur. Quod mirum nemini videatur, cum idem in voce *Πεντηκοστή* ex communi publicoque Ecclesiæ usu observare liceat. Hinc itaque clarissime conficitur, quare jejunium antepaschale *Τεσσαρακοστή* Græcis, Latinis Quadragesima dicatur, nimirum ex eo, quod, exceptis illis, quibus jejunare non licuit, diebus, jejunium illud Quadragesima ante festum Paschæ die inceperit, et ab ea usque die ad festum prædictum celebratum fuerit. Inde etiam est, quod totum hoc quadraginta dierum jejunium a prima ipsius die 'Quadragesima' nuncupetur. Qua quidem nomenclationis hujus ratione, nulla simplicior, nulla clarior, nulla primitivæ Ecclesiæ moribus magis consentanea reddi, vel inveniri potest, imo quidem nulla alia, quæ vel probabilis sit, vel ullam rationis speciem præ se ferat.

VI. Qui jejunium igitur antepaschale a Patribus Nicænis, de quibus hucusque diffusius egimus, τῆς *Τεσσαρακοστῆς* nomine indigitatum perpendit, veramque appellationis istius rationem, quam explicuimus, perspectam habet, dubitare nequit, quin jejunium istud illis etiam diebus a quadragesima ante Pascha die jejuniis dicata inceptum fuerit, et per quadraginta dies usque ad paschalem festivitatem propagatum. Vox enim *Τεσσαρακοστή* ab iis usurpata aliud significare non potest, quam vel ipsam quadragesimam diem ante Pascha, vel totam quadraginta dierum collectionem, quibus ante Pascha jejunatum est. Sive autem stricto, sive latiori, intelligatur sensu, quadraginta dies jejunio isti celebrando assignat. Si enim a quadragesima ante Pascha die inceperit, nihil dubii esse potest, quin quadraginta dies, usque ad

festum scilicet, continuatum fuerit. Ut autem ultimo ipsorum Canone Patres Nicæni totum a Pascha ad Pentecosten intervallum generali τῆς Πεντηκοστῆς nomine indigitant, eodem etiam modo vocem Τεσσαρακοστῆ hoc in loco usurpare videntur; pro toto scilicet temporis illius spatio, quod a quadragesima die ante usque ad ipsum Paschæ festum jejuniis dicatum fuit. Cum edicunt itaque unam quotannis Synodum πρὸ τῆς Τεσσαρακοστῆς celebrandam esse, nihil aliud sibi volunt, quam eam peragendam esse priusquam antepaschale quadraginta dierum jejunium incipiat. Idque hac ratione ab ipsis reddita, ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρῃται τῷ Θεῷ, *ut omnibus animi sordibus sublatis purum munus Deo offeratur.* Hoc est, ut, sedata omni inter Christianos discordia, sublataque, quæ exinde oriri solet, invidia, malitia, et omni animi pravitate, se totos lachrymis, eleemosynæ, precibus, aliisque Deo gratissimis muneribus per totum jejunium quadragesimale pure offerendis dedicerent, et devoveant. Unde simul colligere est, quanta reverentia, quanta religione sanctissimi illi Patres jejunium istud quadragesimale peragendum esse voluerunt, cum ipsi tanta cautione prospexerint, ut, sublata omni lite et discordia, per istud saltem tempus, purum ab omnibus Christianis munus Deo Omnipotenti offeratur.

[Pan. Can.
tom. i. p. 64,
C.]

CAPUT V.

Synopsis.

- I. *Testimonia pro jejuniis quadragesimalibus e S. Athanasio petita ab exceptionibus vindicata.*
- II. *Eusebii testimonium de Quadragesima, ex eo sumptum, quod is Therapeutarum ritus, ut a Philone descriptos, a Christianis suæ ætate observatos esse asseruerit.*
- III. *Therapeutas plerique Essenos fuisse opinantur. Cujus opinionis fundamentum evertitur. Quantum discriminis Essenos inter et Therapeutas fuit.*
- IV. *Inter Therapeutas et Christianos tanta fuit convenientia, ut Eusebius eos Christianos fuisse putaret. Sic etiam S. Hieronymus et Epiphanius. Quorum verba vindicantur et explicantur.*
- V. *Nulla datur ratio, eos non fuisse Christianos evincens. Argumentis ex eo petitis, quod antiquos auctores et allegoricas Scripturas habuerint, respondetur.*
- VI. *Aliæ contra hanc Patrum opinionem exceptiones diluuntur.*
- VII. *Haud mirum est, quod Therapeutæ hymnos et cantica Deo canerent, etsi Christiani fuissent. Ista consuetudo in Ecclesia semper obtinuit. Illi iisdem, quibus Christiani, in canendo ritibus usi sunt, ut antiphonis et ἀκροτελεστούσις.*
- VIII. *In jejuniis etiam peragendis, Therapeutis cum Christianis optime convenit. Nulla secta tot regiones istis diebus peragraverat, quot Philo Therapeutas incoluisse tradit, præter Christianos.*
- IX. *Quare ea, quæ Therapeutas Christianos fuisse statuit, opinio nobis probabilis videtur. Ex eo saltem quod antiqui Patres ita senserint, jejuniis quadragesimalibus antiquitas evincitur.*

I. ΑΔΗΛΟΝ, ut Ecclesia universa in Synodo Nicæna congregata, sic et singulares ejusdem ætatis Patres de jejuniis

antepaschali, ut religiose tunc dierum observato, et quidem sub Quadragesimæ nomine, meminerunt. Athanasius enim, quem istis claruisse diebus nemo nescit, in Epistola ad Orthodoxos, de persecutione a Georgio [Gregorio] Ariano in Ecclesiam Alexandrinam excitata loquens, eandem eo graviolem pejoremque pronunciat, quod in Quadragesima, imo mox ante Pascha, nefarie acta fuerat. Ταῦτα δὲ, inquit, ἐγίγνετο ἐν αὐτῇ τῇ ἁγίᾳ Τεσσαρακοστῇ, περὶ τὸ Πάσχα, ὅτε οἱ μὲν ἀδελφοὶ ἐνήστειον, *Hæc autem in ipsa sancta Quadragesima sub Pascha acta sunt, cum fratres jejuniis dediti erant.* Ubi ista verba, περὶ τὸ Πάσχα propterea, ut palam est, addit, ut ostenderet, hæc non in prima Quadragesimæ parte, sed in ultima, proxime ante ipsum Paschæ festum, perpetrata fuisse. Quod si Quadragesima paucis tantum ante Pascha diebus, ut opinatus est Dallæus, incepta fuisset, verba ista superflua essent, tota enim Quadragesima περὶ τὸ Πάσχα esset. Contra quod Athanasii testimonium nihil excepit eruditus vir, nisi quod Epistola illa non magnæ sit apud ipsum auctoritatis, utpote *quæ ab Athanasiani styli puritate, gravitate, atque simplicitate plurimum abhorrere videtur.* Ita fortasse illi videatur. Sed is primus est, ni fallor, qui Epistolam illam in dubium vocavit. Sed et eadem fere habentur in Epistola ejusdem Patris, quam ipse Dallæus genuinam esse fatetur,¹ ‘Ad solitariam vitam agentes’ conscripta, ubi de Secundo et sociis ejus, qui presbyterum in ipso mortis articulo dicentem, ‘Nemo me apud judicem vindicet, habeo vindicem Dominum Jesum Christum, pro Cujus nomine hæc patior,’ calcibus obtritum interfecerant, loquens, ait, Οἱ δὲ οὔτε λέγοντα ἤλθουν, οὔτε τὰς ἡμέρας ἐδυσσωποῦντο, ἐν αὐτῇ γὰρ τῇ Τεσσαρακοστῇ λακτίζοντες ἀπέκτειναν τὸν ἄνθρωπον. *Illi autem nec hominem ita loquentem miserti sunt, neque dierum ullam reverentiam habuerunt; in ipsa enim Quadragesima hominem calcitrando elidebant.* Ubi iterum crimen ex eo aggravatur, quod in ipsa Quadragesima perpetratum esset, quodque nullam haberent istorum dierum reverentiam. Unde tempus istud illis diebus summa religione observatum fuisse constat. Quod dilucidius adhuc apparet ex ejusdem Apologia priori ad Imperatorem Con-

[Encyc. ad
Episc. Epist.
cap. iv. Op.
tom. i. p.
114, D.]

Dall. de
Jejun. et
Quadr. lib.
iii. cap. 9, p.
496.

[Hist. Ar.
ad Monach.
cap. lxxv. Op.
tom. i. p.
383, D.]

¹ [“ Quod germanum est ac genuinum Athanasii opus.”—Dall. de Jejun. et Quadragesima, lib. iii. cap. 9, p. 496.]

Athan. Apol.
I. ad Con-
stant. [cap.
15. Op. tom.
I. pp. 303, F,
304, A.]

stantium, ubi hæc diserte dicit, Πίστευε γὰρ, Βασιλεῦ, καὶ περὶ
τούτου πάλιν μάρτυρα δέξαι τὴν ἀλήθειαν, ὅτι ἐν ταῖς συνάξεσι τῆς
Τεσσαρακοστῆς, διὰ τὸ τῶν τόπων στενὸν, καὶ τὸ πολὺ πλῆθος τῶν λαῶν,
πλεῖστα παιδιά, καὶ οὐκ ὀλίγαι νεώτεραι γυναῖκες, πλείσταί τε γραιῖδες, καὶ
οὐκ ὀλίγοι νεανίσκοι θλιβέντες ἀπηνέχθησαν εἰς τοὺς οἴκους, καὶ, τοῦ Θεοῦ
παρασχόντος, τέθνηκε μὲν οὐδεὶς. *Crede mihi, Imperator, et in
eam rem testem veritatem ipsam accipe. In synaxibus Quadra-
gesimæ, ob locorum angustiam, et magnam populorum multitu-
dinem, plurimos pueros, nec paucas puellas, et aniculas com-
plures, et adolescentes non paucos, afflictos jacuisse, et domum
delatos esse, ita tamen ut, Dei benevolentia, nemo eorum
perierit.* Complures sane Alexandria erant Ecclesiæ, quibus

Hær. lxiix.
[Arian.]
num. 2. [Op.
tom. I. p. 728,
B.]

Synaxes peragi solebant, ut testatur Epiphanius. Sed nihilo-
minus Synaxes per Quadragesimam in iis omnibus cele-
bratas tanta hominum frequentia circumfusas esse, ut in con-
ferta turba plurimi elisi propemodum et præfocati essent,
ipse sanctissimus sedis illius Antistes fidem hic plenissimam
facit. Tanta istis diebus reverentia observabatur Quadra-
gesima. Ut nemini mirum videatur, quod a Patribus
Nicænis cautum sit, ut una quotannis ante istud tempus
Synodus habeatur, qua omnes ita componantur lites, ut
purissimum, quoad fieri potuit, munus istis saltem diebus
Deo offeratur. Idem denique Pater in altera etiam ad

Athan. Apol.
[de Fuga, cap.
6, Op. tom. I.
p. 323, A.]
Dall. [de
Jej. et Quadr.
lib. III. cap.
9,] p. 497.

eundem Imperatorem Apologia Quadragesimæ mentionem
induxit, his verbis, Εἴτ' ἐλθὼν τῇ Τεσσαρακοστῇ ὁ παρ' αὐτῶν
ἀποσταλείς. Quid ad hæc Dallæus? *Sed neque ista, inquit,
neque alia, siqua sunt similia, nos cogunt fateri, istis, quibus ea
scripsit Athanasius temporibus, hoc est, circiter annum Domini
CCCXLI. et CCCXLII., jam usitatum fuisse quadraginta
dierum apud Christianos ante Pascha jejunium. Potest enim
Quadragesimæ vox, [ut paulo ante demonstravimus], commode et
ex usu Patrum de jejunio paschalis hebdomadis intelligi, quod
sex ad summum dierum erat.* Egregia sane disputandi
formula, qua omnes fere controversiæ uno verbo dirimantur.
Possibile enim est, ut aliter pleræque res se habeant, quam
opinantur adversarii. Nos autem, non quid potest fieri, sed
quid reapse factum est, inquirimus. S. Athanasius jejunium
antepaschale τὴν Τεσσαρακοστὴν passim appellat. Ea vox pro-
prie diem quadragesimam, et exinde quadraginta dierum
jejunium ex communi Ecclesiæ usu notat, ut ante osten-

dimus. Sed possibile est, nonnulli ea usque adeo abutantur, ut de sex dierum jejunio usurpent. Quis autem præter Dallæum argumentum ex ista possibilitate formare potuit, vocem istam ab ipso etiam Athanasio καταχρηστικῶς adeo usurpatam fuisse? Sed hoc non dicit: dicit tantummodo fieri posse ut ita intelligatur: hoc est, se victum fatetur et latebras quæritantem. Sed *ita*, inquit vir doctus, *accipienda suadent ea, quæ paulo post ultimum* (penultimum, ut a nobis citatur) *locum subjicit Athanasius, cum idem illud tempus, quod Quadragesimam dixerat, τὰ προέορτα mox vocat. Ei δὲ, ἐν τοῖς προέορτοις τοιαύτη γέγρονε θλίψις, τί ἂν ἐγγένοι ἐν αὐτῇ τῇ ἑορτῇ; Ubi festum, inquit Dallæus, indubie est Pascha; τὰ προέορτα dies Pascha antecedentes, hoc est hebdomas passionis Dominicæ. Nam ut τὰ προέορτα dicantur, quæ festum sex septemve hebdomadibus antecedunt, communis sermonis ratio vix patitur. Ubi caute admodum interseruit dubitandi particulam ‘vix.’ Neque ipse enim absolute negare potuit, quin quadraginta jejunii antepaschalis dies festi ipsius Paschalis respectu τὰ προέορτα jure appellentur, æque ac quinque aut sex. Quod adeo clarum est et omnibus notum, ut non opus sit rationibus asseratur. Præsertim cum ipse quoque Dallæus illud diserte negare non ausus sit.*

[Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 9, pp. 497, 498.]

[Apol. ad Const. cap. 15. Op. tom. i. p. 304, A. B.]

II. Ut S. Athanasius Alexandrinus, sic et Eusebius Cæsariensis Synodi Nicænæ tempore florebat, eidemque intererat. Hic vero summæ jejunii quadragesimalis antiquitati adstruendæ præclarum contribuit testimonium, eo quod Therapeutas, a Philone Judæo libro ‘De Vita Contemplativa’ descriptos, Christianos fuisse a Marco Evangelista edoctos affirmet. Quo hoc autem argumentum manifestius cuivis evadat, imprimis tenendum est, quod doctissimus ille Philo Judæus, dicto *περὶ τοῦ βίου θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν* libro, hominum quoddam genus in Ægypto alibique degentium fuse describit, quos, viros quidem *θεραπευτάς*, fœminas vero *θεραπευτρίδας*, dictos fuisse testatur. Horum ille pietatem erga Deum, abstinentiam, frugalitatem, contemptum mundi, omnes denique virtutes summis laudibus prosequitur. Inter alia de iis dicit, quod *οἷτοι τὸ μὲν πρῶτον ἀθροίζονται δι’ ἑπτὰ ἐβδομάδων, (οὐ μόνον τὴν ἀπλὴν ἐβδομάδα, ἀλλὰ καὶ τὴν δύναμιν τεθηπότες· ἀγνὴν γὰρ καὶ ἀειπάρθενον αὐτὴν ἴσασι.) ἔστι δὲ προέορτιος μεγίστης ἑορτῆς, ἣν πεντηκοντάς ἔλαχεν, ἀγιώτατος*

[Phil. Jud. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 481.]

καὶ φυσικώτατος ἀριθμῶν. *Hi quidem primo conventus suos celebrant per septem hebdomadas, venerati non modo simplicem septenarium, sed et vim ejus multiplicem. Castam enim sciunt hebdomada et semper virginem. Tempus istud profestum est maximæ festivitatis, incidentis in numerum quinquagenarium sanctissimum et summe naturalem. Deinde, descriptis eorum publicis conventibus, addit, Οἶνος ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐκ εἰσκομίζεται, ἀλλὰ διαυγέστατον ὕδωρ, ψυχρὸν μὲν τοῖς πολλοῖς, θερμὸν δὲ τῶν πρεσβυτάτων τοῖς ἀβρυδιαίτοις, καὶ τράπεζα καθαρὰ τῶν ἐναίμων, ἐφ' ἧς ἄρτοι μὲν τροφή, προσόψημα δὲ ἄλλες, οἷς ἔστιν ὅτε καὶ ὕσσωπος ἡδύσμα παραρτύεται διὰ τοὺς τρυφῶντας. *Vinum per illos dies non præbetur, sed aqua limpidissima, plurimis frigida, calida vero iis, qui inter seniores tractantur delicatius. Mensa pura est a cruentis dapibus; pro cibo panis opponitur, sal pro opsonio, et pro condimento hyssopus nonnunquam in delicatiorum gratiam. Post hæc subjungit, ut sacræ iis literæ prædicatæ sunt, ut ὁ πρόεδρος cæterique congregati hymnos in Dei laudem canant, et τὴν ἱερὰν παννυχίδα, sacrum pervigilium celebrent.*²*

[Phil. Jud. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 481.]

Hæc a Philone de Therapeutis dicta, de Christianis illius ætatis, hoc est, nonnullis saltem ex Apostolis adhuc superstitionibus, intelligenda esse contendit Eusebius, idque hac ratione, quod, quæ hic de Therapeutis dicuntur, cum Christianorum moribus ac institutis ab ipsis Apostolorum temporibus ad suam ætatem observatis convenire videbat: cujus rei multa addit specimina. Inter alia autem e Philonis verbis ante laudatis, sic disputat, Τὶ θεὸς τούτοις ἐπιλέγειν τὰς ἐπὶ ταύτων συνόδους, καὶ τὰς ἰδίαι μὲν ἀνδρῶν, ἰδίαι δὲ γυναικῶν ἐν ταύτῳ διατριβάς, καὶ τὰς ἐξ ἔθους εἰσέτι καὶ νῦν πρὸς ἡμῶν ἐπιτελουμένας ἀσκήσεις, ἃς διαφερόντως κατὰ τὴν τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτήν, ἐν ἀσιτίαις καὶ διανυκτερεύσεσιν, προσοχαῖς τε τῶν θείων λόγων ἐντελεῖν εἰώθαμεν ἅπερ ἐπακριβεῖς, τὸν αὐτὸν ὄν καὶ εἰς δεῦρο τετήρηται παρὰ μόνους ἡμῶν τρόπον, ἐπισημηνάμενος ὁ δηλωθεὶς ἀνὴρ τῇ ἰδίᾳ παρεδέδωκε γραφῇ, καὶ μάλιστα τὰς τῆς μεγάλης ἑορτῆς παννυχίδας, καὶ τὰς ἐν ταύταις ἀσκήσεις, τοῦς τε λέγεσθαι εἰωθότας πρὸς ἡμῶν ὕμνους ἱστορῶν. *Quid præterea hic attinet commemorare et virorum et mulierum*

Hist. Eccles. lib. ii. cap. 17. [pp. 67-70.] [Ibid. pp. 69, 70.]

² [Ἐπειδὴν οὖν ἰκανῶς ὁ πρόεδρος διελίχθη δοκι . . . ἴσιστα ὁ ἀναστάς ὕμνον ἄδῃ ἀποποιημένοι εἰς τὸν Θεόν. . . .

μετὰ δὲ τὸ διᾶσθαι τὴν ἱερὰν ἄγουσι παννυχίδα.—Phil. Jud. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 484.]

seorsim degentium studia atque exercitationes, quæ apud nos etiamnum in usu sunt, præcipue circa diem festum Dominicæ passionis, quo tempore jejuniis atque vigiliis, et sacrorum librorum lectioni impensius vacare consuevimus. Quæ omnia vir ille toties jam nominatus (Philo) eodem plane modo, quo a nobis solis hodieque observantur, accurate notata scriptis suis tradidit, ac imprimis pervigilia magnæ solennitatis, piusque in iisdem exercitationes, et hymnos, qui a nobis recitari solent, commemoravit. Et paucis interjectis, "Ὅπως τε κατὰ τὰς

δεδηλωμένας ἡμέρας ἐπὶ στιβάδων χαμευνοῦντες, οἴνου μὲν τὸ παράπαν, ὡς αὐτοῖς ῥήμασιν ἀνέγραψεν, οὐκ ἀπογεύονται, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἐναίμων τινός· ὕδωρ δὲ μόνον αὐτοῖς ἐστὶ τὸ ποτὸν, καὶ προσύψημα μετ' ἄρτου ἄλλες καὶ ὕσσωπον. Utque per illos dies humi in stramentis recubantes, a vino quidem, ut ejus verbis utar, penitus abstineant, neque carnes ullas degustent, sola autem aqua ad potum utantur, neque ad panem aliud quippiam adhibeant, præter sal et hyssopum.

Hæc, licet prolixa, idcirco transcripsimus Eusebii verba, ut facilius clariusque ex iis lectori appareat, Eusebium in ea fuisse opinione, quæ jejunium antepaschale ab ipsis Ecclesiæ primordiis observatum fuisse statuit, idque eodem modo, quo suo et Synodi Nicænæ tempore observabatur.

Enimvero quæ Philoni ἡ μεγίστη ἑορτὴ vocatur, eam Eusebius τὴν τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτὴν, et τὴν μεγάλην ἑορτὴν appellat, quo quidem nomine festum Paschæ a Christianis vulgo indigitatum fuisse, cuique notum est. Ante magnam hanc festivitatem Philo septem a Therapeutis celebratas fuisse hebdomadas tanquam προεόρτιον τῆς μεγίστης ἑορτῆς, et in illis diebus publicos frequenter habitos fuisse conventus, et strictissima observata jejunia tradit. Adeo ut nihil potarent præter aquam, nihil ederent præter panem, salem, et hyssopum.

Hæc Eusebius sua ætate Christianis circa festum Dominicæ passionis in usu esse affirmat, Quo tempore, inquit, jejuniis, vigiliis et sacrorum librorum lectioni impensius vacare consuevimus. Quapropter, etiamsi concedamus Therapeutas a Philone descriptos revera non fuisse Christianos, sed hallucinatum esse Eusebium hoc asserentem, ex eo tamen, quod is illud asseverarit, et jejunia ista, quæ Philo per septem hebdomadas ante magnam festivitatem ab iis peracta describit, a sui temporis Christianis observata esse affirmarit, ex eo, inquam, luculentissime constat, non modo jejunium

Euseb. Hist. Eccles. lib. ii. cap. 17. [1. 70.]

[Phil. Jud. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 481.]

antepaschale quadraginta dierum, sive septem ferme, exceptis Dominicis, hebdomadam, Concilii Nicæni tempore vulgo obtinuisse, verum et Eusebium sibi persuasum habuisse, quod idem quadragesimale jejunium ab ipsis Apostolorum temporibus observatum fuerat. Philo enim, qui hæc de Therapeutis tradidit, nonnullis saltem Apostolorum coætaneus fuit. Quod quidem summæ jejunii istius antiquitatis illustre est documentum. Si vel suo enim vel præcedenti seculo illud institutum fuisse vel novisset Eusebius, vel etiam dubitasset, ipsis Apostolorum temporibus acceptum referre nolisset.

III. Sive itaque Therapeutæ, a Philone celebrati, Christiani fuerint, sive Judæi, argumentum ex Eusebii de iis testimonio deductum, istud, de quo agimus, jejunium longe ante Synodum Nicænam observatum fuisse evincit. Quod si constaret eos Christianam amplexos esse religionem, jejunium illud multo adhuc antiquius appareret, et ab ipsis Apostolis aliquo modo institutum. Et quidem etiamsi illud omni asseveratione cum Eusebio affirmare non ausim, in eam tamen magis propendo sententiam, quæ Therapentas religione Christiana instructos judicat. Primo enim qui aliter sentiunt, eos Essenos fuisse, certam quandam Judæorum sectam, plerique contendunt. Dicunt nimirum Philonem de duobus egisse Essenorum, vel Essæorum generibus, quorum illi practicam, hi theoreticam agebant vitam, de iis quidem in libro præcedenti *περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον*, de his autem in hoc *περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν* inscripto libro. Verumenimvero, cum ipse Philo nullibi dicat duo fuisse Essenorum genera, mirum est, si alii illud ex ejus libris eliciant. Sed fundamentum hujus opinionis jactum est in primis libri ultimo nominati 'De Vita Contemplativa' verbis, quæ sic habent, Ἐσσαίων περὶ διαλεχθείς, οἱ τὸν πρακτικὸν ἐζήλωσαν καὶ διεπύνησαν βίον, ἐν ᾧ αἴσασιν, ἢ, τὸ γούν φορητότερον εἶπεθ, τοῖς πλείστοις μέρεσι, διενεγκόντες αὐτίκα καὶ περὶ τῶν θεωρίαν ἀσπασαμένων ἀκολουθία τῆς πραγματείας ἐπόμενος τὰ προσήκοντα λέξω. *Postquam de Essæis disseruimus, qui vitam activam exercent omnibus, aut, quod minus invidiosum dictu est, plerisque felicius; ordo postulat, ut deinceps de iis, qui contemplationi dediti sunt, dicamus ea quæ dicenda sunt.* Qua autem arte ex his verbis colligatur, Philonem in hoc etiam libro de Essæis loqui, me

[E. g. Scalliger de Emend. Temp. lib. vi. p. 538.]

[Phil. Jud. Op. tom. II. p. 445.]
[Ibid. p. 471.]

[Ibid. p. 471.]



prorsus fugit. Dicit quidem se in præcedenti libro, 'Quod omnis probus sit liber,' de Essæis, qui vitam activam exercebant, disseruisse. Non autem dicit se in hoc etiam libro de Essæis, sed generatim de iis, qui contemplationi dediti erant, acturum esse. Quos propterea ab Essæis aperte distinguit. Quod manifestius adhuc exinde apparet, quod per totum hunc librum eos, de quibus agit, 'Εσσαίους nusquam appellet, nec 'Εσσαίους sed Θεραπευτάς appellatos fuisse dicat.

Θεραπευται γάρ, inquit, και Θεραπευτρίδες ἐτύμως καλοῦνται. **Quin** hujus etiam nomenclaturæ alias atque τῶν 'Εσσαίων rationes affert. Libro enim præcedente, περι τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον, ubi de Essæis agit, eos dicit esse παρωνύμους ὁσιότητος, a sanctitate nominatos, nimirum a voce Syriaca *ܚܫܝ* Hasi, ὁσιος, sanctus, probus, unde *ܠܚܫܝܘܬܐ* Hasiuto, ὁσιότης.³ Atqui in hoc 'De Vita Contemplativa' libro, ubi de Therapeutis loquitur, eos ita vult appellatos, ἀπὸ τοῦ θεραπεύειν τὰς τῆς ψυχῆς νόσους, a curandis animæ morbis, vel ἀπὸ τοῦ θεραπεύειν τὸ ὄν, ὃ και ἀγαθοῦ κρεῖττόν ἐστι, και ἐνὸς εἰλικρινέστερον, και μονάδος ἀρχεγονώτερον, A colendo Ente eo, quod bono melius est, et uno sincerius, et unitate in generando antiquius.⁴ Si Philo autem Therapeutas eosdem esse ac Essenos putasset, quare eos per diversa nomina a diversis originibus a seipso derivata distinguit? Quare etiam Therapeutas nunquam Essenos, nec Essenos Therapeutas vocat? An quia hi contemplativam, illi activam agebant vitam? Atqui hæc nomina nihil plane ad istam distinctionem conducunt: neque enim vox 'Essenus' vitam activam innuit, nec contemplativam 'Therapeuta.' Sed si eadem fuissent secta, hæc in vitis ipsorum distinctio minime obstaret, quo minus ambo Esseni pariter atque Therapeutæ dicerentur. Philo autem tantum inter eos discriminis observarat, ut uno ambos nomine indigitare non potuerit, ac proinde hanc nominum distinctionem accurate admodum observat. Ubi de Essenis loquitur, nec verbum habet de Therapeutis; ubi de Therapeutis, nec verbum de

[Phil. Jud. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 471.]

³ [Κατ' ἰμὴν δόξαν (οὐκ ἀκριβεῖ τύτῳ διαλίπτου Ἑλληνικῆς) παρωνύμοι ὁσιότητος.—Phil. Jud. Op. tom. ii. p. 457.]

⁴ ["Ἦτοι παρ' ὅσον ἰατρικὴν ἰσαγγίλλονται κρῖσσονα τῆς κατὰ πόλις (ἢ μὲν γὰρ σώματα θεραπεύει μόνον· ἐκίνη δὲ

και ψυχὰς νόσοις κικρατημένας χαλιπαῖς και δυσίατοις . . .) ἢ παρ' ὅσον ἐκ φύσει και τῶν ἱερῶν νόμων ἰσαδιούθησαν θεραπεύειν τὸ ὄν, κ. τ. λ.—Phil. de Vita Contemp. Op. tom. ii. pp. 471, 472.]

Essenis. Sed de istis sigillatim, ut diversis omnimodo sectis agit. Josephus etiam, qui Essenos fuse descripsit, eos Therapeutas nominatos esse nusquam affirmat, neque uspiam observat eos duorum fuisse generum, quorum hi actioni, illi contemplationi dediti erant. Dicit tantummodo alium fuisse Essenorum ordinem, cibos quidem et mores legesque similes habentem, ab aliis vero opinione de conjugio discrepantem.

[Joseph. de Bell. Jud. lib. ii. cap. 8, sectt. 2-13. Op. tom. ii. pp. 160-165.]

"Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον, inquit, Ἑσσηῶν τάγμα, ὃ διαίταν μὲν, καὶ ἔθνη, καὶ νόμιμα τοῖς ἄλλοις ὁμοφρονοῦν· διστὸς δὲ τῇ κατὰ γάμον δόξῃ. Quod si hæc eorum distributio in activos et contemplativos ex male intellectis Philonis verbis detorta Josepho innotuisset, illam proculdubio imprimis adnotasset. Adhæc, si ea, quæ ipse Philo de Essæis scribit, cum iis conferantur, quæ de Therapeutis tradit, eas diversas omnino sectas fuisse

Ibid. [sect. 13, p. 165.]

clarissime elucescet. Ex ipsius enim verbis constat, Essenos in Syria sola et Palæstina fuisse, Therapeutas autem in multis aliis regionibus, apud Græcos et Barbaros, et præcipue in Ægypto circa Alexandriam. Illi in vicis,⁵ hi in solitudine habitare amabant.⁶ Illi ædes suas sacras, Judæorum more, 'Synagogas'⁷ appellabant, hi suas *σεμνεῖα καὶ μοναστήρια*.⁸ Illi muliebrem sexum aversabantur,⁹ hi *θεραπευτρίδας* suas secum alebant. Ritus denique in sacris obeundis, necnon in civilibus negotiis mores, diversissimos habebant, ut cuilibet ea, quæ Philo, Josephus, et Plinius, de Essenis tradiderunt, cum iis, quæ de Therapeutis a Philone solo dicuntur, conferenti patebit. Adeo ut, cujuscunque fuerint sectæ Therapeutæ, Esseni saltem nequaquam dici possunt.

[Vide supra, p. 258.]

[Plin. Hist. Nat. lib. i. cap. 15, (al. 17.) Op. tom. i. p. 262.]

IV. Verumenimvero præter Sadducæos, Pharisæos, et Essenos, alia a Philone et Josepho nulla inter Judæos secta

⁵ [Οὔτοι μὲν τὸ πρῶτον κωμηδὸν οἰκοῦσι.—Phil. de Essenis, in Libro, Quisque virtuti studet. Op. tom. ii. p. 457.]

⁶ [Οὔτε δὲ ἰγγύς, [οἰκίαι] ἄσπερ αἱ ἐν τοῖς ἄσπεσιν, ὀχληρὸν γὰρ καὶ δυσάρεστον τοῖς ἰσημίαν ἰζηλωκόσι καὶ μιταδιώκουσιν αἱ γιτινάσσει.—Ibid. de Vita Contemp. tom. ii. p. 475.]

⁷ [Εἰς ἱερὸς ἀφικνούμενοι τόπους, οἱ καλοῦνται συναγωγαί.—Ibid. de Essenis. Op. tom. ii. p. 458.]

⁸ [Ἐν ἰκάστη δὲ οἰκίᾳ ἱερὸν ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον, ἐν ᾧ μονοῦμενοι

τὰ τοῦ σεμνεῖου βίου μυστήρια τελοῦνται· μηδὲν εἰσκομίζοντες, μὴ ποτὸν, μὴ σῖτον, μηδὲν τι τῶν ἄλλων, ὅσα πρὸς τὰς τοῦ σώματος χρείας ἀναγκαῖα, ἀλλὰ νόμους καὶ λόγια θειασισθίντα διὰ προφητῶν, καὶ ὕμνους, καὶ τὰ ἄλλα, οἷς ἐπιστήμη καὶ εὐσίβεια συναύξονται καὶ τελιοῦνται.—Phil. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 475.]

⁹ [Τὴν παρ' ὅλον τὸν βίον συνεχῆ καὶ ἐπάλληλον ἀγνίαν [παρίχονται].—Ibid. de Essenis. Op. tom. ii. p. 458.]

commemoratur. Therapeutas autem a Philone descriptos nec Sadducæos fuisse nec Pharisæos, inter omnes convenit; Essenos etiam eos non fuisse, e supradictis patet. Quocirca haud mirum est, quod Eusebius eos non inter Judæos, sed Christianos potius recensuerit; præsertim, cum, etiamsi Judæis orti, nonnullos eorum ritus retinuerint, in aliis tamen Christianorum instituta religiose sequerentur. Ut Eusebius enim recte ex Philone observat, simul atque aliquis ad hoc philosophandi genus se contulerit, omnibus suis bonis ad propinquos transmissis cedebat.¹ Quod etiam de primis Christianis Actus Apostolorum divinitus conscripti testantur, ut ubi scriptum habemus primos Apostolorum discipulos, prædiis ac facultatibus suis venditis, pretium fratribus, prout cujusque necessitas flagitaret, divisisse, adeo ut inter ipsos nemo egenus existeret. Porro Therapeutæ, Christianorum ad instar, Ecclesias suas variis in locis exstructas habebant, quæ 'semnea' et 'monasteria' dicebantur, in quibus sanctioris vitæ mysteria, remotis arbitris, soli peragebant. Nec quicquam profanum eo secum ferebant, sed legem duntaxat et prophetarum oracula, hymnosque, et alia hujusmodi quibus pietas et scientia augeantur. Apud eos etiam commentaria erant veterum,² quæ Eusebius Evangelia et Apostolorum scripta et expositiones quasdam veterum prophetarum fuisse opinatur. Adhæc jejuniis et vigiliis et sacrorum librorum lectioni vacabant toti Therapeutæ, non minus quam Christiani, circa paschalem festivitatem. Quinetiam πρόεδρον suum, sive Episcopum, necnon diaconos ministrantes Therapeutæ Christianorum more habebant.³ E quibus colligit Eusebius, Philonem primos Evangelicæ doctrinæ prædicatores, et ab Apostolis traditam Ecclesiæ Christianæ disciplinam in mente habuisse, cum ista de Therapeutis scribebat:⁴ eo scilicet

[Hist. Eccles. lib. ii. cap. 17, p. 67.]

[Act. Ap. iv. 32-34.]

¹ [Ἐἶτα διὰ τὸν τῆς ἀθανάτου καὶ μακαρίας ζωῆς ἕμιρον τιτιλιυτηκίνας νομίζοντες ἦδη τὸν θνητὸν βίον, ἀπολείπουσι τὰς οὐσίας υἱοῖς ἢ θυγατέρας, εἴτε τοῖς ἄλλοις συγγίναις, ἰκουσίῃ γνώμῃ προσκληρονομούμενοι.—Phil. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 473.]

² [Ἔστι δὲ αὐταῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν.—Ibid. p. 475.]

³ [Ἐπιδὸν οὖν ἰκανῶς ὁ πρόεδρος,

κ. τ. λ. ut supra.—Phil. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 484.

Στῆναι δὲ τοὺς διακονομένους ἐν κόσμῳ πρὸς ὑπηρεσίαν ἰσοίμους.—Ibid. p. 483.]

⁴ [Ὅτι δὲ τοὺς πρώτους κήρυκας τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον διδασκαλίας, τὰ τε ἀρχῆθεν πρὸς τῶν Ἀποστόλων ἴση παραδομένα καταλαβὼν ὁ Φίλων ταῦτ' ἔγραψε, παντὶ τῶ δῆλον.—Euseb. Hist. Eccles. lib. ii. cap. 17, p. 70.]

quod hæc a Christianis ad suam usque ætatem ubique observata videret. Neque solus fuit in hac opinione Eusebius. Namque S. Hieronymus eum secutus est, in catalogo scriptorum ecclesiasticorum hæc habens, *Philo Judæus natione Alexandrinus, de genere sacerdotum, idcirco a nobis inter scriptores ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est: non solum eos ibi, sed in multis quoque provinciis esse memorans, et habitacula eorum dicens monasteria.*

[Hier. de Viris Illus. cap. xi. Op. tom. ii. col. 833.]

Dallæus autem dicit Hieronymum parum sibi hic constare, *ut qui alibi diserte scripsit, de Essenis Judæorum secta Philonem tractatum illum confecisse.*⁵ Verum nihil est quod Dallæus in D. Hieronymum, ut sibi hic non constantem, inveheretur. Philo enim proprium de Essenis volumen edidit, diversum ab eo quod de Therapeutis conscripsit, ut omnibus notum est. Ac propterea hæc D. Hieronymi verba non de illo Philonis tractatu, 'De Vita Contemplativa,' quo de Therapeutis, sed de altero illo cui titulus 'Quod omnis probus sit liber,' quo diserte de Essenis agitur, intelligenda sunt. Sed

De Jejun. et Quadr. lib. ii. cap. 4. [pp. 246, 247.]

[Ibid. p. 247.] *Hieronymus, inquit Dallæus, et Epiphanius Eusebii hallucinationem, ut in aliis non paucis solent, ita hic quoque ἀνεξήρατος sequuti sunt.* Verum hæc gratis dicta sunt. Neque unquam a quolibet impetrabit Dallæus, ut ipsi fides habeatur nude asserenti, doctissimum illum Patrem D. Hieronymum adeo incautum fuisse et imprudentem, ut Eusebii in omnibus sententiam sine consilio et judicio sequeretur. Non equidem diffiteor, quin D. Hieronymus in ecclesiastica forsitan Eusebii historia legerit Philonem de Christianis locutum esse. Hoc autem ille postea affirmavit, non quod Eusebius idem dixerat, sed quod summis id rationibus adstructum viderat: istiusmodi scilicet, quibus ipse in eandem opinionem fidemque adductus est. Hanc enim Hieronymi æque ac Eusebii sententiam fuisse, pro certissimo habemus. Et quod ad Epiphaniū spectat, ille in eadem quoque sententia fuit;

⁵ [“ Josephus tria describit dogmata Judæorum, Phariseos, Sadduceos, Essenos, quorum novissimos miris effert laudibus, quod et ab uxoribus, et vino, et carnibus semper abstinerunt, et quotidianum jejunium

verterint in naturam. Super quorum vita et Philo, vir doctissimus, proprium volumen edidit.”—Hier. adv. Jovin. lib. ii. cap. 14, tom. ii. p. 343, D.]

quam tamen ab Eusebio nullus hausit. Eusebius enim Christianos illos a Philone descriptos Therapeutas vocat. Epiphanius autem alio eos nomine indigitat. Nam Ἰεσσαίους appellat. Imo quidem ipsum illum Philonis librum, quem Eusebius περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν, Epiphanius eundem περὶ Ἰεσσαίων inscriptum ait. Ex qua etiam inscriptione hic colligit, Christianos primitus Ἰεσσαίους nuncupatos esse. Cujus appellationis varias reddit rationes.⁶ Ita enim appellatos dicit vel ἀπὸ τοῦ Ἰεσσαί, Davidis Patre, vel potius ab ipso Domini nostri nomine Ἰησοῦ (quemadmodum ab altero Ejus nomine Χριστιανοὶ Antiochiæ primo cognominati sunt) idque: Διὰ τὸ ἐξ Ἰησοῦ ὀρμᾶσθαι, μαθηταὶ ὄντες αὐτοῦ, ἢ διὰ τὸ τῆς ἐτυμολογίας τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου Ἰησοῦς γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον θεραπευτῆς καλεῖται, ἥτοι ἰατρός, καὶ σωτήρ. *Quod a Jesu disciplina profecti, ejusdem discipuli essent: vel ex ipsa etymologia nominis, quo vocatus est Dominus. Jesus enim in dialecto Hebraica θεραπευτῆς, vel medicus et servator est. Hic docti, fateor, viri Epiphanio vitio verterunt, quod nomen Ἰησοῦ Græcæ originis esse crediderit, ἀπὸ τοῦ ἰάσασθαι, sive Ionice ἰήσασθαι, curare: sed immerito prorsus. Is enim vocem istam a lingua Hebraica derivatam esse diserte affirmat. Ut qua Ἰησοῦς, ait, θεραπευτῆς καλεῖται, ἢ ἰατρός καὶ σωτήρ. Nec incongrue quidem. Nam ῥυῖη, unde ῥυῖη et ῥυῖ, Ἰησοῦς, ‘servare’ generatim significat, et cum de animi aut corporis morbis speciatim usurpatur, idem est atque ἰάσασθαι et θεραπεύειν. Quod et alii ante observarunt.⁷ Epiphanius itaque*

Epiph. Hær.
xxix. Nazar.
num. 4.
[Op. tom. 1.
p. 120, A.]

⁶ [Ἄλλ' ὅμως ἐπιπέδη εἰς τὸν τόπον ἐλήλυθα εἰπεῖν δι' ἣν αἰτίαν Ἰεσσαῖοι ἐκαλούντο, πρὶν τὸ καλεῖσθαι Χριστιανοί, οἱ εἰς Χριστὸν πισιστικότης, τούτου ἕνεκα ἴφημεν, ὅτι ὁ Ἰεσσαὶ πατὴρ γίνεσθαι τοῦ Δαβίδ' καὶ ἥτοι τοῦ Ἰεσσαί, ἥτοι ἐκ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἐπικληθήσαν Ἰεσσαῖοι, διὰ τὸ, κ. τ. λ.—Epiph. Hær. xxix. Nazar. num. 4. Op. tom. i. p. 120, A.]

⁷ [“ Christianos olim Jesseos appellatos fuisse censet Epiphanius a Jesse, Davidis progenitore: aut ab Jesu, quod Hebraice θεραπευτῆν sonat, aut Σωτήρα. In quo a nonnullis vehementius agitari solet; sed hære-

ticus ferme, quorum, sive non immerito reprehendant, intolerabilis superbia; sive perperam accusent, vanissima ac ridicula impudentia est. Ex hoc igitur grege quidam: *Profecto*, inquit, *cum illum Epiphanii locum lego, salis mirari nequeo hominis inscientiam, et in linguæ interpretatione, et in veritate historiae. Adeo multis adversus utrumque modis peccat in illo uno de Nazaræis capite. Sed de Historia mox videro. De nominis τοῦ Ἰησοῦ interpretatione hoc vulgo criminari solent, quod Ἰησοῦ nomen Græcæ originis esse crediderit, ἀπὸ τοῦ ἰάσασθαι, sive ἰήσασθαι Ionice concepto, quod*

primos Jesu Christi discipulos a magistri nomine Ἰησοῦ Ἰησοαίου dictos putavit, hosque eosdem fuisse, quos Philo Judæus alio, Græcæ quidem originis sed ejusdem notionis, nomine θεραπευτὰς appellat. Utrum Epiphanius primos Christianos hoc nomine alibi indigitatos repererit, non liquet. Liquet autem eum in Philonis tractatum de Therapeutis incidisse, hunc titulum περι Ἰησοαίων præ se ferentem, et persuasum habuisse, Jessæos illos sive Therapeutas in eo celebratos, inter primos fuisse fidei Christianæ cultores. Ubi enim de nomine isto verbis supra laudatis disputasset, hæc addit, Εὐροις ᾧ ἂν, ᾧ φιλόλογε, καὶ τούτου τὴν ὑπόθεσιν, ἐντυχῶν τοῖς τοῦ Φιλῶνος ὑπομνήμασιν, ἐν τῇ περι Ἰησοαίων αὐτοῦ ἐπιγραφομένῃ βιβλῳ, ὅς τούτων τὴν πολιτείαν καὶ τὰ ἐγκώμια διεξιῶν, καὶ τὰ αὐτῶν μοναστήρια ἐν τῇ κατὰ τὴν Μαρίαν λίμνῃ ἱστορῶν περιοικίδι, οὐ περι τινῶν ἐτέρων ὁ ἀνὴρ ἰστόρησεν, ἀλλὰ περι Χριστιανῶν. *Quod quidem argumentum uberius pertractatum, quisquis es studiosus, in Philonis commentariis invenies, in eo libro, quem 'De Jessæis' inscripsit. Ubi illorum vitæ disciplinam ac præconia celebrans, eorumque monasteria, quæ ad Marianam paludem circumcirca posita sunt, describens, non de aliis ullis, quam de Christianis, ista narravit. Et mox deinde subjungit Philonem ad Jessæos illos sive Therapeutas accessisse, et ad monasteria eorum divertisse ipsis paschalibus feriis sive ἐν ἡμέραις, ut ait, τῶν πάσχα, quibus omnem eorum vitam inspiciebat, observabatque nonnullos totam illam sacrosanctam hebdomadem*

Epiph. Hær. xxix. Nazar. num. 5. [Op. tom. I. p. 120, B. C.]

est θεραπεύειν· cum ab Hebraica voce petenda nominis illius notio sit, quæ Salvatore significat. Verum hæc συνανήμωσι, et quidem haud absurde usurpavit Epiphanius. Etenim γν, a quo γνπ, vel γν, idem est ac σώζειν, quod in corporis animique morbis idem est ac θεραπεύειν et ἰάσασθαι. Quamobrem non secundum ἀκριβολογίαν, et κυριολεξίαν, Hebraica vox θεραπεύειν sonat, sed μεταληπτικῶς· ut et Jesum, qui proprie Salvator est, medicum ac curatorem non incommode interpretari liceat. *Ipsæ enim sal- tum faciet populum a peccatis eorum,* ait Angelus, Luc. ii. Quod quemadmodum præstiterit, declarat Petrus, Act. x., *Qui pertransiit benefaciendo,*

et liberando omnes oppressos a Diabolo. Adde jam Græcum ex propinquo vocabulum, quod ab Hebræo et pronunciatione et verò potestate non admodum abhorrebat: unde nominis ista notatio prodiit. Eadem porro leguntur apud Cyrillum, Catech. [x. sect. 13, p. 143, B.]: Ἰησοῦς, inquit, τοίνυν ἵστί κατὰ μὲν Ἑβραίους σωτὴρ, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν ὁ ἰώμιος· ἰπειδὴ ἰατρός ἵστί ψυχῶν, καὶ σωμάτων, καὶ θεραπευτὴς πνευμάτων. Quæ omnia comiter accipienda sunt, non ut ab ἰάσασθαι deductum τοῦ Ἰησοῦ vocabulum dixerint Patres, sed ut notione ac significatione Græcum nomen cum Hebræo convenire demonstrent." —Petav. Animad. in Epiph. Hær. xxix. num. 4. Epiph. Op. tom. ii. p. 53.]

sine ullo cibo transigere, alios alternis illum diebus sumere, quosdam vero sub vesperam. Ἦν δὲ, inquit Epiphanius, τῶ ἀνδρὶ πάντα ταῦτα πεπραγματευμένα εἰς τὴν περὶ πίστεώς τε καὶ πολιτείας τῶν Χριστιανῶν ὑπόθεσιν. *Quamobrem quaecunque toto illo libro a Philone tractata sunt, ea Christianorum ad fidem vivendique rationem omnino pertinent.* Unde constat strenuissimum illum hæreseon oppugnatorem firmissime credidisse, non modo quod Therapeutæ illi a Philone descripti fidem Christianam amplexi essent, verumetiam quod jejunia et pervigilia, quæ Philo ab iis celebrata tradit, ante paschalem festivitatem peracta fuissent, atque ideo quod jejunia illa antepaschalia, quæ sua ætate, hoc est, quarto labente seculo ab Ecclesia celebrari solebant, ab ipsius Marci Evangelistæ temporibus instituta fuissent ac observata.

V. Tres itaque gravissimos habemus testes Philonem Judæum libro supra laudato de Christianis sub Therapeutarum nomine disseruisse, videlicet, Eusebium, Hieronymum, et Epiphanium, qui omnes quarto claruerunt seculo, ac propterea de nascentis Ecclesiæ, ad quam longe propiores accedebant, disciplina multo melius judicare potuerunt, quam nos qui tot, non annorum, imo vero seculorum, intervallo ab iis remoti sumus. Quare nihil est, quod nos ab eorum opinione recedamus, nisi validissimis coacti rationibus. Quod si rationes a Dallæo aliisque ad evertendam hanc veterum Ecclesiæ Patrum sententiam allatas expendamus, tales eas inveniemus, quæ neminem præjudicio non laborantem, in contrariam opinionem inducant. Primo enim Dallæus aliique objiciunt Philonem de Therapeutis agentem, dicere παλαιούς ἄνδρας τῆς αἰρέσεως ἀρχηγέτας γενέσθαι, viros antiquos sectæ istius auctores fuisse, eosque πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπολιπεῖν,⁶ *multa reliquisse monumenta doctrinæ illius quæ in allegoriis posita est.* Atqui neque Marcus, inquit, neque Apostoli . . . Philoni, qui sub Caio floruit, . . . antiqui dici potuerunt, neque vero ulla allegoricæ, quam dicit, ideæ monumenta reli-

[Epiph.
Hær. xxix.
Nazar. num.
5. Op. tom.
i. p. 120, C.]

De Jejun. et
Quadr. lib.
ii. cap. 4,
[pp. 246,
247.]

⁶ [Ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἱ τῆς αἰρέσεως ἀρχηγίται γινόμενοι πολλὰ μνημεῖα τῆς ἀλληγορου- μίνης ἰδίας ἀπέλιπον.—Phil. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 475.]

querunt. Huic autem objectioni ex parte saltem respondit Eusebius, utpote qui traditum reliquit Philonem etiam Claudii Augusti, qui Caio successit, temporibus Romæ cum Petro, qui verbum Dei illic prædicabat, familiarem congressum habuisse, et commentarium illum de Therapeutis

Hist. Eccles.
lib. ii. cap.
17, [p. 65.]

εἰς ὕστερον καὶ μετὰ χρόνους, multis post annis, ab eo elaboratum esse. Hæc Eusebius. Quæ fidei ac rei veritati absona esse, opinionis hujus adversarii, nec probarunt adhuc, nec ut opinor, unquam probare poterunt. His autem positis, obiectio ista facile diluatur. Etenim si Philo, non nisi longo post congressum ipsius, quem cum S. Petro Romæ, Claudio imperante, habuit, tempore tractatum illum conscripserit, Therapeutæ, quorum ibi describit disciplinam, nonnulla ex Evangeliiis et Apostolorum scriptis secum prius habere poterant, quam ab eo celebrati sunt. Quod etiam Eusebio

Ibid. [p. 68.]

visum est, dicenti, Τάχα δ' εἰκὸς ἅ φησιν, ἀρχαίων παρ' αὐτοῖς εἶναι συγγράμματα, τὰ τε εὐαγγέλια, καὶ τὰς τῶν Ἀποστόλων γραφὰς τυγχάνειν, διηγήσεις δὲ τινὰς κατὰ τὸ εἶκός τῶν πάλαι προφητῶν ἐρμηνευτικὰς. Quos autem ait penes illos fuisse, veterum quorundam commentarios, verisimile est ipsa est Evangelia et Apostolorum scripta, et expositiones quasdam veterum prophetarum. Marcus igitur Evangelista, aliique ex primis Christi discipulis, qui prima fidei nostræ monumenta Therapeutis tradiderant, Philoni antiqui fortasse viri viderentur, quippe quos primos fuisse istius sectæ, cujus initium ipse ignorabat, auctores ab ipsis Therapeutis acceperat. Adhæc Therapeutæ, etiamsi modo Esseni non essent, cum tamen vel ex iis vel ex aliis saltem Judæorum sectis ad religionem Christianam conversi fuissent, vetustiores quasdam prophetarum, ut ait Eusebius, expositiones, aliosque a majoribus acceptos de recta vivendi ratione commentarios penes se etiam tum habere poterant, quorum antiquos auctores sectæ illius ἀρχηγέτας fuisse, Philoni proclive esset opinari. Nec difficilius fuit ei suspicari, eosdem allegoricæ doctrinæ Therapeutis usitatæ monumenta reliquisse. Antiquos enim Judæos, et præsertim Essenos, Sacras Scripturas allegorice exposuisse, neminem latet. Exstant hodieque ipsius Philonis in legem allegoriæ. Aristobulus etiam ante Philonem commentariis suis in Pentateuchum Mosis allegorias quas-

[Op. tom. i.
pp. 43-137.]

dam interseruit.⁹ Imo quidem ipse D. Paulus Sacras Scripturas allegorice nonnunquam interpretatur, ut quarto capite Epistolæ ad Galatas, de Isaaco et Ismaele, illo ex libera, hoc ex ancilla nato: alibique non semel. Quin Ipse etiam Dominus omnia propemodum in parabolis vulgo locutus est, quæ aliter quam allegorice exponi non possunt. Ac propterea non mirum est, quod Therapeutæ, licet Christiani, nonnulla allegoricæ doctrinæ monumenta penes se haberent; mirum potius esset, si non habuissent.

VI. Sunt et alia nonnulla, quæ contra veterum de Therapeutis opinionem objici solent, quæ tamen facile diluantur. Dallæus¹ enim opponit illa Philonis² de iis verba, ταῖς ἑβδομαῖς συνέρχονται, ut illos Sabbatum observasse indicantia: nimirum ac si Christiani Dominicas totius anni observantes ταῖς ἑβδομαῖς συνέρχεσθαι non dicantur, æque ac Judæi qui Sabbata. Philo non ait eos Sabbatis sed septimis diebus convenisse, at, nisi longe fallor opinione, qui Dominicis conveniunt, septimis quibusque diebus convenire dicantur, non minus quam illi qui Sabbatis: verum et si Sabbata Judaica hic intelligantur, nihil exinde proficiet Dallæus, quem latere non potuit, nonnullos e primis Christianis Sabbata ista aliquamdiu observasse. Qui propterea, hac tantum nominata, ad aliam protinus objectionem transit, sic habentem, Philo Therapeutas suos ἐπιχειρονομεῖν καὶ ἐπορχεῖσθαι, variis manuum gesticulationibus uti et saltare sive choreas ducere post cœnam solitos narrat. Quæ inepta sunt, inquit Dallæus, et Judaica, et a veterum Christianorum religione aliena. Cum ipse autem fateatur hæc Judaica esse, nec illi nec alii cuiquam mirum videatur, si ii, qui a Judaismo ad fidem Christianam nuper conversi sunt, ista

⁹ [De Aristobulo, et scriptis ejus, vide L. C. Valckenærii Diatriben de Aristobulo, Alexandrino Judæo, scriptore Commentarii in legem Moysis, ad finem Euseb. Præp. Evang. tom. iv. Ed. Gaisford.]

¹ ["Mitto, quod istos Sabbatum observasse ait; ταῖς ἑβδομαῖς (inquit) συνέρχονται, septimis diebus conveniunt:

quod eos ἐπιχειρονομεῖν καὶ ἐπορχεῖσθαι, variis manuum gesticulationibus uti, et saltare, sive choreas ducere, post cœnam solitos narrat; quæ inepta sunt," etc.—Dall. de Jejun. et Quadr. lib. ii. cap. 4, p. 247.]

² [Ταῖς δὲ ἑβδομαῖς συνέρχονται καὶ ἅπασιν εἰς κοινὸν σύλλογον.—Phil. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 476.]

[Phil. Jud. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 485.]
De Jejun. et Quadr. lib. ii. cap. 4, [p. 247.]

parumper retinuerint. Nonnullas enim e Judaicis superstitionibus ab aliquibus Judæis Christianis modo factis observatas fuisse, omnibus in antiquitate versatis notissimum est. Dallæum saltem præterire non potuit: qui tamen sese doctissimorum, quos ante laudavimus, Patrum sententiam tenuissimis hisce strophis evertisse putavit. Nihil enim præterea contra eam excepit, et tamen in contrariam totus abiit. Alii autem alias excogitarunt exceptiones.³ Dicunt enim Therapeutas, ut a Philone descriptos, bis tantum quotidie preces fudisse, Oriente nimirum sole et occidente.⁴ *At primi, inquit, Christiani tertia, sexta, nona et singulis non diei modo, sed et noctis horis Deum orabant. Non equidem diffiteor, quin hoc et primis et singulis vere Chris-*

[Vales.
Annot. in
Euseb. lib. ii.
cap. 17, p.
68.]

³ [“ Restat nunc ut probemus eos (Therapeutas) non fuisse Christianos, ut sibi aliisque persuasit Eusebius. Undenam vero id probare certius possumus, quam ex hoc Philonis loco, quem præ manibus habemus? Ait igitur Philo, habuisse Therapeutas scripta veterum quorundam suæ sectæ auctorum, qui legem allegorice exposuissent. Quomodo hæc de Christianis accipi possunt, qui tum novelli erant, et nudiustertius nati? Quænam, rogo, sunt scripta illa; quinam vetusti auctores et principes illius sectæ? Non certe Prophetarum libri. Hos enim diserte ab illis separat Philo. Respondebit Eusebius esse forsitan Evangelia, et Epistolas Apostolorum; sed hæc vixdum scripta erant Philonis ætate; nedum ut Apostoli et Evangelistæ pro vetustis auctoribus haberi etiamnum possent, præsertim a Philone, qui et Apostolicorum temporum fuit æqualis, et cum Petro Romæ familiariter versatus est, si Eusebio credimus. Annon ex his aperte colligitur, Philonem eo in libro de Christianis non loqui? Sunt et alia argumenta, ex quibus idem probari potest. Ut cum dicit Philo Therapeutas bis tantum quotidie preces fecisse, Oriente

scilicet sole, et Occidente. Quasi vero primi Christiani non tertia, sexta, et nona hora, ut in Actibus legitur; et singulis non diei modo, sed et noctis horis Deum oraverint. Item, quod ait Therapeutas hymnos et cantica vario metrorum genere in honorem Dei composuisse, cadere non potest in primævos illos Christianos. Serius enim novos hymnos contexere cœperunt, post Antoninorum scilicet tempora; cum viri docti sese ad nostram religionem applicuissent. Jam vero quod scribit Philo Therapeutas per universam prope orbem diffusos fuisse, sed potissimum in Ægypto frequentes fuisse, et Mareoticam præfecturam fuisse illis instar patriæ, in quam præstantissimi quique illorum, relictis patriis sedibus, migrare soliti essent, quomodo de Christianis dici potest, qui et paucissimi tunc erant, nec patriam sibi ullam præter cœlestem Hierusalem existimabant.”—Valesii Annot. in Euseb. Hist. Eccles. lib. ii. cap. 17, p. 68.]

⁴ [Δις δὲ καὶ ἑκάστην ἡμέραν ἰώθασιν ὑψίστοις, περὶ τὴν ἑω, καὶ περὶ τὴν ἰσπέραν.—Phil. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 475.]

tianis solenne fuerit, et est, ut singulis propemodum horis Deum prece adorent; nec probari potest, quin Therapeutæ idem fecerint. Etiam si enim Philo eos bis quotidie precari solitos dixerit, non tamen dixit eos sæpius non precatos esse. Neque etiam de privatis singulorum, sed de publicis omnium in semneis congregatorum precibus loquitur, et quamvis bis tantum quotidie publicas et communes preces fecerint, nihil tamen obstat, quo minus singulis noctis pariter ac diei horis Deum privatim oraverint.

VII. At Philo ait Therapeutas hymnos et cantica vario metrorum genere in honorem Dei composuisse, *quod cadere*, inquit, *non potest in primævos illos Christianos, quoniam nostri hymnos serius contexere cæperunt, post Antoninorum scilicet tempora, cum viri docti sese ad religionem nostram applicuissent.* Hoc sane dicitur, sed non probatur: nec ipse saltem video qua ratione probari potest, vel etiam defendi. Primos enim Christianos, psalmos, hymnos, et cantica spiritualia cantare solitos esse, extra dubium est.

Id enim ab Apostolo in mandatis datur, ubi etiam si concedamus psalmos et hymnos in Dei laudem oratione soluta compositos et cantatos fuisse, ὠδὰι πνευματικαὶ ab Apostolo memoratæ, artificiosæ videntur cantiones, et vario metrorum genere contextæ. Ὡδὴ enim carmen, quod metricè scribi solet, proprie significat. Dionysius Halicarnassæus, τὰς

μὲν ὠδὰς καλοῦσι Ῥωμαῖοι κάρμινα. Et quidem ut Apostolus ὠδὰς καὶ ὕμνους, *carmina*, sive *cantica*, et *hymnos* distinguit, sic Philo Therapeutas ᾠσματα καὶ ὕμνους, *cantica et hymnos*, in Dei laudem fecisse narrat; ὡστ', inquit, οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ᾠσματα καὶ ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν διὰ παντοίων μέτρων καὶ μελῶν. Quod quidem ab Apostolicæ Ecclesiæ institutis usque adeo non abhorret, ut iis summe potius consonet; et ab ipso initio ac deinceps perpetuo usitatum fuit. Hoc enim et e Plinio Secundo discimus, in Epistola ad Trajanum dicente, Christianos sui temporis solitos fuisse

stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. Trajanus autem ante omnes Antoninos imperium Romanum administravit. Adhæc, antiqui cujusdam libri adversus Artemonis hæresin conscripti fragmentum apud Eusebium exstat, in quo ad demonstrandum Christi divinitatem ab Ecclesia perpetuo prædicatam fuisse,

[Vales. Annot. in Euseb. lib. ii. cap. 17, p. 68.]

[Ephes. v. 19; Col. iii. 16.]

[Archæol. Rom. lib. i. [cap. 31, p. 810.]

[Phil. de Vita Contemp. Op. t. m. ii p. 476.]

[Lib. x. Ep. 97, p. 566.]

Euseb. Hist. Eccles. lib. v. cap. 28, [p. 252.]

inter alia hæc habemus, Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ὠδαὶ ἀδελφῶν ἀπαρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσθαι τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι Θεολογοῦντες, *Psalmi quoque et cantica fratrum ab initio a fidelibus conscripta Christum Verbum Dei concelebrant, Divinitatem ei tribuendo.* Unde, non minus quam a Plinio, constat psalmos et cantica ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus, imo ab initio, in Christi honorem composita fuisse, quæ tantæ apud posteriores auctoritatis fuerunt, ut auctor hic, qui tertio ineunte seculo vixisse videtur, iis ad confirmandam contra hæreticos fidei nostræ doctrinam uteretur. Quæ itaque Philo de Therapeutarum hymnis narrat, veterum de iis opinionem non evertunt, imo vero confirmant. Ut e quibus constat eos iisdem in psallendo usos fuisse ritibus, qui apud Christianos per omnia secula obtinuerunt. Enimvero antiphonis usi sunt, hymnos suos alternatim sive vicissim Deo canentes. Εἴτ', inquit Philo, ἄδουσι πεπονημένους εἰς τὸν Θεὸν ὕμνους πολλοῖς μέτροις καὶ μέλεσι, τῇ μὲν συνηχοῦντες, τῇ δὲ καὶ ἀντιφώναις ἀρμονίαις ἐπιχειρονομοῦντες, καὶ ἐπορχοῦμενοι, καὶ ἐπιθειάζοντες. Quod a suæ ætatis Christianis factum subindicat Plinius, ubi loco supra laudato, eos *carmen Christo quasi Deo dicere secum invicem* ait. Hunc antiphonarum canendi modum in vigiliis saltem celebrandis (de quibus etiam Philo loquitur, ubi Therapeutas alternatim cecinisse scribit) in omnibus Ecclesiis suo tempore observatum fuisse, locupletissimum habemus testem S. Basilium in Epistola LXIII. ad clericos Ecclesiæ Neocæsariensis.⁵ Socrates eundem ab ipso S. Ignatio Apostolis æquali ducit.⁶ Præterea cum Therapeutæ sacra celebrabant, præses hymnum in laudem Dei primus canebat, cæteris quiete

[Phil. Jud. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 485.]

Hist. Eccles. lib. vi. cap. 8, [p. 322.]

⁵ [Πρὸς δὲ τὸ ἐπὶ ταῖς ψαλμωδίαις ἔγκλημα, . . . ἐκεῖνο εἰσὶν ἔχω' ὅτι τὰ νῦν κικρατηκότα ἔθη πάσαις ταῖς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις συνφθὰ ἴσθι καὶ σύμφωνα. Ἐκ νυκτὸς γὰρ ὀρθερίζει παρ' ἡμῖν ὁ λαὸς ἐπὶ τὸν οἶκον τῆς προσευχῆς, καὶ ἐν πόνῳ καὶ θλίψει καὶ συνοχῇ δακρυῶν ἰξομολογούμενοι τῷ Θεῷ, τελευταῖον ἕξαστάντες τῶν προσευχῶν, εἰς τὴν ψαλμωδίαν καθίστανται. Καὶ νῦν μὲν διχῆ διανομηθέντες, ἀντιψάλλουσιν ἀλλήλοις.—S. Basil. Epist. ccvii. (al. lxxiii.) ad Cler. Neocæs. Op. tom. iii. p. 311, A, B.]

⁶ [Λικτίον δὲ καὶ ὅθιν τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν ἢ κατὰ τοὺς ἀντιφώνους ὕμνους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ συνήθεια. Ἰγνάτιος Ἀντιοχείας τῆς Συρίας, τρίτος ἀπὸ τοῦ Ἀποστόλου Πέτρου ἐπίσκοπος, ὃς καὶ τοῖς Ἀποστόλοις αὐτοῖς συνδιέτριψεν, ὀπτασίαν εἶδεν Ἀγγέλων, διὰ τῶν ἀντιφώνων ὕμνων τὴν ἁγίαν Τριάδα ὑμνοῦστων, καὶ τὸν τρόπον τοῦ ὁράματος τῇ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίᾳ παρέδωκεν ὅθιν καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις αὕτη ἢ παράδοσις διεδόθη.—Socr. Hist. Eccles. lib. vi. cap. 8, p. 322.]

auscultantibus, præterquam in fine hymni extremaque clausula, tunc autem omnes sine sexus discrimine vocem attollebant, sic enim Philo de iis loquens, Πάντων κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἀκροωμένων, πλὴν ὅποτε τὰ ἀκροτελεύτια καὶ ἐφύμνια ἄδειν δεοί· τότε γὰρ ἐξηχοῦσι πάντες τε καὶ πᾶσαι. Hic autem ritus a veteribus Christianis passim observatus fuit. Cum Christiani enim reliquias Babylæ martyris a Daphne suburbano Antiochiæ ad alium locum jussu Juliani Apostatæ transferebant, inter eundem psalmos canebant, Ἐξῆρχον δὲ, inquit Sozomenus, τῶν ψαλμῶν τοῖς ἄλλοις οἱ τούτους ἀκριβοῦντες, καὶ ξυνεπήχει τὸ πλῆθος ἐν συμφωνίᾳ, καὶ ταύτην [τὴν] ῥῆσιν ἐπηδεν Ἡσχυόθησαν πάντες οἱ προσκυνοῦντες τοῖς γλυπτοῖς, οἱ ἐγκαυχώμενοι τοῖς εἰδώλοις, *Præcinebant autem cæteris ii qui psalmos arprime callebant, multitudo deinde respondebat cum concentu, Confusi sunt omnes qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris.* Hæc ultima itaque verba, *Confusi sunt omnes*, etc., a toto Christianorum præsentium choro post psalmos cantabantur, tanquam ἀκροτελεύτια καὶ ἐφύμνια isti occasione accommodata. Et hujusmodi quidem clausulæ post psalmosque hymnosque a tota multitudine modulate recitari solitæ, ut a Therapeutis, sic etiam a Sozomeno ἀκροτελεύτια vocantur, qui de ecclesiasticis Arianorum conventibus agens, hæc habet, Καὶ εἰς συστήματα μεριζόμενοι, κατὰ τὸν τῶν ἀντιφώνων τρόπον ἑψαλλον, ἀκροτελεύτια συντιθέντες πρὸς τὴν αὐτῶν δόξαν πεποιημένα, *Et in cætus divisi antiphonatim psallebant, ἀκροτελεύτια sive clausulas quasdam juxta ipsorum dogma compositas adjicientes.* Ubi iis vitio vertitur, non quod antiphonatim psallebant, neque quod ἀκροτελεύτια subiciebant, sed quod ea ad ipsorum dogma composuerant, hoc scilicet modo, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto.* Hoc enim ἀκροτελεύτιον esse quod Ariani post psalmos canere solebant, testatus est Philostorgius.⁷ Quin hunc psallendi modum ab Ecclesia etiam Catholica publico usu receptum fuisse, ex ipso S. Athanasio videre est, qui de seipso ait, Καθεσθεις ἐπὶ τοῦ θρόνου, προέτρεπον τὸν μὲν διάκονον ἀναγινώσκειν ψαλμὸν, τοὺς δὲ λαοὺς ὑπακούειν, Ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος

[Phil. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 484.]

Sozom. Hist. Eccles. lib. v. cap. 19, [p. 210.]

Ibid. lib. viii. cap. 8, [p. 336.]

Lib. iii. [sect. 13, pp. 495, 496.]

Athan. Apol. de Fuga, [cap. xxiv. Op. tom. i. p. 334, D.]

⁷ [Τῶν γὰρ πρὸ αὐτοῦ, τοὺς μὲν, δόξα Πατρὶ δι' Ἰησοῦ ἐν Ἁγίῳ Πνεύματι, λίγιν' καὶ ταύτην μᾶλλον τὴν ἐκφώνησιν ἱσιπο-

λάζιν' τοὺς δὲ, Δόξα Πατρὶ ἐν Ἰησοῦ καὶ Ἁγίῳ Πνεύματι.—Philostorg. Hist. Eccles. lib. iii. sect. 13, pp. 495, 496.]

αὐτοῦ, *Sedens in cathedra mea, diacono jussi, ut psalmum recitaret, populus autem responderet, Quoniam in seculum misericordia Ejus.* Hæc clausula, *Quoniam in secula misericordia Ejus*, quam populus post psalmum recitatum respondebat, (id enim, ut sæpe alibi, sic hoc in loco verbum [Nannio, scil. ὑπακούειν significat, non *auscultare*, ut ab interprete aliud agente vertitur,) ἀκροτελεύτιον erat calamitosæ isti tempestate appositum, omnes enim in Ecclesia tunc temporis congregati una cum S. Athanasio militibus circumdabantur. Unde liquet istam psallendi formulam a Therapeutis in Ægypto usitatam eandem fuisse, quam Christiani postea ibidem vulgo observarunt: quæque apud nostram hucusque Ecclesiam, æque ac apud primitivam, etiamnum obtinet. Nam Doxologia illa, ‘Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto,’ etc., commune est nobis omnium psalmorum et hymnorum etiam, excepto ‘Te Deum,’ (aliisque similibus, quibus comprehenditur et explicatur), ἀκροτελεύτιον, καὶ ἐφύμνιον.

[Nannio, scil.
vide Annot.
Bened.]

VIII. Ut in hymnis, sic etiam in jejuniis celebrandis, veteris Ecclesiæ ritus a Therapeutis accurate observati sunt. Hi enim istis, quibus jejunia peragebant, diebus, nihil potabant præter aquam, edebant nihil præter panem et salem, et nonnunquam hyssopum, ut e Philonis verbis supra allatis constat. Hoc autem Ecclesiæ primitivæ moribus consentaneum esse, nemo, qui eos inspexit, ignorare potest. In Constitutionibus enim Apostolorum dictis hoc præceptum habemus, [Ἐν ταῖς ἡμέραις οὖν τοῦ Πάσχα] νηστεύετε . . . μόνῳ χρωόμενοι ἄρτω, καὶ ἀλί, καὶ λαχάνοις, καὶ ποτῶ ὕδατι, *Jejunate sex antepaschales dies, utentes tantummodo pane, et sale, et oleribus, et potu aquæ.* Hanc vero antiquam admodum Constitutionem fuisse, ex eo patet, quod ab ipso Epiphanio διάταξις τῶν Ἀποστόλων diserte dicatur, et sub eo nomine laudetur.⁸ Tertullianus etiam jejunia a suæ ætatis Christianis *simplici pabulo, puroque aquæ potu* peracta memorat.⁹

Constit.
Apost. lib. v.
cap. 18.
[Cot. Pat.
Ap. tom. i. p.
322.]

Hær. lxxv.
[Aerian.]
num. 6.

De Patient.
cap. xliii.
[p. 147, C.]

⁸ [Εἰ δὲ καὶ χρὴ τὸ τῆς διατάξεως τῶν Ἀποστόλων, πῶς ἐκεί ὠρίζοντο τετραδά, καὶ προσάββατον νηστιάν διὰ παντός, χωρὶς Πιπτηκοστῆς καὶ περὶ τῶν ἑξ ἡμερῶν τοῦ Πάσχα, πῶς παραγγίλλουσι, μηδὲν ὅλως λαμβάνειν, ἢ ἄρτου καὶ ἀλός

καὶ ὕδατος.—Epiph. Hær. lxxv. Aerian. num. 6. Op. tom. i. p. 910, B, C.]

⁹ [“ Adflictatio carnis, hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, cum sordes cum angustia victus Domino libat, contenta simplici

Nam *pane et aqua victitabant*.¹ Hæc proprie est *ξηροφαγία* ista a Tertulliano aliisque antiquissimis Ecclesiæ scriptoribus toties celebrata. Quin et auctor libri, qui Hermæ Pastor vocatur, ab ipso Tertulliano nonnunquam notatus,² pastorem suum introducit dicentem, *Illo die quo jejunabis, nihil omnino gustabis præter panem et aquam*. Iste autem liber primis Christianismi diebus proculdubio scriptus fuit. Adeo ut mirum nemini videatur, quod Therapeutæ a Philone descripti, etiamsi Christiani essent, arcta adeo jejunia celebrarint; neque etiam quod Philo dixerit, nonnullos eorum tribus, alios sex propemodum diebus jejunare solitos.

Ἐνιοὶ δὲ, ἰνκὺιτ, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν οὐκ ὑπομιμνήσκονται τροφῆς, οἷς πλείων ὁ πόθος ἐπιστήμης ἐνίδρυται. Τινὲς δ' οὕτως ἐνευφραίνονται καὶ τρυφῶσιν ὑπὸ σοφίας ἐστιώμενοι, πλουσίως καὶ ἀφθόνως τὰ δογματὰ χορηγούσης, ὡς καὶ πρὸς διπλασίονα χρόνον ἀντέχειν, καὶ μόλις δι' ἕξ ἡμερῶν ἀπογεύεσθαι τροφῆς ἀναγκαίως. *Nonnulli ex his toto triduo cibum capere omittunt, dum ardentiori discendi cupiditate rapiuntur. Quidam vero tam incredibili voluptate tantisque deliciis perfunduntur, dum pascuntur epulis sapientiae, quæ salubria ipsis præcepta tanquam opiparum convivium apponit, ut duplo diutius famem perferant, et vix sexto die necessarium cibum degustent.* Hæc enim Philonis verba Eusebius perspicue et absque dubitatione de Christianis dicta esse arbitratur. Et quidem certe quicquid hic de Therapeutarum jejuniis a Philone dicitur, id Epiphanius Christianis, salutaris saltem passionis hebdomade, in more positum fuisse tradidit. Nam varios Ecclesiæ ritus recensens, ait, *Τὰς δὲ ἕξ ἡμέρας τοῦ Πάσχα ἐν ξηροφαγίᾳ διατελοῦσι πάντες οἱ λαοὶ, φημι δὲ ἄρτω, καὶ ἄλλι, καὶ ὕδατι τότε χρωόμενοι πρὸς ἐσπέραν, ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς, καὶ τριπλᾶς, καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ ὅλην τὴν ἐβδομάδα τινὲς, ἄχρι ἀλεκτρύωνων κλαγγῆς, τῆς Κυριακῆς ἐπιφωσκούσης, Præterea sex illos Paschatis dies xerophagia sive arido victu transire omnis*

Tertull. de Jejun. cap. xiii. [1. 551, B.]

Herm. Past. lib. iii. simil. 5, [cap. 3. Cot. Pat. Ap. tom. i. p. 104.]

Phil. de Vita Contemp. [Op. tom. ii. p. 476:] et apud Euseb. Hist. Eccles. lib. ii. cap. 17, [pp. 68, 69.]

Epiph. in Expos. Fidel. [num. 22. Op. tom. i. p. 1105, C.]

pabulo puroque aquæ potu, cum jejunia conjungit, cum cineri et sacco inolescitur."—Tertull. de Patient. cap. xiii. p. 147, C.]

¹ ["Ecce enim convenio vos et præter Pascha jejunantes, citra illos dies quibus ablati sunt Sponsus, et

stationum semijejunia interponentes, et vero interdum pane et aqua victitantes, ut cuique visum est."—Tertull. de Jejun. cap. xiii. p. 551, B.]

² ["Hermas ille, cujus scriptura fere Pastor inscribitur."—Ibid. de Orat. cap. xii. p. 134, A.]

populus assuevit, hoc est, panem duntaxat cum aqua sub vesperam adhibere. Imo vero nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatrimum usque jejunia prorogant; alii totam hebdomadem ad usque sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transmittunt. Eadem fere tradidit ante Epiphanium Dionysius Alexandrinus in Epistola canonica ad Basilidem, de qua postea. Ut e Therapeutis itaque, sic etiam e Christianis nonnulli tres, alii sex dies, totam scilicet hebdomadem antepaschalem jejuni transegerunt. Quod summum Christianos inter et Therapeutas consensum demonstrat. Quibus ultimo accedit, quod Therapeutæ in multis orbis regionibus, inter Græcos etiam et Barbaros, inventi fuerint, ut testatur Philo.³ Quod etiamsi a nonnullis ad destruendam Patrum de iis sententiam adducatur, eandem potius adstruit. Hoc enim de Essenis dici non potuit, qui, ipso etiam Philone teste, vix plures erant quam quatuor millia, iique Syriam et Palæstinam incolebant:⁴ at Christiani numerosi admodum istis etiam diebus erant. Mox enim post Christi ascensionem tria circiter millia hominum uno die ad Eum conversi sunt: et religio ab Eo docta indies augescebat: adeo ut ad omnes imperii Romani, imo totius orbis, fines quam citissime propagaretur. Nec ulla inter Judæos, neque inter Gentiles ulla istis diebus exstabat secta, quæ tot orbis regiones, quot fides Christiana, peragrabat. Ac proinde quod hic etiam de Therapeutis a Philone dicitur, ad nullos alios tam apte et apposite, quam ad Christianos, referri potest.

IX. Re igitur id utramque partem propensa, etiamsi omni asseveratione affirmare non ausim Therapeutas a Philone memoratos religionem Christianam amplexos esse, cum tamen tot tantique Patres id asseruerint, cum tot illi instituta Christianis simillima, imo vero eadem inter se habuerint, cum quicquid Philo de iis posteritati tradidit, in Chris-

³ [Πολλαχῶ μὲν οὖν τῆν οἰκουμένην ἴσται τοῦτο τὸ γένος· ἴδιον γὰρ ἀγαθῶν τελλίου μετασχῆν καὶ τὴν Ἑλλάδα, καὶ τὴν Βάρβαρον· ἀλιονάζει δὲ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ ἕκαστοι τῶν ἱστικαλουμένων νομῶν, καὶ μάλιστα περὶ τὴν Ἀλιζάνδρειαν.—Phil. de Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 474.]

⁴ [Ἔσται δὲ καὶ ἡ Παλαιστίνη καὶ Συρία καλοκαγαθίας οὐκ ἄγονες, ἣν πολυανθρωποτάτου γένους τῶν Ἰουδαίων οὐκ ὀλίγη μοῖρα νίμνται. Λίγονται τινες παρ' αὐτοῖς ὄνομα Ἑσσαῖοι, πλῆθος ὅσπερ τετρακισχιλίου.—Phil. in libro, Quisque virtuti studet. Op. tom. ii. p. 457.]

tianos, eosque, quos scimus, solos scite congruat, cum nihil denique in contrarium adhuc adductum fuerit, nec, quantum conjectura assequi possum, unquam adduci possit, ea, quæ illud affirmat, probabilior nobis, veroque multo similior videtur opinio, idque jure, ut liquet, meritissimo. Nobis autem in hac controversia cum istiusmodi viris instituitur disputatio, qui nihil in antiquitate, quod præsumptis saltem ipsorum opinionibus refragatur, credent, nisi invictissimis nescio quibus rationibus, ad id, ut ipsius Dallæi verbo utar, *cogantur*.⁵ Vel quod idem est, nisi probetur impossibile prorsus esse, ut aliter se res haberet. Atqui possibile est, fateor, ut Therapeutæ non essent Christiani. Possibile est, ut multos Christianorum ritus imitarentur, et tamen ipsi in Christum non crederent. Possibile est denique, ut quasi Apostolicam ac Christianam vitam traducerent, etiamsi nec de Apostolis nec de Christianis unquam audivissent. Et hinc est, quod mecum recolens quibuscum disputo, eos revera Christianos fuisse affirmare nolo. Hoc tamen dico, quod, si Christiani non essent, Christianis saltem simillimi erant. Nec ad aliam quamcunque sectam revocari possunt. Et mirum cuivis videatur, si talis tantaque in multis orbis regionibus inveniretur hominum secta, quæ a nullo unquam scriptore, præterquam ab uno Philone, nec sub Therapeutarum, nec sub alio quocunque nomine memoriæ proderetur. Quod tamen necessario dicendum est, nisi eos Christianos fuisse dicamus. Et præterea, etiamsi Dallæus suum ipsius ingenium gravissimo Sanctorum Patrum, Eusebii, Hieronymi, et Epiphaniï judicio una cum aliis prætulerit, nobis non licet esse tanta nostri opinione inflatis. Quippe qui probe novimus, eos non tantum omnimodo eruditiores, verum ac fidelissimos fuisse viros, qui nihil literis mandare voluerunt, quod non sibi persuasissimum habebant. Illi autem omnes in Philonis tractatum ‘De Vita Contemplativa’ incidentes, uno affirmarunt ore, Therapeutas ibi descriptos vere Christianos fuisse, idque propterea quod eosdem plane ab iis atque a suæ ætatis Christianis observatos fuisse ritus viderent. Quibus proinde major habenda est fides, quam doctissimis quibus-

⁵ [“Sed neque ista, neque alia . . . et Quadr. lib. iii. cap. 9, p. 497, ut nos *cogunt* fateri.”—Dall. de Jejun. supra, sect. i. p. 238.]

cunque viris, qui hoc remotissimo ab iis seculo exorti sunt, vel etiam exoriri possunt. Illi enim ecclesiasticos suæ ætatis ritus, e quibus iudicium de Therapeutis fecerunt, multo magis sibi perspectos habuerunt, quam ii, qui plurimis post seculis nati, et ab ipso natali vel aliis vel nullis assueti fuerunt ritibus ac cæremoniis, ac propterea vix clarissimis inducantur rationibus, ut credant alios unquam ab Ecclesia receptos fuisse mores, quam quos ipsi observant. Saltem de ecclesiasticis quarti seculi institutis æquo propemodum fervore nunc dierum agitantur controversiæ, ac de ipsis Therapeutis. Adeo ut magna pars eorum, qui de hac re scripserunt, ritus a Therapeutis observatos apud quarti seculi Christianos obtinuisse negarint. Quo occæcati præiudicio, haud mirum est, si nihil religionis Christianæ a Therapeutis excultum videre possint. Hoc autem de Patribus quarti seculi dici non potest: utpote qui de Ecclesiæ moribus suæ ætate usitatis minime dubitarint; quibus scilicet quotidie se exercebant. Cum illi itaque tantam inter Therapeuticos et ecclesiasticos suæ ætatis ritus observarint consonantiam, ut ex ea Therapeutas Christianos fuisse iudicarent, eorum sane iudicium apud cautos prudentesque viros magni habendum est. Nec a memet impetrare possum ut ab eo recedam, usque dum fortiora in contrarium producta fuerint argumenta, quam quæ hactenus videre contigit. Præsertim cum Sozomenus etiam,⁶ Cassianus,⁷ aliique post eos eruditi viri in eandem sententiam, non sine summa proculdubio ratione, convenerint. Hanc autem sententiam quicumque pro certa admittunt, dubitare nequeunt, quin jejunium antepaschale ab ipsis Apostolis institutum fuerit. Cum hoc autem ita fortasse demonstrari nequeat, ut ii etiam, qui doctissimos Ecclesiæ Patres susque deque habent, assensum ei præbere cogantur, hinc est, quod ipse hoc adstruendæ jejunii ante-

⁶ [Καὶ ὁ μὴν Φίλων ὠδὲ πη ἱστορῶν ἴοικεν ὑποφαίνειν τοὺς κατ' αὐτὸν ἐξ Ἑβραίων Χριστιανίσαντας ἵτι Ἰουδαϊκώτερον βιῶντας, καὶ τὰ ἰκρίνων ἰθὴ φυλάττοντας· παρ' ἄλλοις γὰρ οὐκ ἔστιν εὐρεῖν ταύτην τοῦ βίου τὴν διαγωγὴν.—Sozom. Hist. Eccles. lib. i. cap. 12, p. 26.]

⁷ ["Nam cum in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi, mo-

nachorum nomine censerentur, qui sicut a beatæ memoriæ Evangelista Marco, qui primus Alexandrinæ urbi Pontifex præfuit, normam suscepere vivendi," etc.—Cassiani Inst. lib. ii. cap. 5, p. 16. Confer quoque Gazæi Annot. in hunc Cassiani locum, qui rem fusissime et in eandem sententiam prosequitur.]

paschalis antiquitati argumentum, non ex Philone, sed ex Eusebio, petierim. Etiam si autem Therapeutæ isti nec S. Marci discipuli, nec omnino Christiani essent, cum tamen Eusebius cum aliis antiquis Ecclesiæ Patribus eos Christianos fuisse opinatus sit, et jejunia ab iis septem hebdomadas, quæ exceptis Dominicis quadraginta circiter dies efficiunt, celebrata, eadem esse judicaverit, quæ suæ ætatis Christiani ante Pascha celebrare solebant, hinc legitime saltem concludamus jejunium quadragesimale quarto ineunte seculo, quo vivebat Eusebius, passim a Christianis observatum fuisse, et adeo antiquum habitum, ut ab ipsis Apostolis institutum tunc temporis videretur.⁸

⁸ [“Quam opinionem” (Therapeutas fuisse Christianos ascetas ex Judæis Alexandrinis ad fidem Christi conversos) “. . . magna animi contentione et eruditione defendit Bernardus Montefalconus in libro cui titulus, ‘Le Livre de Philon de la Vie Contemplative, traduit sur l’original Grec, avec des Observations, ou l’on fait voir, que ces Thérapeutes, dont il parle, étoient Chrétiens. Paris, 1709, 8.’ Contra autem Montefalconum I. Boshierius

duas epistolas scripsit, ad quas cum respondisset Monachus Benedictinus, editæ sunt uno fasce hoc titulo: ‘Lettres pour et contre sur la Fameuse Question, si les Solitaires appellés Thérapeutes, dont a parlé Philon le Juif, étoient Chrétiens. Paris, 1712, 8.’” —Bruckeri Hist. Crit. Philos. Per. II. Par. i. lib. ii. cap. 1, sect. 30; tom. ii. p. 784, ubi tota hæc de Therapeutis controversia in utramque partem exponitur.]

CAPUT VI.

Synopsis.

- I. Constantini M. *verba de jejunio antepaschali explicata.*
- II. Dionysii Alexandrini *responsio de solutione jejunii antepaschalis. Quanta religione ultimi sex quadragesimæ dies antiquitus observati sunt.*
- III. *Non modo Parasceve et Sabbato magno, diebus illis quibus ablati sunt Sponsus, sed et ante eos celebratum fuisse jejunium ex ipso Tertulliano probatur.*
- IV. *Dies illos jejunio antepaschali consecratos quadraginta fuisse ex Origene, Tertulliano æquali, demonstratur. Cujus verba ab exceptionibus vindicantur.*
- V. *Illustre pro jejuniis antepaschalibus e Synodis istis, quæ secundo exeunte seculo de paschali festivitate celebranda habitæ fuerunt, argumentum assertum et explicatum.*

I. ΑΔΗÆC, Constantinus M., qui anno Domini CCCVI. imperare cœpit, suum de jejunio quadragesimali, ut istis diebus ubique observato, testimonium haud obscurum tribuit. Enimvero plurimis ante ejus ætatem annis Ecclesia Christiana de paschalis celebrandæ festivitatis tempore in diversas partes abierat. Asiani enim celebritatem istam quarta decima luna primi mensis, in quamcunque hebdomadis feriam inciderit, habendam esse contenderant: quo scilicet die Judæi ex Mosis præscripto agnum immolare solebant. Alii vero omnes Christiani festum illud non alio quam resurrectionis Dominicæ die, sive Dominica quartam decimam illam lunam proxime sequenti, ex Apostolica, ut aiebant, traditione celebrare consueti fuerant. Hæc controversia, ab ipsis fere Apostolorum temporibus exorta, non ante Concilium Nicænum a Constantino coactum sedata fuit. Istud autem Concilium ex universa Ecclesia convocatum decrevit, ut festum paschale uno eodemque die in omnibus Ecclesiis perageretur, Dominico scilicet quartam decimam lunam post æquinoctium

vernum, ut tum temporis commissum, consequente. Dimisso Concilio, Constantinus Imperiales suas literas ad omnes Ecclesias misit, suadens, ut inter alia Synodi istius decreta, hoc etiam de Paschate religiose admodum ubique observaretur. Qua de causa multa conguessit argumenta; inter alia autem hæc habet, *Λογισάσθω δ' ἡ τῆς ὑμετέρας ὑσιότητος ἀγχίνουα, ὅπως ἐστὶ δεινόν τε καὶ ἀπρεπές κατὰ τὰς αὐτὰς ἡμέρας, ἐτέρους μὲν ταῖς νηστείαις σχολάζειν, ἐτέρους δὲ συμπόσια συντελεῖν καὶ μετὰ τὰς τοῦ Πάσχα ἡμέρας ἄλλους μὲν ἐν ἑορταῖς καὶ ἀνέσεσιν ἐξετάζεσθαι, ἄλλους δὲ ταῖς ὠρισμέναις ἐκδεύεσθαι νηστείαις.* Consideret, quæso, vestrae sanctitatis solertia, quam grave sit et indecorum, iisdem diebus alios quidem jejuniis intentos esse, alios vero convivia celebrare: et post dies Paschæ alios quidem in festivitibus et animorum remissione versari, alios vero definitis vacare jejuniis. Ex his Constantini verbis apparet, primo, omnes ubique tunc temporis Christianos, tam Asianos, qui luna quarta decima, quam alios omnes, qui Dominica festum paschale celebrabant, in definitis jejuniis circa festum istud peragendis consensisse. Deinde apparet etiam paschalia ista jejunia definita fuisse et ejusdem ubique dierum numeri. Nisi enim Asiani eundem dierum numerum ante suum Pascha jejunarent, quem ante suum Catholici, haud necesse esset, ut ea, cujus meminit Constantinus, differentia inter ipsorum jejunia oriretur. Supponamus enim quartam decimam lunam incidisse in feriam tertiam, inter quam et Dominicam sequentem quatuor solidi dies intersunt; adeo ut quartadecimani Pascha suum quatuor solidos dies prius observarent, quam Catholici. Si illi nihilominus totidem pauciores quam hi jejunarent dies, ambo jejunia sua antepaschalia eodem die exordiri poterant. Quod si ambo eundem dierum numerum jejuniis transigerent, necesse erat, ut illi citius quam hi jejunia sua inciperent pariter ac finirent, juxta quod a Constantino M. hic asseritur; qui hic et de capite et de fine jejunii antepaschalis loquitur. De capite quidem, ubi ait, grave et indecorum esse, ut alii (quartadecimani scilicet, qui Quadragesimam suam citius quam Catholici incipiebant) jejuniis intenti essent, alii autem (sive Catholici) convivia adhuc celebrarent. De fine autem ubi addit, quam absurdum esset, ut etiam post Paschæ dies, illi sive quartadecimani iterum, Paschate suo, exempli gratia, tertia feria celebrato, in

Apud Euseb. de Vita Constant. lib. iii. cap. 18. [p. 588.] et apud Socrat. Hist. Eccles. lib. i. cap. 9. [p. 33:] et Theodoret. Hist. Eccles. lib. i. cap. 10. [p. 35.]

festivitatibus postea versarentur, Catholici autem usque ad sequentem Dominicam definitis adhuc jejuniis vacarent. Sed dicat forsitan non nemo, verum quidem esse, quod quartadecimani jejunium suum antepaschale aliquot subinde diebus citius quam Catholici auspicati fuerint, hinc tamen minime sequi, jejunium istud, ut ab utraque parte observatum, quadraginta fuisse dierum. Potuit enim sex esse, vel quindecim, vel alius cujusvis numeri dierum. Respondeo primo, quartadecimanos non potuisse sex continuos jejunare dies immediate ante suum Pascha, nisi forsitan, quod rarissime accidit, quarta decima luna in ipsam Dominicam incideret. Quacunque enim alia incidebat feria, præcedens Dominica sex dierum jejunium interrumperet: utpote qua jejunare omnibus semper illicitum fuit. Qui vero de sex dierum jejunio loquuntur, de sex istis continuis ante Pascha ἀναστάσιμον diebus intelligendi sunt, ut a Catholicis perpetuo jejunatis: et ipsos autem quartadecimanos sex ante suum Pascha continuos dies arctioribus dicasse vel dicare potuisse jejuniis, nunquam audivimus. Respondeo secundo, quod Constantinus Magnus hoc in loco ex universæ Ecclesiæ in Concilio Nicæno, cujus decreta hic confirmat, congregatæ mente procul omni dubio locutus est. At Synodus ista antepaschale illud, cujus meminit Imperator, jejunium Τεσσαρακοστήν diserte vocat, quod nomen, ut ante ostendimus, quadraginta dierum jejunium indicat. Quin eodem etiam currente seculo definitum illud jejunium quadraginta dies celebratum fuisse, usque adeo in istorum temporum monumentis patet, ut ipse Dallæus id negare nequeat. Ac proinde de tali tantoque jejunio Imperator hoc in loco necessario intelligendus est. Omnem enim fidem superat, ut Constantinus M. Ecclesiam universam, quam hic alloquitur, jejunium pauciorum dierum juxta universalis Concilii decretum observare suaderet, et tamen illa statim postea idem jejunium, sine ulla universalis Concilii auctoritate, quadraginta dies prorogaret.

II. Hactenus de jejunio quadragesimali, ut a quarti ineuntis seculi scriptoribus memorato, egimus. Videamus modo annon ii etiam, qui anterioribus claruerunt seculis, adeoque Apostolis propinquiores fuerunt, ejusdem meminerint. Sane Dionysius Alexandrinus, S. Cypriani æqualis,

qui tertio scripsit seculo nondum adulto, canonicam suam ad Basilidem Epistolam his verbis exorsus est, Ἀπέστειλάς μοι, [Can. l. Pan. Can. tom. ii. p. 1, A.] πιστότατε καὶ λογιώτατε υἱέ μου, πυνθανόμενος καθ' ἣν ὥραν ἀπονησίζεσθαι δεῖ τὴν τοῦ Πάσχα ἡμέραν, *Misisti ad me, fidelissime et sapientissime fili, interrogans, qua diei hora Paschæ jejunium solvendum sit?* Unde liquet istius ætatis Christianos jejunium antepaschale tanta religione celebrasse, ut scrupulose percontarentur, qua diei hora jejunium illud solvere liceat? Scrupulum hunc Basilidæ injecit varietas illa, quam in hac re observarat. Hi enim vespere, alii non ante galli cantum jejunium istud solvendum esse contendebant. Is autem veritus, ne in re tanti, ut ipsi visa est, momenti, per errorem laberetur, a Dionysio Alexandrino enixe flagitavit, ut exactam ei horam exponeret, qua jejunium solvere, et celebritatem paschalem exordiri liberum esset. Cui primo generatim respondet Dionysius, [Ibid. p. 1, B.] Τὸ μὲν γὰρ ὅτι μετὰ τὴν τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν καιρὸν χρὴ τῆς ἑορτῆς καὶ τῆς εὐφροσύνης ἐνάρχεσθαι μέχρις ἐκείνου τὰς ψυχὰς ταῖς νηστείαις ταπεινοῦντας, ὑπὸ πάντων ὁμοίως ὁμολογηθήσεται. *Quod enim post resurrectionis Domini nostri tempus oportet eos festum lætitiāque inchoare, qui ad illud usque animas jejuniis humiliant, erit apud omnes similiter in confesso.* Inter omnes ergo istis diebus conveniebat, jejunia antepaschalia celebranda esse, nec prius solvenda, quam hora illa advenerit, qua Christus resurrexit. *Verum hæc, inquit Dionysius, hora, ex Evangelistis vix determinari potest.*¹ Quibus sic positis, speciatim respondet, eos, qui nimium festivant, et ante mediam noctem surgunt, ὡς ὀλιγώρους καὶ ἀκρατεῖς ab Ecclesia reprehensos esse, ut qui, propemodum antequam par sit, cursum abruperint: eos autem, qui differunt, et plurimum perferunt, et ad quartam usque vigiliam fortiter abstinent, ὡς γενναίους καὶ φιλοπόνους, *ut generosos et laborum tolerantes susceptos esse.*² Τοῖς δὲ μεταξὺ, inquit, [Ibid. p. 3, A.]

¹ [Κατισκυάσας δὲ δι' ὧν ἔγραψάς μοι πᾶν ὑγιῶς καὶ τῶν θείων εὐαγγελίων ἡσθημένος, ὅτι μηδὲν ἀπηκριβωμένον ἐν αὐτοῖς περὶ τῆς ὥρας, καθ' ἣν ἀνίστη, φαίνεται.—Dion. Alex. Can. i. Pan. Can. tom. ii. p. 1, B.]

² [Τοὺς μὲν λίαν ἱπιταχύνοντας καὶ πρὸ νυκτὸς ἰγγύς ἤδη μισούσης ἀνίπτας,

ὡς ὀλιγώρους καὶ ἀκρατεῖς, μιμφομένα, ὡς παρ' ὀλίγον προκαταλύοντας τὸν δρόμον, λίγοντος ἀνδρὸς σοφοῦ, Οὐ μικρὸν ἐν βίῳ τὸ παρὰ μικρὸν τοὺς δὲ ἰφυστιρίζοντας, καὶ διαρκοῦντας ἐπὶ πλῆστον, καὶ μέχρι τετάρτης φυλακῆς διγκαρτεροῦντας, καθ' ἣν καὶ τοῖς πλείουσιν ὁ Σωτὴρ ἡμῶν περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης

ὡς ἐκινήθησαν, ἢ ὡς ἠδυνήθησαν, ἀναπαυσάμενοις, μὴ πᾶν διοχλῶμεν, ἐπεὶ μὴδὲ τὰς ἕξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας ἴσως μὴδὲ ὁμοίως πάντες διαμένουσιν· ἀλλ' οἱ μὲν καὶ πάσας ὑπερτιθέασιν ἄσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας, οἱ δὲ οὐδεμίαν. *Iis autem, qui interea, vel ut moti sunt, vel ut potuerunt, quiescunt, non valde molesti sumus: quandoquidem nec sex jejuniorum dies æqualiter nec similiter omnes exspectant, sed alii quidem etiam omnes transmittunt jejuni permanentes, alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum.* Per τὰς ἕξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας hebdomadem antepaschalem hic intelligendam esse inter omnes constat. Eam scilicet quam veteres τὴν μεγάλην ἐβδομάδα, quamque Epiphanius, ἐβδομάδα τῆς ξηροφαγίας, et ἐβδομάδα τοῦ Πάσχα, et τὴν ἀγίαν ἐβδομάδα, necnon in Expositione Fidei τὰς ἕξ ἡμέρας τοῦ Πάσχα, alibique absolute τὰς ἡμέρας τοῦ Πάσχα vocat.³ Sex enim istius hebdomadis dies, Dominica scilicet excepta, arctioribus perpetuo jejuniis dicati fuerunt. Adeo ut isti etiam, qui carni et palato plus nimio indulgentes priorem Quadragesimæ partem qua par est religione non observant, hos ultimos illius dies non jejunare nefas ducerent; quique priorem itidem partem stricte, hanc longe strictius peragerent. Hinc inter Constitutiones, Apostolorum vulgo dictas, legimus, Ἐν ταῖς ἡμέραις οὖν τοῦ Πάσχα νηστεύετε, ἀρχόμενοι ἀπὸ δευτέρας μέχρι τῆς παρασκευῆς, καὶ σαββάτου, ἕξ ἡμέρας, μόνῳ χρώμενοι ἄρτῳ, καὶ ἀλί, καὶ λαχάνοις, καὶ ποτῶ ὕδατι· οἴνου δὲ καὶ κρεῶν ἀπέχεσθε ἐν ταύταις· ἡμέραι γὰρ εἰσι πένθους, ἀλλ' οὐχ ἑορτῆς. *In diebus igitur Paschæ jejunate, incipientes a feria secunda usque ad Parasceven et Sabbatum per sex dies solo utentes pane, et sale, et oleribus, et aquæ potu. Abstinetes autem vino et carne istis diebus. Dies enim sunt luctus et non festi.* Quam religiose autem hanc antiquitus hebdomadem observarint, ex nemine melius quam ex Epiphanio discamus, qui de Arianis loquens hæc habet, Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοῦ Πάσχα, ὅτε παρ' ἡμῶν χαμευνίαί, ἀγνεῖαι, κακοπάθειαι, ξηροφαγίαί, εὐχαι, ἀγρυπνίαί τε καὶ νηστεῖαι, καὶ πᾶσαι τῶν ψυχῶν αἰ σωτηρίαί τῶν ἀγίων παθῶν, αὐτοὶ ἀπέωθεν ὀψωνοῦσι κρέα τε καὶ οἶνον, ἑαυτῶν τὰς φλεβὰς γιμίζοντες, ἀνακαγ-

Hær. lxx.
[Audian.]
[Num. 12.
Op. tom. i. p.
824, D.]
[Ex. Fid.
Cath. num.
22, tom. i. p.
1105, C.]
[Hær. lxxv.
Aerian. num.
3. Op. tom. i.
p. 908, C.]

Constit.
Apost. lib. v.
cap. 18.
[Cot. Pat.
Ap. tom. i. p.
322.]

Epiph.
Hær. lxxv.
[Aerian.]
num. 3. [Op.
tom. i. p. 908,
C.]

Ἐπιφάνη, ὡς γυναικίους καὶ φιλοπόνοους ἀποδοχόμενα.—Dion. Alex. Can. i. Pan. Can. tom. ii. pp. 2, F. 3, A.]

³ [Πρὸ ἕξ ἡμερῶν τοῦ Πάσχα.—Epiph. Serm. in festo Palmar. Op. tom. ii. p. 253, A.]

χάζουσι, γελῶντες, χλευάζοντες τοὺς τὴν ἁγίαν ταύτην λατρείαν τῆς ἐβδομάδος τοῦ Πάσχα ἐπιτελοῦντας. *Præterea ipsius diebus Paschatis, quod tempus nos (Catholici) humi cubando, castimoniam servando, afflictandoque corpore, nec non et aridorum ciborum usu, precibus, vigiliis, jejuniis ac reliquis id genus saluberrimis animarum cruciatibus celebrare solemus, illi (Aeriani) e contrario jam tum diluculo obsonari solent, et carnibus, vinoque distenti, cachinnari, ridere, eosque, qui illam Paschatis hebdomadem sanctissimis illis religionibus traducunt, ludibrio habere.* Quinetiam in Expositione Fidei Catholicæ, ubi ex professo agit de jejuniis ab Ecclesia Catholica observatis, totam quidem Quadragesimam religiose, paschalem vero hebdomadem, sive sex, ut vocantur, Paschatis dies quam religiosissime celebratos fuisse docet. Dicit enim τὴν δὲ Τεσσαρακοστὴν τὴν πρὸ τῶν ἐπτὰ ἡμερῶν τοῦ ἁγίου Πάσχα ὡσαύτως φυλάττειν εἴωθεν ἢ αὐτῇ ἐκκλησία, ἐν νηστείαις διατελοῦσα· τὰς δὲ κυριακὰς οὐδ' ὄλως, οὔτε ἐν αὐτῇ τῇ Τεσσαρακοστῇ, τὰς δὲ ἕξ ἡμέρας τοῦ Πάσχα ἐν ξηροφαγίᾳ διατελοῦσι πάντες οἱ λαοί. φημί δὲ ἄρτω, καὶ ἀλί, καὶ ὕδατι τότε χρώμενοι πρὸς ἐσπέραν. ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι, διπλᾶς, καὶ τριπλᾶς, καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ ὅλην τὴν ἐβδομάδα τινὲς ἄχρι ἀλεκτρούωνων κλαγγῆς, τῆς Κυριακῆς ἐπιφωσκούσης. *Cæterum ante septem Paschatis (ἀναστασιμου) dies Quadragesimam observare, atque in jejuniis perseverare eadem consuevit Ecclesia, Dominicis vero nullis omnino, adeoque nec ipsius Quadragesimæ, jejunare solet. Præterea sex Paschatis dies xerophagiis sive arido victu transire populus omnis consuevit, hoc est panem duntaxat, et salem cum aqua sub vesperam adhibere. Imo vero nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatrimum usque jejunia prorogant. Alii totam hebdomadem ad usque sequentis Dominicæ gullinicum sine cibo transmittunt.* Ex his inter se collatis patet, quo sensu verba Dionysii Alexandrini supra allata intelligenda sint. Hic enim eandem in sex jejuniorum diebus, quam Epiphanius in sex Paschatis diebus celebrandis varietatem observat. Quod alii scilicet duos, alii tres, alii quatuor, alii omnes istos sex dies jejunare solebant, nisi quod Dionysius addat, alios etiam nullum observasse, eos scilicet qui vel hæretici erant, vel nullius prorsus religionis. Ut igitur Epiphanius, sic etiam Dionysius hebdomadem antepaschalem, sive sex istos dies, qui paschalem festivitatem

Epiph.
Expos. Fid.
num. 22.
[Op. tom. I.
p. 1105, B,
C.]

immediate præcedunt, arctissimis omnium jejuniis dicatos fuisse asserit. Ac proinde, licet ipse eodem, quo Epiphanius, modo disertam Quadragesimæ mentionem non induxerit, haudquaquam tamen sequitur, quin jejunium quadragesimale æque ac sex istorum, quos ille memorat, dierum tunc temporis observatum fuerit. Et ipse enim Epiphanius etiam, ubi de Quadragesima agit, de istis sex jejuniis diebus speciatim loquitur. Neque opus erat, ut Dionysius alios memoraret, siquidem hi soli ad rem ipsius plenissime faciebant. Quod ad antepaschale vero jejunium in commune spectat, ut istis diebus celebratum, illud luculenter adeo ex hisce Dionysii verbis patet, ut ipse Dallæus etiam invitus fateri cogatur, nonnullos saltem ante festum paschale dies ab Ecclesia primitiva jejuniis consecratos fuisse.⁴ Qui vero quadragesimale cum nostra Ecclesia jejunium hisce diebus celebrare recusant, iidem, quantum ipse quidem vel videre unquam vel audire potui, nullum omnino antepaschale jejunium celebrare solent. Qui propterea, ipso etiam Dallæo, validissimo ipsorum patrono, judice, cum primitivis Ecclesiis non consentiunt, nec si reviviscerent, ecclesiasticam cum iis communionem haberent.

III. Sed altius adhuc ascendamus, et videamus, annon secundo etiam exeunte vel tertio ineunte seculo jejunium ante festum paschale ab Ecclesia Catholica celebratum fuerit. Qui vero Tertulliani legit opuscula, de hoc dubitare nequit. Is enim, cum adhuc Catholicus esset, hæc scripsit, *Sic et die Paschæ, quo communis et quasi publica jejunii religio est, merito deponimus osculum, nihil curantes de occultando quod cum omnibus faciamus.* Istis nimirum diebus solenne erat Christianis in sacris ipsorum conventibus mutuam inter se invicem pacem ac caritatem sancto osculo testari. Qui vero jejunabant istam cæremoniam omittere solebant (eo scilicet, ut videtur, quod Judas Christum osculo

Tertull. de
Orat. cap.
xiv. [p. 135,
A.]

⁴ ["Hoc ergo, licet vario, neque uniformi, tamen aliquorum quotannis solenni ritu effectum est, ut tota illa hebdomas, ἡξ τῶν νηστειῶν ἡμέραι, sex jejuniis dies, diceretur; non quod eos omnes universi ac singuli, sed quod

alios alii, hi plures, illi pauciores, pro suo quisque ingenio et arbitrio, jejunarent, ut ex his Dionysii clarum est."—Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 7, p. 479.]

tradiderat) adeo ut, qui osculum illud pacis subtrahebant, eo se jejunare proderent. Præcepit autem Dominus, ut jejunia nostra occultemus. Disputat ergo hoc in loco Tertullianus contra eos, qui *jejunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis*, ut ipse loquitur, et isthoc modo jejunium suum produnt. Dicit autem, quod die Paschatis (σταυρωσίμου scilicet, ut inter omnes convenit) osculum illud merito deponeretur, ob hanc rationem, quod isto die *communis et quasi publica jejunii religio est*, quo propterea jejunium celare nihil intererat: cum omnes tunc temporis jejunare cuivis notum esset. Unde isto saltem die, quo Passio Christi commemoratur, commune et publicum jejunium ab Ecclesia celebratum fuisse extra dubium est. Alibi autem proximum etiam diem, sive Sabbatum Magnum, a Catholicis jejunatum esse notat. In Montani enim hæresin modo delapsus adversus Psychicos (quo nomine Catholicos invidiose indigitat) sic disputat, *Quaquam vos etiam Sabbatum, si quando continuatis, nunquam nisi in Pascha jejunandum, secundum rationem alibi redditam*. In Pascha itaque Sabbatum æque ac Parasceve (ut ipse diem Paschæ sive sextam hebdomadis paschalis feriam ibidem vocat) a Catholicis istius seculi jejunio dicatum est, *secundum rationem*, inquit, *alibi redditam*, eam scilicet quam ipse in secundo ejusdem libri capite his verbis reddit, *Certe in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant* (Psychici sive Catholici) *in quibus ablati sunt Sponsus, et hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum, abolitis legalibus et prophetis vetustatibus*. Enimvero cum nonnulli Dominum nostrum interrogassent, *Quare discipuli Joannis et Phariseorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?* Respondit Jesus, *Non possunt filii thalami, quamdiu cum ipsis est Sponsus, jejunare*, Ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, καὶ τότε νηστεύσουσιν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, *Venient autem dies cum auferetur ab iis Sponsus, et tunc jejunabant in illis diebus*. Ex hisce Domini verbis persuasum habuerunt Primitivi Christiani, sive, ut Tertulliani verbo utar, 'putarunt' illos dies, quibus ablati sunt Sponsus, jejuniis in Evangelio determinatos esse, eos scilicet, quibus Sponsus, sive Christus, crucifixus est, et in sepulchro conditus, hoc est Parasceven et Sabbatum hebdomadis

[Tertull. de Orat. cap. xiv. p. 134, C.]

Ibid. [de Jejun.] advers. Psych. cap. xiv. [p. 552, B.]

Ibid. cap. ii. [p. 544, C.]

Marc. ii. [20:] Luc. v. [35.]

[Tert. de
Jej. cap. ii.
p. 545, A.]

[Ibid.]

Ibid. cap.
xiii. [p. 551,
B.]

[Aul. Gell.
Noct. Att.
lib. xii. cap.
13, p. 50.]

paschalis, quibus Sponsus a discipulis ablati sunt, nec ante proximum diem sive Dominicum iis restitutus. Tertulliani itaque ætate Catholici, abolitis omnibus legalibus, hos solos legitimos, ab ipso scilicet Christo constitutos fuisse jejuniorum dies arbitrati sunt. *De cætero, autem, indifferenter [differenter. Prior.] jejunandum, ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus, et causis uniuscujusque. Sic et Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum et in commune omnibus obeundorum jejuniorum, ut ibidem loquitur Tertullianus. Inter omnes igitur istius seculi Catholicos convenit, hos duos, eosque solos dies in ipso Evangelio jejuniis determinatos esse, et ab ipsis Apostolis observatos. Alios autem dies, licet non quidem ex imperio novæ disciplinæ, nec ex lege præcepti, ut idem paulo post se exprimit, veruntamen ex arbitrio jejunare solebant. Hoc enim ex eodem etiam scriptore liquet, Catholicos postea sic alloquente, *Ecce enim convenio vos et præter Pascha jejunantes, citra illos dies, quibus ablati sunt Sponsus. Præter Pascha igitur jejunabant, nec præter tantum, sed et citra, sive ante, illos dies quibus ablati sunt sponsus. Nam citra et ultra sibi invicem opponuntur, et citra calendas idem est ac ante calendas apud Aulum Gellium, qui iisdem, quibus Tertullianus, diebus vixit. Constat itaque Catholicos istis temporibus, non modo ipsos dies, quibus ablati sunt Sponsus, sed et ante eos jejunasse; cum hoc tamen discrimine, quod illos quidem dies ex Ipsius Christi præcepto, anteriores vero ex arbitrio, vel ex antiqua consuetudine, vel ex traditione potius, si non institutione, Apostolica jejunii transigebant. Nisi enim solenne iis fuisset anteriores illos dies quotannis jejunare, hoc iis Tertullianus, jam Montanista, non objectasset, quo stata jejunia a Montano instituta ab eorum objectionibus vindicaret.**

IV. Alios itaque nonnullos ante illos, quibus ablati sunt Sponsus, dies tertio ineunte seculo solennibus dicatos fuisse jejunii ab Ecclesia Catholica, ex ipso Tertulliano satis abunde constat. Numerum autem istorum dierum ille silentio prætermisit: qui tamen ex æquali ejus Origene facillime eliciatur. Hic enim non tantum de Parascevis, tanquam de diebus illis quibus ablati sunt Sponsus, a Christianis suæ ætatis sollemniter jejunatis meminit, dicens, 'Εὐ

δέ τις πρὸς ταῦτα ἀνθυποφέρει τὰ περὶ τῶν παρ' ἡμῶν Κυριακῶν, ἢ Παρασκευῶν, ἢ τοῦ Πάσχα, ἢ τῆς Πεντηκοστῆς δι' ἡμερῶν γινόμενα. *Quod si quis nobis ex adverso regerat, nostras Dominicas, vel Parascevas, aut Pascha, et Pentecosten solenniter recurrentes.* Verumetiam alibi de abstinencia Christiana loquens, ait, *Habemus enim Quadragesimæ dies jejuniis consecratos.* Cum vox enim 'Quadragesima' quadraginta dierum spatium significet, eademque antepaschale quadraginta dierum jejunium quarto currente seculo, ut ostendimus, indigitatum fuerit, nemini dubium esse potest, quin eodem sensu hoc etiam Origenico loco usurpetur, quo de iisdem jejuniis a Christianis celebrari solitis agitur. Quid e contra Dallæus? Has quidem in Leviticum Homilias Origenis esse, et vel ab Hieronymo, vel a Ruffino Latine versas, non negat. Sed *fieri, inquit, potest, ut quod ille Græce dixerat προέορτον νηστείαν, illi, sui seculi usum ac loquendi morem sequentes, Quadragesimam appellaverint.* Egregius quidem disputandi modus, quo semel admissio nullus erit disputandi finis, nullus scribendi usus. Fieri potest ut Origenes hoc in loco Græce dixerit, προέορτον νηστείαν, ergo non dixit τεσσαρακοστήν. Mira sane consequentia, præsertim ubi de facto quæritur, non quid fieri potest. Quid autem si fieri non potest, ut Origenes προέορτον νηστείαν diceret? Alibi profecto non προέορτος, nedum προέορτος νηστεία occurrit. Occurrit fateor apud Gregorium Nazianzenum προέορτιος κάθαρσις, [Orat. xl. sect. 30.] et προέορτιος εὐφροσύνη, [Orat. xlv. sect. 2.] necnon apud Philonem Judæum de Therapeutis loquentem προέορτιος τῆς μεγίστης ἑορτῆς. Sed ubi, quæso, προέορτος, vel etiam προέορτιος νηστεία. Quid etiam si fieri possit ut προέορτιος νηστεία alicubi legatur? Fieri tamen non potest, ut ita in citato Origenis loco legatur. Si loco enim vocis τῆς Τεσσαρακοστῆς, quam interpretes *Quadragesimam* verterunt, ex Dallæi mente substituamus προέορτον νηστείαν, verba ista sic haberent, *Habemus enim τὰς τῆς προέορτου νηστείας ἡμέρας, jejunii festum præcedentis dies jejuniis consecratos.* Quæ adeo impropria et ridicula est loquendi formula, ut nemo præter Dallæum Origeni eam attribueret. Quinetiam si Origenes προέορτον, vel προέορτιον νηστείαν dixisset, interpretes *Quadragesimam* non vertissent, sed jejunium præcedens festivitatem, vel aliquid simile, quod vox Quadra-

Orig. contra Cels. lib. viii. p. 392; [cap. xxii. Op. tom. i. p. 758, F.]

Id. in Levit. Hom. x. [Op. tom. ii. p. 246, D.]

Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 4, p. 427.

[Op. tom. i. p. 715, C.] [Op. tom. i. p. 846, C.] [De Vita Contemp. Op. tom. ii. p. 481.]

gesima haudquaquam denotat. Cum itaque Hieronymus, vel Ruffinus, vel quicumque demum Origenis Homilias Latine interpretatus est, vocem Quadragesimam hoc in loco usurparit, nihil dubii esse potest, quin idem vocem Τεσσαρακοστήν in isto codicis Græci loco legerit. Unde simul evincitur, jejunium antepaschale etiam Origenis ætate, hoc est tertio ineunte seculo, τῆς Τεσσαρακοστῆς nomine nuncupatum fuisse, pariter atque Concilii Nicæni tempore. Τεσσαρακοστή vero dici non potuit, nisi quadraginta esset dierum. Cum Tertullianus itaque dicat Catholicos sui temporis, sive, ut ipse eos vocat, Psychicos, alios *citra dies quibus ablati sunt Sponsus* jejunii consecrasset, et æqualis ejus Origenes *Quadragesimæ dies jejunii consecratos* asserat, legitima exinde conclusio inferetur, quadragesimale jejunium, diebus illis quibus ablati sunt Sponsus terminatum, isto etiam tempore a Catholicis religiose observatum fuisse. Etiam si non negem quin fieri possit, ut a nonnullis vel hæreticis vel irreligiosis in levi forsitan haberetur.

V. Adhæc non modo tertio ineunte, sed et secundo nondum finito seculo, publico et communi Ecclesiæ usu receptum est, ut aliquot ante festum paschale dies jejunii ex Apostolica traditione dicarentur. Hoc ex controversia ista patet, quæ istis diebus de festo paschali celebrando emergebat. Eusebius enim ex Actis Synodorum et Epistolis ea de re scriptis tradidit, quod omnes per Asiam Ecclesiæ, vetusta quadam traditione nixæ, festum Paschæ diem quarta decima luna celebrandum esse censerent, quo scilicet die Judæis præscriptum erat, ut agnum immolarent. Ὡς δέον ἐκπαντὸς κατὰ ταύτην, ὅποια δ' ἂν ἡμέρα τῆς ἐβδομάδος περιτυγχάνοι, τὰς τῶν ἀσιτιῶν ἐπιλύσεις ποιῆσθαι. *Eaque omnino luna, in quemcunque demum septimanæ diem incidisset, finem jejunii imponendum esse.* Cum tamen reliquæ, ut inquit, totius orbis Ecclesiæ alio more uterentur, qui ἐξ ἀποστολικῆς παραδόσεως etiamnum, inquit, servatur, ὡς μηδ' ἐτέρῃ προσήκειν παρὰ τὴν τῆς ἀναστάσεως τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἡμέρα τὰς νηστείας ἐπιλύεσθαι, *Ut scilicet non alio quam resurrectionis Servatoris nostri die jejunia solvi liceat.* Ob hanc itaque controversiam Synodi cætusque Episcoporum convenere, atque omnes uno consensu ecclesiasticam regulam universis fidelibus per Epistolas Synodicas tradiderunt, ne videlicet alio quam Dominico die mysterium resur-

[Euseb.
Hist. Eccles.
lib. v. cap.
23, p. 242.]

rectionis Domini unquam celebraretur. Καὶ ὁπῶς ἐν ταύτῃ μόνῃ τῶν κατὰ τὸ Πάσχα νηστειῶν φυλαττώμεθα τὰς ἐπιλύσεις, *Utque eo duntaxat die paschaliū jejuniorum terminum observemus.* Hæc Eusebius ex vetustis Synodorum de hac re habitarum Epistolis ac monumentis eruta tradidit. Qui hæc legit, dubitare nequit, quin jejunia antepaschalia istis diebus ab universa Ecclesia celebrata essent. Tota enim hæc controversia de jejuniorum istorum termino, sive die quo solvenda erant, instituebatur. Asianæ enim quartadecima luna, in quamcunque hebdomadis feriam incideret, reliquæ omnes Ecclesiæ non nisi Dominica, sive resurrectionis die, solvenda esse jejunia illa antepaschalia contendebant. Inter utramque itaque partem, adeoque inter omnes istius seculi Ecclesias, convenit jejunia ante Pascha celebranda esse, eademque multorum dierum. Alioquin enim tanta de eorum fine contentio inter Ecclesias nunquam mota fuisset. Quid causæ enim erat, vel esse poterat, cur finem jejunii, quod uno vel altero duntaxat die peragebatur, in quæstionem vocarent, et acriter inter se certarent, quonam illud die finiendum sit? De die enim, quo illa ante Pascha jejunia solvenda erant, tota instituta est controversia. Quid ita, quæso, si non aliquamulti dies ante Pascha jejuniis consecrati fuissent? Qui istam sane controversiam, qua Ecclesia Christiana proximo post ipsos Apostolos seculo exercitata fuit, maturo liberoque præjudicii animo perpendit, nullus dubitabit, quin istius ætatis Christiani quam plurimos ante festum paschale dies jejuniis se exercere consueti fuerint: idque adeo religiose, ut, licet de die, quo jejunia ista solvenda erant, et festum paschale celebrandum, in diversas partes abierint, et ultro citroque disputarint, jejunia tamen ista ex Apostolica traditione caste stricteque observanda esse conjunctis sententiis omnes consenserint. Quod quidem summam hujus jejunii antiquitatem usque adeo evincit confirmatque, ut satis mirari nequeam, qua tandem fronte quispiam novitium illud institutum esse affirmare ausus sit.

CAPUT VII.

Synopsis.

- I. Irenæi verba de diversis jejunii antepaschalis formis. *Ea nonnulla ita interpretantur, ac si quadraginta horæ antiquitas a nonnullis jejunatæ essent.*
- II. *Ista interpretatio refellitur, ex eo quod talis jejunii nulla in antiquitate occurrat mentio, quodque verba Irenæi istum sensum non ferent.*
- III. *Vera eorum verborum interpretatio explicatur et defenditur. Quid sit 'per horas diurnas nocturnasque jejunare?'*
- IV. *Ex illis verbis evincitur accuratam esse jejunandi formam, qua quadraginta dies jejunati sunt. Quod etiam e proximis ejusdem verbis fuse explicatis confirmatur.*
- V. *Ex istis Irenæi verbis probatur accuratum jejunandi ante Pascha formam ipso Irenæo iudice eam esse, qua quadraginta dies jejunio isti consecrantur.*
- VI. *E præmissis Irenæi verbis et illis quæ ea sequuntur, jejunium quadragesimale ab ipsis Apostolorum diebus religiose observatum fuisse demonstratur.*

I. SECUNDUM hæc, fervente ista de Paschate celebrando controversia, doctissimi quique Ecclesiæ Christianæ præsules et Synodicas et privatas suas de ea Epistolas conscribebant, quibus morem quisque suum, ut a majoribus traditum, tueri conatus est. Ex una quidem parte Theophilus Cæsariensis, et Narcissus Hierosolymitanus, Victor Romæ, Palmas in Ponto, Irenæus Lugdunensis, et Bacchyllus Corinthiorum Episcopus, jejunia antepaschalia ex Apostolica traditione non ante resurrectionis Dominicæ diem solvenda esse scriptis contendebant. Ex altera autem parte Polycrates Ephesi Episcopus, qui omnibus in Asia Episcopis tanquam Metropolitanus eorum præerat, finem antepaschalibus istis jejuniis

[Euseb. Hist. Eccles. lib. v. cap. 23, pp. 242, 243.]

quartadecima luna, in quamcunque hebdomadis feriam inciderit, ex Philippi et Joannis Apostoli, aliorumque Apostolicorum in Asia virorum traditione imponendum esse scriptis ad Victorem et Romanam Ecclesiam literis asserebat. Quibus permotus Victor Romanus Asiaticas Ecclesias, ut contraria fidei sentientes, a communione abscindere molitus est. Verum alii se prudentes interposuerunt Episcopi, et Victorem decenter admonuerunt, ne tale quid attentaret: sed ea potius vellet, quæ ad pacem et unitatem Ecclesiæ conducerent. Inter alios Irenæus Lugdunensis, fratrum, quibus præerat in Gallia, nomine, prolixam satis ad Victorem Epistolam conscripsit, qua eum ab incepto revocare hoc inter alia argumento conatus est, Οὐδὲ γὰρ μόνον, inquit, *περὶ τῆς ἡμέρας ἐστὶν ἡ ἀμφισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἶδους αὐτοῦ τῆς νηστείας, Neque enim de die solo controversia est, sed etiam de ipsa forma jejunii.* E quibus verbis observare licet, controversiam istam non de ipso jejunio, sed de die quo solvendum esset, institutum fuisse, adeo ut ista, de qua nos modo disputamus, quæstio, utrum scilicet jejunium ante Pascha celebrandum sit, istis diebus in controversiam nulla veniret, cum nemo esset qui illud negaret. Verum etiamsi de ipso jejunio ante Pascha peragendo summa tunc dierum concordia esset, ut de die tamen, sic et de ipsa jejunii forma, ut inquit Irenæus, controversum erat. Quod ut Victori probatum daret, hæc protinus subdit, Οἱ μὲν γὰρ, inquit, *οἶονται* [Ibid. pp. 246, 247.] *μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα, ὥρας ἡμερινὰς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν.* Hæc illa sunt verba, quæ doctorum ingenia tamdiu exercuerunt. Nonnulli enim delendum esse punctum post vocem *τεσσαράκοντα*, adeoque totam sententiam hoc modo Latine reddendam esse tanquam pro aris et focis contendunt, *Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum, alii duobus, alii etiam pluribus. Nonnulli vero quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis diem suum commetiuntur.* Hanc istorum Irenæi verborum expositionem plurimi, fateor, eruditi viri secuti sunt.¹ Quos inter Dallæus, qui quadra-

¹ [“ Irenæus, cujus verba ex Græca Roberti Stephani editione, etiam Bel-
larmino fatente, (lib. ii. de Bonis Oper.

cap. xiv.) [Op. tom. iv. p. 1010,] emendatissima exhibuimus, nihil habet hujusmodi. Quosdam dicit *quadra-*

Iren. apud
Euseb. Hist.
Eccl. lib. v.
cap. 24. [pp.
245, 246.]

ginta horas, ut putat ille, hic memoratas, eas esse opinatus est quibus ablati sunt Sponsus: siquidem a Domini passione usque ad Ipsius resurrectionem, quadraginta plus minus horæ elapsæ videntur. Et quidem si Irenæi verba hoc modo intelligantur, probabunt saltem omnes tunc temporis Christianos in ea fuisse opinione, quod ante Pascha eos necessario jejunare oporteret. Alii enim unum, alii duos, alii plures, ut sex vel etiam quadraginta dies, nulli vero nullum omnino diem ante Pascha jejunandum esse existimabant. Et qui unicum diem jejunabant, illum juxta hanc ex-

ginta, non dies jejunasse, vel jejunandum putasse, sed horas diurnas nocturnasque in suum diem commensuras esse; ut bona fide interpretati sumus. Bellarminus (ib.) verum vidit; et, recitatis Græcis, subjicit; Hæc verba si reddantur simpliciter, ita sonabunt Latine; 'Neque enim solum de die (Paschæ videlicet) est dubitatio, sed etiam de specie ipsius jejunii. Quidam enim existimant unum diem oportere se jejunare, quidam duas, quidam etiam plures. Quidam quadraginta horis diurnis et nocturnis metiuntur suum diem.' Hactenus Bellarminus. Sic et Rigaltius hunc Irenæi locum ad Tertullianum (de Jejun. cap. ii.) [p. 545, D.] laudans, ejusque sensum breviter repræsentans, eodem quoque modo illa ejus verba accipit; *Irenæus, inquit, apud Eusebium, Hist. [Eccl. lib.] v. tam varie, ac differenter observatum fuisse (jejunium scilicet) tradidit, ut essent, qui unum sibi diem jejunandum esse crederent, alii duos, alii plures, alii vero diem suum esuriale per quadraginta diurnas nocturnasque horas ducerent.* Hæc igitur omnino est Irenæi nostri mens; unde id, quod diximus, clarissime patet; nimirum Parasceves paschalis diem accuratiori jejunio passim a Christianis jam tum fuisse celebratam, insigni tamen cum varietate; sic, ut alii unum illum diem, alii biduum, (adjecto scilicet ad Para-

sceven ipso sequenti sabbato) alii plures, nimirum secundam forte, aut quartam paschalis illis hebdomadis feriam, jejunarent. Fuisse et qui unum quidem diem jejunio et ipsi deputarent, sed quem ita metirentur, atque definirent, ut is quadraginta continenter horas diurnas nocturnasque complecteretur. Atque hæc istorum jejunandi ratio inde exorta videtur, quod cum plerique (quod et supra ex Tertulliano audivimus) Parasceve illa paschali ideo jejunandum putarent, quod eo die ablati esset Sponsus, isti toto illo tempore, quo Christus ablati ab Apostolis abfuit, sibi lugendum, ac jejunandum existimarunt. Christus autem cum hora Parasceves sexta crucifixus, auferri quoque adeo cœptus, non nisi feria prima paulo ante diluculum suis redditus fuerit, hoc est resurrexerit, horas quadraginta a suis abfuisse videtur; nempe ultimas sex diurnas Parasceves, sabbati nocturnas diurnasque viginti quatuor, primæ feriæ nocturnas decem; quibus exactis resurrexit. Ideo isti totidem sibi horas jejunandum similiter putabant; jejuniumque adeo suum, ipsa Parasceve cœptum, totumque Sabbatum continuatum, feria prima jam adulta, hoc est paulo ante diluculum, hora noctis undecima ineunte, aut circiter, solvebant."—Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 7, pp. 447, 448.]

positionem quadraginta horas continuabant. Verum multa sunt quæ hanc interpretationem funditus evertunt.

II. Primo enim, in omni antiquitate ecclesiastica nec vola exstat nec vestigium jejunii a crucifixione Christi incepti, et resurrectione Ipsius terminati, nec absolute jejunii cujuspiam quadraginta præcise horas celebrati. Dies, fateor, quibus ablati sunt Sponsus, strictioribus quam alii jejuniis perpetuo dicati fuerunt, sed toti, non partim jejuniis et convivii partim, juxta hanc Dallæi conjecturam, qui Parasceves, qua crucifixus est Dominus, jejunium non ante Ipsum crucifixionis tempus a nonnullis inchoatum esse arbitratur. Quæ quidem opinio ab ipso Tertulliano funditus destruitur, ipsos dies, quibus ablati sunt Sponsus, a Catholicis jejunatos esse asserente, non tantum aliquam vel prioris vel utriusvis partem. Si Irenæus itaque nonnullos quadraginta horas jejunasse velit, qui factum est, ut talis jejunii vestigia alibi nulla appareant? Quod dicit, nonnullos unum, alios duos, alios plures ante Pascha jejunasse dies, illud a Dionysio Alexandrino, Epiphonio, aliisque affirmatur. De quadraginta etiam dierum jejunio frequentissima occurrit mentio. At de jejunio quadraginta horarum altissimum ubique silentium: præterquam in hoc unico controverso Irenæi loco, ad illum sensum, quem nequaquam ferat, violenter detorto. Quod vix, vel ne vix quidem fieri potuit, si ulli unquam Christiani tale jejunium observassent, vel etiam si Irenæus illud asseruisset. Ex quo enim Eusebius hæc Irenæi verba in historiam suam transcripsit, omnium manibus trita fuerunt, oculisque subjecta. Adeo ut vix unus sit e Patribus Græcis post Eusebium, vel etiam e Latinis post Ruffinum ejus interpretem, qui hæc Irenæi verba non legerit. Sed tamen ex omnibus tam Latinis, quam Græcis, quos scimus, Patribus, nullus unquam hujusmodi jejunii vel tenuissimam mentionem fecit; etiamsi alios omnes jejunii antepaschalis observandi modos sæpe numero commemorarent. Hujus autem silentii alia dici non potest causa, quam quod hæc Irenæi verba antiquitus eo, quem Dallæus aliique volunt, modo nec lecta fuerunt, nec intellecta: vel (quod idem est) quod Irenæus quosvis quadraginta horas jejunasse nunquam dixit. Deinde si Irenæus significare voluerit, nonnullos quadraginta continenter horas jejunasse, quid opus erat addere horas illas diurnas ac noc-

turnas fuisse? Ex hac sane expositione vocabula ista *ἡμερινὰς τε καὶ νυκτερινὰς* supervacanea prorsus essent, nihil amplius significantia, quam quod in quadraginta horis jejunitatis necessario includitur. Nemo enim quadraginta, secundum hanc opinionem, horas continuo jejunare potest, quin idem horas nocturnas pariter ac diurnas jejUNET necesse sit. Vero autem dissimillimum est, ut Irenæus, qui contracte adeo strictinque loqui solet, verba ista hoc in loco incassum et superflue intersereret. Postremo, hæc expositio sensum verborum perturbat, imo nullum facit. Quis enim horum verborum sensus esse potest? *Nonnulli etiam quadraginta horis diurnis et nocturnis commetiuntur diem suum?* Ullusne unquam dies quadraginta horis constitit, vel commensuratus fuit? Dies quadraginta horarum? Quis credat Irenæum, vel quempiam mentis compotem, inepte adeo et ridicule unquam locutum esse? Quis credat ullos unquam exstitisse homines, qui contra unanimem omnium gentium consensum quadraginta horarum spatium diem vocarent? Hanc egregiam istius expositionis absurditatem clarissimus vir H. Valesius, ejusdem nihilominus propugnator, vidit, ac proinde, ut eam defenderet, vocem *ἡμέραν* delere, ejusque loco *νηστείαν* substituere coactus est. Ut scilicet non dies, sed jejunium quadraginta horis commensuratum dicatur. Verum ex hac violenta verborum commutatione, contra constantem omnium codicum, ipso etiam Valesio iudice, consensum, eo tantum nomine, ut hæc eorum expositio absurda non videretur, excogitata, nihil aliud sequitur, quam eandem adeo absurdam esse expositionem, ut nulla legitima ratione defendi possit, nec ullo propterea modo ferenda sit.

III. Quæ cum ita sint, miror equidem tot eruditos viros alienam illam et detortam Irenæi interpretationem sua unquam assensione comprobasse. Præsertim cum eadem illa verba, ut in aliis codicibus lecta ac interpuncta, planissima sint, sibi que pariter atque ecclesiasticæ antiquitati optime cohæreant. Doctissimi enim viri Joannes Christophorus, et Henricus Savilius hæc Irenæi verba ex antiquis suis MSS. codicibus legunt distinguuntque hunc in modum,

[Vales. in Euseb. Hist. Eccles. lib. v. cap. 24, p. 247.]

[Vide Vales. Annot. in loc. Euseb. ut supra, p. 246.]

Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν· οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα· ὥρας τε ἡμερινὰς καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Sic etiam legit codex ille om-

nibus, qui hisce diebus exstant, longe vetustior, quo scilicet ipse Ruffinus in transferenda Eusebii Historia usus est. Ejus enim Latina horum verborum versio, ex isto codice elaborata, sic habet, *Quidam enim putant uno tantum die observari debere jejunium, alii duobus; alii vero pluribus; nonnulli etiam quadraginta; ita ut horas diurnas nocturnasque computantes diem statuunt.* Verbis hoc modo intellectis, quid clarius, quid verius, quid certius esse potest? Nihil hic inauditum, nihil coactum, nihil superfluum, nihil a notis Ecclesiæ primitivæ moribus, nihil a communibus loquendi formulis alienum. Dicit enim nonnullos existimasse jejunium ante Pascha uno die observandum esse, alios duobus, alios pluribus. Quod Dionysius Alexandrinus, Epiphanius, alii-que pariter tradiderunt. Dicit etiam alios non modo pluribus quam uno aut duobus jejunasse diebus, sed quadraginta solidos in jejuniis istis celebrandis dies transegisse, et transigendos existimasse. Quod cum publica Ecclesiæ disciplina proximis post Irenæum seculis ubique recepta ac usitata convenire extra dubium est. Dicit denique, quotquot ab ullis Christianis ante Pascha dies jejuniis deputati sunt, eos omnes horis diurnis nocturnisque commensuratos esse, hoc est, dies eos non artificiales fuisse, sed naturales, ut vocant, sive civiles, *νυχθήμερα* nimirum sive *ἡμερονύκτια*, quibus scilicet noctes æque ac dies continentur. Quod quidem necessario adjiciendum erat: ne quis eos die quidem jejunia, noctu autem, Judæorum ad instar, convivia celebrasse existimaret. Hoc, inquit Irenæus, nemo facit, sed quotcunque dies quispiam jejuniis dicat, per nocturnas æque ac diurnas horas jejunandi leges observat, *ξηροφαγῶν* scilicet, sive aridis vescens, hoc est, pane duntaxat, cum sale et nonnunquam oleribus, et aquæ potu utens. Hunc enim antiquum fuisse jejunandi ritum ex Epiphanio, de Exposit. Fid. [num. 22,] ex Constitutionibus Apostolicis, lib. v. cap. 18, ex Eusebio, Hist. Eccl. lib. ii. cap. 17, ex Tertulliano, [de Jejun.] adv. Psych. cap. xiii., necnon ex Canone constat Laodicensi quinquagesimo, dicente, *Δεῖ πᾶσαν τὴν Τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας*, *Oportet totam Quadragesimam* (adeoque nocturnas æque ac diurnas horas) *jejunare aridis vescentes.* Hoc itaque modo interpuncta, et cum Ruffino exposita, Irenæi verba nihil difficultatis obscuritatis nihil habent. Ac prop-

[Op. tom. 1.
p. 1105, B. C.]

[Cot. Pat.

Ap. tom. i. p.

322.]

[P. 70.]

[P. 147, C.]

[Pan. Can.
tom. 1. p. 476,
D.]

terea nihil est, quod ad alteram illam perabsurdam expositionem confugiamus, ut Patris mentem assequamur. Ex hac enim antiquissima veraque verborum interpretatione, primo cuius intuitu clarissima patet.

IV. Ex his igitur Irenæi verbis sic intellectis constat omnes ejus ætate Christianos existimasse, quod ante Pascha *δεῖ αὐτοὺς νηστεύειν, jejunare eos oporteret.* Et licet nonnulli pauciores hisce jejuniis consecrandos esse censerent, non deerant tamen, qui quadraginta solidos dies sibi jejunandos esse crederent, quem quidem non modo maximum, sed et accuratissimum fuisse dierum jejuniis ante Pascha dicendorum numerum, Irenæus hoc in loco innuit, eo quod, cum dixisset, nonnullos quidem uno, alios duobus, alios autem pluribus jejunasse diebus, addat postea, alios etiam quadraginta dies jejuniis istis consecrandos esse existimasse, *οἱ δὲ τεσσαράκοντα.* Ac si dixisset, Alii non tantum plures quam unam duosve, sed usque ad quadraginta dies jejunia sua protrahenda esse affirmant. Quare autem hunc solum dierum numerum duobus majorem particulariter memoraret, non video, nisi quod ille eos omnium accuratissime fecisse judicaret, qui quadraginta solidos dies jejuniis transigebant. Quod ut manifestius evadat, tenendum est insuper, Irenæum post verba illa, de varia jejunii antepaschalis observatione, supra allata, antiquitatem pariter, atque causam istius varietatis his protinus verbis explicare. *Καὶ τοιαύτη μὲν, inquit, ποικιλία τῶν ἐπιτηρούμενων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγонуῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν, τῶν παρὰ τὸ ἀκριβές, ὡς εἰκός, κρατούντων, τὴν καθ' ἀπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν, εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων.* Hæc etiam verba intricata sunt, fateor, et a doctis varie exposita. Nos genuinum eorum sensum hoc modo Latine reddimus, *Et hæc quidem (in observando jejunio isto) varietas non nostra primum ætate nata est, sed multo prius apud majores nostros cæpit, qui non accurate, ut verisimile est, retinentes (jejunii formam) eam quæ ex simplicitate et imperitia ortum habuit, consuetudinem in posterum fecerunt.* Qui Græca Irenæi verba paulo attentius inspicit, sensum eorum hac nostra, ut ab aliis diversa, versione fideliter expressum videbit. Innuit enim his verbis doctissimus Pater, fuisse quidem accuratam jejunandi formam in Ecclesia primo institutam: nonnullos

[Apud Euseb.
Hist. Eccl.
lib. v. cap.
24, pp. 247,
248.]

autem eam non accurate observasse. Hoc enim clarissime exprimit, dicendo τῶν παρὰ τὸ ἀκριβῆς κρατούντων. Ut enim παρ' ἀξίαν, est *indigne*, παρὰ νόμον, *præter legem*, sive *illegitime*, παρὰ φύσιν, *contra naturam*, sive *contra quam natura comparatum est*, sic hoc in loco παρὰ τὸ ἀκριβῆς est *non accurate, contra quam accurata jejunandi forma requirit*. Vocem κρατούντων H. Valesius hoc loco reddit per *Præsidentes*, ut ante eum Musculus, per *rerum habentis potitos*: pessime. [P. 83.] Præterquam enim quod verbum κρατέω nunquam præsidere significet, nec dominari, nisi in rebus civilibus, et in iis duntaxat cum res ista adjicitur, cui quis dominatur, ut κρατεῖν τῆς θαλάσσης, κρατεῖν τῶν θηρίων. Apud Homerum πάντων μὲν κρατεῖν, παντίσσι δ' ἀνάσσειν. Irenæus hoc in loco non de Præsidentibus, vel præsulibus Ecclesiæ (qui nunquam κρατοῦντες vocantur) sed περὶ τοῦ εἶδους τῆς νηστείας, *de forma jejunii loquitur*: quam dicit nonnullos παρὰ τὸ ἀκριβῆς κρατῆσαι, *accurate non observasse, vel retinuisse*. Eodem nempe sensu, quo vox ista in ipso Evangelio usitatur, ut ubi dicitur, Κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων. Qui porro primo traditam jejunii formam non accurate observarunt, hi, inquit Irenæus, τὴν καθ' ἀπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιήκασιν, hoc est, *Eam, quæ secundum simplicitatem et imperitiam erat*, (sive, ut vertit H. Valesius, *quæ ex simplicitate et imperitia orta est*), *consuetudinem in posterum fecerunt*. Hic enim ἡ καθ' ἀπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθεια opponitur accuratæ illi jejunandi formæ, cujus antea meminit. Ἀπλότης enim et ἀκριβεία sibi invicem hic opponuntur, non secus ac ἀπλῶς et ἀκριβῶς apud Isocratem dicentem, εἰ διεξέλθοιμεν μήτε παντάπασιν ἀπλῶς, μήτε λίαν ἀκριβῶς, ἀλλὰ τὰ μέγιστα τῶν παρόντων αὐταῖς, *Si neque simpliciter prorsus, neque accurate admodum, sed maxima quæque de hoc earum statu percensuerimus*. Quod autem hæc consuetudo non modo καθ' ἀπλότητα sed et κατ' ἰδιωτισμὸν esse dicatur, eo quidem ostenditur, illam non ἀπὸ τῶν ἀρχόντων, quibus οἱ ἰδιῶται opponuntur, sed ab indocto vulgo, et a privatis hominibus, ἰδιώταις passim et proprie dictis, ortum habuisse. Quibus sic expositis, genuinus horum verborum, quæ alias obscura sunt et intricata, sensus clarissime eliciatur. Vult enim Irenæus miram illam, quam ante memoravit, in jejunio paschali celebrando varietatem ex eo ortam esse, quod

Marc. vii. 3,
et passim
alibi.

Isocrat. ad
Phillip. [p. 43,
B. Coray.]

nonnulli e majoribus ipsius accuratam jejunandi formam primitus traditam non accurate observantes, sed hi unum, illi duos, alii plures quidem quam duos, sed pauciores quam par erat, dies quotannis jejunantes, simplicem illam rudemque induxerunt consuetudinem, quæ postea apud alios eorum exemplo ductos obtinuit. Hunc sane sensum optime ferent Irenæi verba, et præterea nullum. Nec nova quidem est hæc eorum expositio, sed antiquissimus doctissimusque eorum interpret Ruffinus eundem fere expressit, ultima illa τῶν παρὰ τὸ ἀκριβῆς, κ. τ. λ., verba, hoc modo Latine vertens, *Qui non simpliciter quod ab initio traditum est tenentes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam postmodum decidere.*

[P 124.]

V. Hæc antiquissimi Patris verba nos fusius explicare, et ipsissimum eorum sensum indagare, operæ pretium duximus, quoniam luculentissimum jejunii quadragesimalis antiquitati testimonium perhibent. Enimvero ex iis constat, aliquam ipsius etiam Irenæi diebus accuratam fuisse jejunii ante Pascha celebrandi formam. Hoc enim verba illa παρὰ τὸ ἀκριβῆς clare satis indicant. Verum nemini dubium esse potest, quin Irenæus in variis recensendis jejunandi formis ipsam etiam suo iudicio accuratam non præteriret. Eum enim, prætermissa recta, obliquas solas enumerasse incredibile est. Tres porro formulas nominatim memorat, quæ in hanc controversiam veniant, primam eorum, qui unum, alteram eorum, qui duos, et ultimam eorum, qui quadraginta ante Pascha dies jejunio peragendos esse existimabant. Quod enim nonnullos dicit credidisse pluribus quam duobus diebus sibi jejunandum esse, cum nullum singularem dierum numerum ab iis observatum nominet, quæcunque demum fuerit eorum forma, accurata haberi nequit, utpote quam Irenæus recensione indignam judicaverit. De tribus autem reliquis insignite ab eo memoratis quæstio moveatur, quamnam earum ille accuratam fuisse crederet? Hoc autem nobis nullo præiudicio, nullo partium studio occæcatis, adeo extra controversiam videtur, ut indignum plane sit quod in contentionem vocetur. Nullus enim dubito, quin, et B. Irenæi et totius Ecclesiæ primitivæ iudicio, ea accuratissima omnium habita fuerit jejunandi forma, qua Christiani summa præ aliis religione Christum colerent, ac pœnitentiæ, præ-

cibus, eleemosynæ, et sacris bonisque omnium generum operibus agendis diutius fortiusque toti vacarent. Quapropter qui duobus jejunabant diebus, Parasceve scilicet et Sabbato Magno, accuratiores procul omni dubio judicati erant, quam illi qui uno duntaxat, Parasceve scilicet sola, vel solo Sabbato Magno jejunare solebant. Et ob eandem etiam rationem, qui plures jejunabant dies, puta quatuor, vel sex, hi religiosiores et accuratiores merito habiti fuerunt, quam illi, qui duos. Qui autem eundem dierum numerum, quem Servator Dominusque noster jejunus transegit, pro virili observabant, quadraginta scilicet, horum forma omnium accuratissima erat, quippe quæ alias omnes sub se comprehendit, et aliquid præterea amplius. Et hi enim Parasceven et Sabbatum Magnum æque strictis consecrabant jejuniiis, ac illi, qui unum tantum eorum, vel qui ambos, sed solos illos dies jejunabant. Ac proinde si unum jejunasse diem, Parasceven puta, accurata dicatur forma, illi etiam qui quadraginta dies jejuniiis peragebant, accuratam observabant formam, utpote qui inter alios illum etiam diem jejunabant. Imo quidem si ista accurata fuisset jejunandi forma, nemo erat qui *παρὰ τὸ ἀκριβῆς* agebat, nemo enim istum saltem unum diem non observabat. At Irenæus diserte affirmat nonnullos *παρὰ τὸ ἀκριβῆς* egisse: ac propterea ejus judicio, unum istum jejunare diem *τὸ ἀκριβῆς* esse non potuit. Idem fere dicatur et de illis, qui duos jejunabant dies. Si ista enim accurata esset jejunii forma, ab Irenæo commemorata, nemo *παρὰ τὸ ἀκριβῆς* agebat, nisi qui unicum diem jejuniiis consecrabat. Qui enim plures celebrabant dies, istos imprimis duos religiosissime observabant. Ac propterea, si, judice Irenæo, duos ante Pascha dies jejunare esset *κατὰ τὸ ἀκριβῆς* jejunare, nihil opus erat quod adderet, nonnullos plures quam duos jejunasse, nisi forsitan in animo habuerit Victorem certiore facere, nonnullos plus satis jejunasse, accuratam jejunii formam supergredientes. Atqui nihil fidei magis absonum videtur, quam Irenæum in ea fuisse opinione, quod ulli religiosiores essent quam par erat, aut jejunia sua longius protraherent, quam oportuit. Si in hac enim fuisset sententia, eam aliquo saltem modo subindicasset. Quod tamen nullus fecit: sed contrarium potius, eo quod asserat nonnullos *παρὰ τὸ ἀκριβῆς*, contra, non

supra quam, accurata jejunandi forma postulabat, jejunasse. Quod quidem de iis dici non potuit, qui quatuor vel sex jejunabant dies, etiamsi accurata forma plures quam duos non exegisset, siquidem duos illos ab ista forma postulatos jejunare satagerent, non minus quam si alios non adjecissent. Sed quid verbis opus est cum res ipsa loquatur? Quamobrem enim Irenæus hoc in loco, unum quidem duosque definite, et postea indefinite plures, atque ultimo definite iterum quadraginta dies jejuniis dicatos commemorarit? Annon ut omnibus significaret, hunc maximum, ultimoque definite nominatum, ipsissimum esse dierum numerum, quem accurata jejunii antepaschalis celebrandi forma flagitabat? Sane qui hæc verba mature et deliberate expendit, hanc ex iis conclusionem inferat necesse habet. Varias enim ac diversas jejunandi formas recensens Irenæus, a minima quidem incipit, eorum scilicet, qui unicum ante Pascha diem sibi jejunandum esse existimabant. Deinde gradatim ascendens, alios dicit esse, qui duos jejunarent dies, Parasceven puta ac Sabbatum Magnum. *Οἱ δὲ, inquit, καὶ πλείονας, alii autem et plures*, et istos scilicet duos et iis plures, quatuor fortasse, vel sex, vel quindecim, vel alius cujusvis numeri citra quadraginta. Inter eos enim, ut videtur, qui ultra duos, citraque quadraginta jejunabant dies, minime conveniebat, his plures, illis pauciores ultra duos jejunandos esse dies contendentibus. Et hinc fuit, quod Irenæus ambiguas eorum formas indefinite proposuerit: nihil aliud de iis dicens, quam in genere, *οἱ δὲ καὶ πλείονας*. Postremo autem alium definitum dierum numerum ab aliis jejunatum addit, dicens, *οἱ δὲ τεσσαράκοντα*. Quid autem causæ fuit, vel esse potuit, cur, cum plures dixisset, sub quibus quadraginta etiam comprehenduntur, seorsim postea et singulariter quadraginta memoraret? Hujus quidem rei causa alia non fuit, quam quod is maximus esset et accuratissimus dierum jejuniis ante Pascha consecratorum numerus, qui propterea necessario præcise ac definite nominandus erat, æque ac minimus. Cum enim in variis percensendis formis, a minimo, sive unius diei jejunio, inceperit, ratio postulabat ut in maximo, sive quadraginta dierum jejunio, desineret: quod ii etiam, qui plures quam duos jejunabant dies, nunquam excedebant, quodque omnes

observare debent, si accuratam jejunii hujus formam tenere velint. Cum inter omnes enim in confesso esset, aliquam ab Apostolis jejunandi formam traditam fuisse, controversum autem esset, quot dies jejunandi sint, cum hi unicum, illi duos, nonnulli plures, alii quadraginta jejunarent, nulli autem ulterius progredierentur, ille, qui accurate jejunandi certus esse voluit, quadraginta dies jejunare necesse habuit: quandoquidem hæc forma reliquas omnes sub se complectatur, at non e contra. Qui enim unum, vel duos, vel quatuor, vel quindecim dies jejuniis deputabat, certus esse non potuit se accurate jejunare, siquidem alii affirmabant se ab Apostolica traditione accepisse, quadraginta dies jejunio ante Pascha transigendos esse. At qui omnes quadraginta dies celebrabat, ille primo traditam jejunii istius formam accurate observandi certissimus fuit, quoniam omnes ille observabat formas, quas quispiam vel primo traditas vel observandas esse existimavit.

VI. Quadraginta igitur dies ante Pascha quotannis jejunio consecratos, hancque accuratam fuisse jejunii istius formam Irenæi ætate, ex ipsius verbis satis aperte constat. Sed observandum præterea est, quod, quicquid ille de jejunio antepaschali et variis ejusdem celebrandi formis scripsit, multis ante annis in Ecclesia obtinuerat. Istam enim a se memoratam in jejunio observando varietatem, non sua demum ætate, sed *πολὺ πρότερον* apud majores suos cœpisse affirmat.

Καὶ τοιαύτη μὲν, inquit, ποικιλία τῶν ἐπιτηρούντων, οὐ νῦν ἐφ' ἡμῶν γεγонуῖα, ἀλλὰ καὶ πολὺ πρότερον ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν. Irenæus autem hæc ante secundum a nativitate Christi elapsam seculum scripsit, ac proinde proximo post ipsos Domini Apostolos seculo, centum a S. Joanne, ultimo Apostolorum, annis nondum completis. Quocirca istud, quod ille *πολὺ πρότερον* appellat, tempus, cum ipso Apostolico coincidat, vel ei saltem propinquissimum sit necesse est. Et quidem cum Polycarpus, qui cum S. Joanne aliisque Apostolis conversatus est aliter atque Anicetus Romæ Episcopus Pascha celebraverit, ut ex eadem Irenæi ad Victorem

[Apud
Euseb. Hist.
Eccl. lib. v,
cap. 24, pp.
247, 248.]

[Ibid. p. 249.]

Epistola constat, haud dubitare licet, quin aliqua in antepaschali etiam jejunio observando varietas istis etiam diebus exstiterit. Quæcunque autem varietas in forma saltem jejunii, de qua loquitur Irenæus, deprehensa est, ista ex eo

ortum habuit, quod nonnulli *παρὰ τὸ ἀκριβές*, minus accurate, jejunium illud peregissent, ut idem antiquissimus Pater diserte affirmat. Qui propterea pro concessio sumit, accuratam jejunii istius formam prius constitutam fuisse, quam ista varietas exorta esset. Cum ipsa itaque varietas paucis saltem post Apostolos annis exorta fuerit, nihil dubii superest, quin accurata illa, de qua loquitur, jejunandi forma nonnullis S. Apostolorum adhuc superstitibus, et Ecclesiam summa, quam ab Ipso Christo acceperant, auctoritate administrantibus, instituta fuerit. Cumque accurata ista forma quadraginta, ut ostendimus, dierum esset, e præmissis legitime concludamus, non modo antepaschale generatim, verum et quadragesimale, sive quadraginta dierum ante Pascha, jejunium ab ipsis Apostolorum diebus in Ecclesia observatum fuisse, tanquam Apostolica auctoritate traditum, atque aliquo saltem modo institutum.

CAPUT VIII.

Synopsis.

- I. D. Hieronymi, *jejunium quadragesimale ad Apostolicam traditionem referentis, verba ab exceptionibus defenduntur.*
- II. *Illum Quadragesimam credidisse æque antiquam fuisse et ab Apostolis institutam atque ipsam diem Dominicam, ex ejus verbis demonstratur.*
- III. *Idem aliique jejunium quadragesimale necessario observandum esse statuerunt. Unde Apostolica ejusdem institutio evincitur.*
- IV. *Argumento e S. Augustino contra Apostolicam hujus jejunii institutionem petito respondetur, eumque nobis consensisse ostenditur.*
- V. *Ea sententia, quæ hoc jejunium ab Apostolis traditum statuit, aliis veterum, tam Latinorum, quam Græcorum, Patrum testimoniis confirmatur.*

I. ET quidem si veteres Ecclesiæ Patres hac in re consulamus, eos etiam, qui labente quarto, quintoque currente seculo claruerunt, quadragesimale ante Pascha jejunium non synodicis, non ecclesiasticis quibuscunque constitutionibus, sed evangelicis ac Apostolicis traditionibus acceptum referentes inveniemus. In percensendis vero Patrum de hac causa testimoniis, ab istis ordiemur, quæ Dallæus [De Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 2.] evertere, vel elevare conatus est. Primo itaque D. Hieronymus in Epistola ad Marcellam adversus Montanum, hæc habet, *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis [toto orbe nobis, Vall.] congruo jejunamus. Illi, Montanistæ, tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores. Non quo et per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.*

Mirum est, ut quispiam hæc sanctissimi Patris verba legens, affirmet nihilominus D. Hieronymum nec dixisse nec credidisse, Quadragesimam necessario quotannis jejunandam esse secundum traditionem Apostolorum. Quid enim hisce verbis disertius esse potest? At *Hieronymus*, inquit *Dallæus*, *hic loquitur de Quadragesimæ, non jejuniō, sed unitate.*¹ Itane vero? Annon conceptis verbis dicit, *Nos unam Quadragesimam jejunamus?* Annon itaque de utroque, de jejuniō scilicet æque ac de unitate Quadragesimæ apertissime loquitur? Quin etiam cum dicit unam Quadragesimam jejunatam esse secundum traditionem Apostolorum, annon eodem affirmat halitu Quadragesimam jejunatam esse secundum traditionem Apostolorum? Qui hoc sane negat, is 'unam' idem atque 'nullam' significare affirmet necesse est. At cum ait D. Hieronymus Catholicos unam Quadragesimam jejunare secundum traditionem Apostolorum, *Hoc vult*, inquit *Dallæus*, *quod unam in anno Quadragesimam, non autem plures, ut Montanistæ, observant, id Apostolorum traditioni esse consentaneum, qui scilicet et scripto et viva voce constanter docuerunt, Unum esse Salvatorem, non plures, Eumque semel, non sæpius, passum.*² Hoc est, etiamsi dicat Hieronymus unam Quadragesimam jejunatam esse secundum traditionem Apostolorum, non tamen id voluit, sed voluit tantummodo doctrinam illam, quæ Unum Salvatorem, Eumque semel passum prædicat, secundum Apostolorum esse traditionem, vel, ut ipse Patris verba pro libitu suo mutat, Apostolorum traditioni consentaneam esse. Verum-

Dall. de
Jejun. et
Quadr. lib.
iii. cap. 2, [p.
392.]

[Ibid.]

¹ ["Ego vero respondeo Hieronymum hic loqui de Quadragesimæ, non jejuniō, sed unitate, ut constat ex verbis sequentibus, quibus altera pars antitheseos continetur."—Dall. de Jej. et Quadr. lib. iii. cap. 2, p. 392.]

² ["Cum enim quadragesimale jejuniū in memoriam passionis Domini observaretur, eoque tempore, quo Christus passus est; si supponamus (quod eo loco ponit Hieronymus) celebrandum esse illud jejuniū, apparet Apostolicæ traditioni (quæ Unum docet esse Dominum, Eumque semel passum) consentaneum esse, ut illa

Quadragesima semel tantum celebretur, *tempore congruo*, id est illa anni tempestate, qua Christus passus est. Itaque docet quidem locus Apostolos tradidisse, Unum esse Salvatorem, Eumque semel passum, idque dogma traditionem esse Apostolicam; tradidisse vero Apostolos ipsum Quadragesimæ jejuniū, vel id traditionem esse Apostolicam nequaquam docet."—Dall. de Jej. et Quadr. lib. iii. cap. 2, pp. 392, 393.

"Sed et si donaremus, quod nulla hic ratione confici potest, Hieronymum ipsum Quadragesimæ jejuniū Aposto-

enimvero præterquam quod hoc, unum esse Salvatorem, aliaque istiusmodi, quæ totidem fere verbis in Sacrosanctis Scripturis continentur, religionis Christianæ dogmata traditiones Apostolorum vix unquam dicantur, nemini unquam persuadebit Dallæus D. Hieronymum aliud dixisse, et aliud in animo habuisse. Dicit enim, et, quantum fieri potest, disertissime dicit, *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum jejunamus.* Non dicit, *Nos unam Quadragesimam* quæ doctrinæ Apostolorum unum Salvatorem prædicanti consentanea est, sed absolute ac simpliciter, *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum jejunamus.* Quod si una Quadragesima, ea sane, de qua Pater ibi loquitur, et nos hic contendimus, secundum traditionem Apostolorum jejunata est. Nec ipse quidem video quibus verbis illud a doctissimo Patre disertius affirmari potuit. Sed dato ipsum Quadragesimæ jejunium Apostolicam traditionem ab Hieronymo vocatum esse, ast idem alibi, in Epistola scilicet ad Lucinium, dicit, *Unaquæque provincia abundet in suo sensu, et præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Decernit itaque et unicuique concedit, inquit Dallæus, *ut provinciæ suæ instituta, tametsi localia, et ab aliis quam ab Apostolis tradita, pro legibus sive traditionibus Apostolicis habeat.* Primo autem non decernit, nec concedit B. Hieronymus, ut unusquisque provinciæ suæ instituta, sed ut unaquæque provincia præcepta majorum leges (non traditiones) Apostolicas arbitretur. Ubi per præcepta majorum, ea vult, non quæ in unaquaque provincia instituta, sed quæ a majoribus suis ante hominum memoriam tradita fuerunt, adeo ut non constet annon ab ipsis Apostolis præcepta fuerint. Qualia fuerunt ea, de quibus ibi agit B.

[Hier. Ep. xli. (al. liv.) sect. 3. Op. tom. i. col. 187, A.]

[Ep. lxxi. (al. xxviii.) sect. 6. Op. tom. i. col. 433, A.]
[Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 2, p. 393.]

licam traditionem hic vocasse, non ideo tamen quicquam promoverit adversarius. Nam ipse Hieronymus ad Lucinium scribens alibi de Sabbati jejunio, quotidianaque Eucharistiæ sumptione, quæ alii usurpabant, alii non usurpabant; postquam eum in primis admonuit *traditiones ecclesiasticas (præsertim quæ fidei non officiant) ita observandas, ut a majoribus traditæ sunt, nec aliorum consuetu-*

dinem aliorum contrario more subverti; [Ep. lxxi. ad Luc. sect. 6. Op. tom. i. col. 432, D.] tandem totum hunc locum sic concludit; *Unaquæque provincia abundet in suo sensu, et præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Non jam excutio recte-ne an secus hæc ille ita decernat. Certe decernit," etc.—Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 2, p. 393.]

Hieronymus, Sabbati scilicet jejunium, et quotidiana Eucharistiæ participatio: quæ in nonnullis provinciis a priscis temporibus et ab ipsis Ecclesiæ primordiis obtinuerant, non item in aliis. Vult itaque B. Hieronymus, ut unaquæque provincia antiqua hujusmodi præcepta a majoribus suis tradita leges Apostolicas arbitretur, hoc est, eodem numero habeat ac observet, ac si ab ipsis Apostolis instituta fuissent. Ea vero ipsorum Apostolorum traditiones non vocat, neque secundum traditionem Apostolorum observanda dicit. Quod tamen de jejunio Quadragesimæ, non in una aliqua sed in omnibus provinciis istis diebus obtinente, affirmat. Ac propterea hæc verba, *nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum jejunamus*, isto sensu, quo præcepta majorum leges Apostolicas arbitrari concedit, accipi non possunt. Quin et si ita accipiantur, Dallæanam de jejunio isto sententiam evertent. Si enim jejunium quadragesimale D. Hieronymi ætate, hoc est, quarto labente seculo, majorum præceptum fuisset, atque adeo juxta D. Hieronymi sententiam, pro lege Apostolica haberetur, concidet simul ista Dallæi opinio, quæ jejunium istud non ante quartum, illudque adultum, seculum in usu fuisse statuit.

[Hier. Ep. xli. (al. liv.) sect. 3. Op. tom. i. col. 187, A.]

[Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 2, p. 391.]

II. At D. Hieronymus, inquit clarissimus Dallæus, *diserte professus est, jejunia non ab Apostolis, sed a viris prudentibus propter eos constituta fuisse, qui magis seculo vacant quam Deo*. Quod quidem apertissime falsum est. Nunquam enim professus est, nedum diserte professus est D. Hieronymus, jejunia ab Apostolis non constituta fuisse. Dicit, fateor, ea inter dies esse a viris prudentibus constitutos. Hoccine vero idem est atque ab Apostolis ea non constituta fuisse? Sed audiamus ipsa Patris verba, quæ in secundo libro commentariorum ejus in Epistolam ad Galatas, sive in quartum caput ejusdem Epistolæ, sic habent, *Jejunia autem et congregationes inter dies propter eos a viris prudentibus constitutos, qui magis seculo vacant quam Deo*. E quibus sane verbis nemo jejunia ab Apostolis non constituta fuisse probare potest, nisi qui Apostolos viros prudentes fuisse negat. Adhæc, hic ipse D. Hieronymi locus si paulo penitius inspiciatur, sanctissimum illum Patrem jejunium quadragesimale, non modo antiquum admodum, sed et ab ipsis Apostolis traditum credidisse evincet. Verba nimirum Apo-

[Hier. Com. in Ep. ad Gal. lib. ii. cap. 4. Op. tom. vii. col. 457, A.]

stoli, quæ hoc in loco explicat, hæc sunt, *Dies observatis, et menses, et tempora, et annos, etc.* In quæ verba inter alia hæc habet D. Hieronymus, *Dicat aliquis, si dies observare non licet, et menses, et tempora, et annos, nos quoque simile crimen incurrimus, Quartam Sabbati observantes, et Parasceven, et diem Dominicam, et jejunium Quadragesimæ, et Paschæ festivitatem, et Pentecostes lætitiã, et pro varietate regionum diversa in honore martyrum tempora constituta.* Quibus ultimis verbis, tempora quidem in honore martyrum pro varietate regionum constituta, reliqua autem prius memorata ubique locorum similiter observata indicat, videlicet, Quartam Sabbati, Parasceven, diem Dominicam, Quadragesimam, Pascha, et Pentecosten. Quæ omnia, ut videre licet, una recenset, et in eodem numero habet: nihil inter ea discriminis, quantum ad antiquitatem, institutionem, vel generalem observationem, admittens. Sed observat tantummodo quid existis D. Pauli verbis dicat aliquis, quod Ecclesia nempe Catholica simile crimen ab Apostolo notatum incurrat, eo quod hæc tempora observat. Hunc scrupulum a se objectum duplici modo amoveri posse affirmat doctissimus Pater, simpliciter et acutius. *Qui simpliciter, inquit, huic objectioni respondet, dicet, non eosdem Judaicæ observationis dies esse quos nostros. Qui acutius autem respondet, illud, inquit, affirmat, omnes dies æquales esse, nec per Parasceven tantum Christum crucifigi, et die Dominica resurgere, sed semper sanctum resurrectionis esse diem, et semper eum carne vesci Dominica. Jejunia autem et congregationes inter dies propter eos a viris prudentibus constitutos, qui magis seculo vacant quam Deo. Ubi per jejunia aliud intelligere non potest, quam dies jejunio consecratos, nimirum Quartam Sabbati, Parasceven et Quadragesimam; per congregationes autem dies quibus fideles una congregari et Dominica carne vesci solebant, Dominicam putat, Pascha, et Pentecosten. Ista itaque jejunia, hasque congregationes inter dies esse dicit, propter eos a viris prudentibus constitutos, qui seculo magis quam Deo vacant. Quicquid igitur hic asseritur, vel de Quarta Sabbati, vel de Parasceve, vel de Pascha, vel de Pentecoste, vel, denique de Quadragesima, sive, ut ipse vocat, de jejunio Quadragesimæ, idem et de die Dominica asseritur: quippe quæ una cum iis in objectione recensetur.*

[Gal. iv. 10.]

[Hier. Com. in Ep. ad Gal. lib. ii. cap. 4. Op. tom. vii. col. 456, C, D.]

[Ibid. col. 456, D, E.]

[Ibid. col. 457, A.]

Diem autem Dominicam ab aliis viris prudentibus quam ab ipsis Domini Apostolis constitutam fuisse, ipse, ut opinor, Dallæus nunquam affirmavit, nec cum ratione affirmare potuit. Nec dubium esse potest, quin D. Hieronymus istam diem ab ipsis Apostolis constitutam fuisse crediderit. Quam nihilo minus ipse hoc in loco inter dies a viris prudentibus constitutos numerat. Viri itaque prudentes hic memorati vel Apostoli erant, vel non erant. Si prius, habemus quod volumus. Quadragesima enim, D. Hieronymo iudice, ab ipsis Apostolis constituta est: sin postea dicatur, ipsa etiam dies Dominica ab Apostolis non est constituta: quod communi omnium Christianorum sententiæ repugnat. Idem etiam dicendum est de jejuniis Quartæ et Parasceves, necnon de festis Paschæ et Pentecostes: utpote quæ omnia, pariter atque Quadragesima, eodem, quo dies Dominica, ordine hic collocantur. Adeo ut nemo contra antiquitatem aut Apostolicam eorum institutionem ex Hieronymo disputare possit, quin idem, quod absit, contra Apostolicam diei Dominicæ institutionem ex eodem simul disputet necesse habeat. Quod quidem nobilissimum est statorum horum Ecclesiæ jejuniorum simul ac festorum antiquitati adstruendæ argumentum. Siquidem ea omnia ante quartum elapsam seculum ab ipso D. Hieronymo antiqua adeo habita fuerunt, ut, hoc saltem respectu, una cum die Dominica, semper et ubique a Christianis celebrata, recenseri mererentur. Quæ cum ita sint, nemini mirum videatur, quod D. Hieronymus Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum jejunitam esse asseruerit, quandoquidem eam cum ipsa die Dominica conjungit, quam ab ipsis Domini Apostolis traditam ac institutam fuisse inter omnes constat.

III. Aliud adhuc restat, in D. Hieronymi verbis primo laudatis, dignissimum quod in hac causa observetur. Postquam enim dixisset Ecclesiam Catholicam unam Quadragesimam secundum Apostolorum traditionem in toto anno jejunare, Montanistas autem hæreticos tres in anno habere Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores, protinus hæc subjungit, *Non quo et per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.* Ex his enim verbis luculente patet, D. Hieronymum ea ductum fuisse sententia, quæ je-

[Ep. ad
Marcell. xli.
(al. liv.) sect.
3. Op. tom.
i. col. 187, B.]

junium quadragesimale non pro suo cujusque arbitrio, sed necessario ab omnibus quotannis observandum esse pronunciat. Quæ quidem opinio etiam a Cæsario Arelatensi his verbis aperte concipitur. *Aliis diebus jejunare, aut remedium, aut præmium est, in Quadragesima non jejunare peccatum est. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam, in his diebus qui potest, et non jejunat, sentiet pœnam.* Imo quidem quadragesimale hoc jejunium *in totum non observare Sacrilegum est, ex parte violare peccatum est.*³ Hæc autem Quadragesimam jejunandi necessitas, qua D. Hieronymus cum aliis omnes constrictos esse Christianos arbitratus est, aliunde quam a traditione Apostolica ortum habere non potuit. Istud enim ab universali aliquo Concilio, cujus solius decretis omnes tenentur, constitutum fuisse, nec alius quilibet, nec ipse D. Hieronymus unquam affirmavit. At propterea eo tantum nomine illud ex necessitate observandum dicere potuit, quod ab ipsis Apostolis traditum existimaret.

IV. Sanctum Augustinum, Hieronymo æqualem, Quadragesimam Apostolicæ traditioni non attribuisse, ex eo probare nititur Dallæus, quod is in Epistola LXXXVI. [Ben. XXXVI.], quæ est ad Casulanum, hæc habeat, *Ego in Evangelicis et Apostolicis literis, totoque Instrumento quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare et quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Præterquam vero quod sanctissimus Pater hoc in loco non de Quadragesimæ sed Sabbati jejunio agat, nihil ex his verbis legitime concludi potest, nisi jejuniorum dies in Evangelicis aut Apostolicis scriptis non inveniri definitos. Quod etiam et nos profitemur. Cum vero D. Augustinus totum, ut ipse ait, Instrumentum Novum animo revolverit, ut, si fieri potuit, aliquid de hac re præceptum ibi inveniret, necessario quidem certe ex eo conficitur, illum stata Ecclesiæ jejunia sua ætate observata adeo antiqua habuisse, ut ille nesciret, vel dubius saltem aliquandiu hæsitaret, annon ab ipsis Apostolis tradita fuissent, et in eorum scriptis instituta. Et quidem etiamsi neget se aliquod de hac re præceptum in

Cæsar. Arel.
Hom. ii. [de
Paschate.
Bib. Max.
Pat. tom. viii.
p. 820, E.]

Ambros.
Serm. xxxvii.
[Op. tom. iv.
col. 828. Ed.
Paris. 1586.]

[Dall. de
Jejun. et
Quadr. lib.
ii. cap. 18, p.
358.]
[Cap. 11.
Op. tom. ii.
col. 116, A.]

³ [Hic sermo, ab editione Benedictina exclusus, apud Sermones suppositios in Appendice Serm. S. Augustini (num. cxlvii.) occurrit. S. Aug. Op. tom. v. col. 2729.]

Sacrosanctis Scripturis invenisse, jejuniorum tamen dies ab orali sive non scripta Apostolorum traditione determinatos fuisse non negat. Sed in eam potius, quæ illud affirmat, sententiam alibi inclinasse videtur. Ubi scilicet de ipso Quadragesimæ jejuniio hæc dicit, *Nam ut quadraginta illi dies ante Pascha observentur, Ecclesiæ consuetudo* (vel, ut alii codices legunt, *Consensio*), *roboravit*. Hic enim Quadragesimæ observationem Ecclesiæ consuetudine, sive consensione, roboratam quidem affirmat, sed non institutam. Si Ecclesia vero eam tantummodo roboravit, Unde, quæso, originem traxerit? Enimvero eam prius institutam fuisse, quam roboratam, nemo dubitare potest. Si Ecclesia itaque eam tantum roboravit, ab aliis quam Ecclesiæ fundatoribus institui non potuit: nec aliunde originem trahere, quam unde suam ipsa traxit Ecclesia.

V. Præter hos, D. Hieronymum scilicet et Augustinum, quos Dallæus vel invitos, ut ostendimus, suas ad partes trahere conatus est, alii complures e vetustis doctissimisque Ecclesiæ Patribus quadragesimale illud, de quo contendimus, jejuniium ab Apostolis traditum, et divinitus institutum prædicarunt. E multis, quæ produci possunt, nos pauca eorum testimonia seligemus. Leo M. Romæ Episcopus, *Magna*, inquit, *Divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas et pia opera redimerent, et jejunia casta decoquerent*. Et alibi, *Quod ergo, dilectissimi, in omni tempore unumquemque facere convenit Christianum, id nunc sollicitius et devotius est exequendum, ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur*. Alibi iterum, *In quibus* (Quadragesimæ diebus) *merito a sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus Sancti majora sunt ordinata jejunia, ut per commune consortium Crucis Christi etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus*. Petrus Chrysologus Leoni *σύγχρονος*, et anno circiter CCCCXXXIII. Episcopus Ravennæ factus, *Videtis*, inquit, *Fratres, quia quod Quadragesimam jejunamus, non est humana inventio, auctoritas est divina: et est mysticum, non præsumptum: nec est de terreno usu, sed de cælestibus est secretis*.—*Si ergo quadraginta dierum simplex, purum, æquale, tantis testimoniis sub tanti numero Sacramenti traditum nobis a Domino*

Aug. Epist. cxix. [Ben. lv.] ad Januar. cap. 17. [Op. tom. ii. col. 211, A.]

Leo, Serm. iv. de Quadr. [cap. i. Op. tom. i. p. 156.]

Id. Serm. vi. de Quadr. cap. ii. ad init. Ib. p. 168.]

Id. Serm. ix. de Quadr. [cap. i. Ib. p. 177.]

Chrysol. Serm. xi. [Bib. Max. Pat. tom. vii. p. 854, A.]

Id. Serm. clxvi. [ib. p. 971, E.]

jejunium perdocetur; unde novitas ista, unde hebdomadæ nunc resolutæ, nunc rigidæ, nunc indulgentes nimium, nunc severæ?

Isidorus Hispalensis, *Quadragesima in universo orbe institutione Apostolica observatur, circa confinium Dominicæ Passionis.*

Isid. Hispal.
[Etym.] lib.
vi. cap. 19.
[De Officiis,
sect. 69. Op.
tom. iii. p.
291.]

E Græcis porro Patribus, Eusebius Cæsariensis, Epiphanius, alique, quicquid de Therapeutis a Philone Judæo dicitur de primis Christianis intelligentes, eo se jejunium quadragesimale ab Apostolis traditam credidisse declararunt, ut ante ostendimus. Quibus adjungatur S. Basilius, qui sermonem de hoc ipso jejuniō habuit, in quo diserte ait, jejunii hujus præconium per universum terrarum orbem denunciatum esse, adeo ut nulla esset insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non auditum sit: ac propterea hortatus est, ne quis semet excludat e numero jejunantium, in quo omne genus hominum, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur: et divitem postea admonet jejunium hoc observare, ne forte reus peragatur *apud jejuniorum legislatorem, μή ποτέ*

Basil. Hom.
ii. de Jejun.

*σε, inquit, καταγγείλη ἐπὶ τοῦ νομοθέτου τῶν νηστειῶν.*⁴ Ubi ὁ νομοθέτης τῶν νηστειῶν alius esse non potest, quam Ipse Deus, Qui proinde istorum, de quibus hic agitur, jejuniorum legem tulisse a S. Basilio perhibetur. Iisdem fere diebus Theophilus Alexandrinus tres suas paschales Epistolas, quas S. Hieronymus æqualis ejus Latinas fecit, in lucem edidit, in quibus passim asserit, jejunium hoc Quadragesimale *secundum*

[Vide supra,
cap. ii. sect.
2, p. 213.]

Evangelicas et Apostolicas traditiones observandum esse. Et exiguo post eum tempore, Cyrillus, Alexandrinæ itidem Ecclesiæ Antistes, in paschalibus homiliis a se conscriptis sæpe inculcat hoc jejunium ab omnibus celebrandum esse *κατὰ τὰς*

[Hom. xv.
Op. tom. v.
par. ii. p. 210,
A; Hom. xx.
p. 264, D, et
alibi.]
[Hom. vi. p.
81, B, et
alibi.]

Ἀποστολικὰς παραδόσεις, et nonnunquam κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν παράδοσιν. Ut alios in præsentī omittam, Dorotheus Archi-

⁴ [Πολλῶ δὲ πλείον νῦν, ὅτι εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περιαγγέλλεται τὸ κήρυγμα. Καὶ οὔτε τις νῆσος, οὐκ ἤπειρος, οὐ πόλις, οὐκ ἔθνος, οὐκ ἰσχυριὰ ἀνήκοός ἐστι τοῦ κηρύγματος. Ἀλλὰ καὶ στρατόπειρα, καὶ ὀδοιπόροι, καὶ πλωτῆρες, καὶ ἱμπεροὶ, πάντες ὁμοίως καὶ ἀκούουσι τοῦ παραγγέλλματος, καὶ περιχαρῶς ὑποδέχονται. Ὅστι μὴδεις ἑαυτὸν ἕξω ποιήσω

τοῦ καταλόγου τῶν νηστειούτων, ἐν ᾧ πάντα γίνη, καὶ πᾶσα ἡλικία, καὶ ἀξιωμάτων διαφοραὶ καταλίγονται.—S. Basil. Hom. ii. de Jejun. cap. 2. Op. tom. ii. p. 11, B, C.

Πλούσιος εἶ; Μὴ καθυβρίσης τὴν νηστειάν, . . . μή ποτέ σε καταγγείλη ἐπὶ τοῦ νομοθέτου τῶν νηστειῶν.—Ibid. D.]

Doroth.
Doctr. xv.
[sect. i. Gall.
B. P. tom.
xiii. p. 445,
C.]

mandrita, qui anno circiter DLX. floruit, jejunium quadragesimale *decimationem* vocat *totius anni, quam nobis in pœnitentiam et purgationem peccatorum nostrorum Sancti Apostoli consecrarunt.* Αὕτη ἐστὶν ἡ δεκατία, ὡς ἂν εἶπη τις, παντὸς τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἣν ὑγείασαν ἡμῖν εἰς μετάνοιαν οἱ ἅγιοι Ἀπόστολοι, καθάρσιον οὔσαν τῶν ἀμαρτιῶν [ὡς εἶπον, παντὸς τοῦ ἐνιαυτοῦ]. E quibus patet hanc, quæ jejunium quadragesimale ab ipsis Domini Apostolis traditum fuisse statuit, non novam esse aut nudiustertius susceptam opinionem, sed eandem, qua antiqui Ecclesiæ Patres, tam Græci, quam Latini, ducti fuerunt. Quod, si non extra controversiam ponat quadraginta ante Pascha dierum jejunium ab ipsis Apostolis diserte institutum fuisse, plenissimam saltem fidem facit, illud longe ante quartum, idque, quod vult Dallæus, fere finitum seculum, publico Ecclesiæ usu receptum esse, atque isto proximoque currente seculo tantæ antiquitatis habitum, ut Apostolicæ institutionis fuisse crederetur, et quidem a sanctissimis clarissimisque istorum seculorum Patribus. Quibus, an Dallæo, major habeatur fides, isti viderint, qui cæco partium studio magis quam sincero veritatis amore controversias ecclesiasticas agitantes, suo, et eorum, quos creduli sequuntur, ingenio et præsumptis ejuscunq̄ue generis opinionibus plus nimio indulgere solent.

CAPUT IX.

Synopsis.

- I. Ἀνακεφαλαίωσις eorum, quæ de jejunio quadragesimali hactenus dicta sunt. E quibus Apostolica ejusdem institutio infertur.
- II. Idem ex eo probatur, quod etiamsi ubique observatum, ecclesiastica tamen auctoritate nunquam institutum fuit. Juxta auream D. Augustini regulam, quæ defenditur et explicatur.
- III. Nostra de Apostolica hujus jejunii institutione opinio explicata. Dies, 'quibus ablati sunt Sponsus,' ipsi Apostoli jejunio transegisse, aliisque jejunandos tradidisse videntur.
- IV. Quadraginta dierum jejunium ab aliis primo susceptum videtur, sed ab Apostolis postea traditum ab iis, qui illud ferre poterant, suscipiendum.
- V. Ex hoc hypothesi, quicquid in antiquitate de hoc jejunio dictum fuit et clarum est, et sibi constans.
- VI. Prudentia est Christiani, hoc jejunium religiose quotannis observare: ut e quo nihil incommodi, sed multum utilitatis emergat.
- VII. Quo modo hoc jejunium antiquitus observatum fuit, et adhuc observari debet.

I. UT rem autem in pauca conferam, nostramque de ea opinionem breviter exponam: cum (ut ex iis quæ hucusque disseruimus abunde satis, ut opinor, constat) jejunium quadragesimale quarto saltem præcipiti seculo passim in Ecclesia celebratum fuisse inter omnes conveniat; cum eodem ineunte seculo Synodus Nicæna τὴν Τεσσαρακοστὴν ut universæ Ecclesiæ cognitam atque observatam memorarit; cum ista vox ex communi istis diebus Ecclesiæ usu, necnon ex propria nominis ratione quadraginta dierum spatium significet;

cum isto sensu etiam ab Athanasio usurpetur; cum Eusebius Cæsariensis, eodem ineunte seculo, Therapeutas a Philone Judæo descriptos, qui septem hebdomadam ante Pascha jejunium celebrarunt, Christianos fuisse opinatus sit, et S. Hieronymus, Epiphanius, aliique idem tradiderint, nihilque in contrarium adductum sit, quod opinionem istam evertat; cum Constantinus M. de definitis ante Pascha jejuniis ut ubique cognitis meminerit; cum Dionysius Alexandrinus propositæ de jejunii antepaschalis solutione quæstioni tertio vix dum adulto seculo responsum dederit; cum eodem ineunte seculo Tertullianus Ecclesiam Catholicam non modo dies illos quibus ablati sunt Sponsus, verumetiam alios citra sive ante eos jejunasse asseruerit, et æqualis ejus Origenes Quadragesimæ dies sua ætate jejunio consecratos esse dixerit; cum aliquammultos ante festum paschale dies ex Apostolica traditione jejunio dicatos fuisse, controversia de festo isto secundo labente seculo agitata fidem faciat; cum istis etiam diebus Irenæus Lugdunensis, varias jejunii antepaschalis celebrandi formas recensens, eam accuratam esse dixerit, quæ quadraginta dies isti jejunio deputavit, eandemque longo ante suam ætatem tempore observatam fuisse affirmavit; cum longum istud ab eo designatum tempus de alio vix intelligi possit, quam quo nonnulli ex ipsis Domini Apostolis Ecclesiæ superstites erant; cum plerique denique e doctissimis quarti quintique seculi Patribus, ut D. Hieronymus, Augustinus, Leo M., Petrus Chrysologus, Isidorus Hispalensis, necnon Eusebius Cæsariensis, Basilius M., Theophilus, et Cyrillus Ecclesiæ Alexandrinæ Præsules, et mox postea Dorotheus Archimandrita, jejunium quadragesimale, nunc divinitus institutum, nunc ab Apostolis traditum, et necessario ab omnibus observandum esse consenserint; cum hæc, inquam, ita sint, haud ausus sum dubitare, quin quadragesimale ante Pascha jejunium ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia obtinuerit, adeoque aliquali ipsorum traditioni jure meritissimo acceptum referatur.

II. Et in hanc quidem sententiam eo ipse magis propendo, quod quarto saltem seculo hoc jejunium ab universa Ecclesia observatum fuisse, adeo manifestum certumque sit, ut ipsi etiam adversarii illud diffiteri nequeant. Qui tamen

primæ istius originis atque institutionis nulla uspiam in omni antiquitate vestigia deprehendere potuerunt. Nulla enim exstant. Verum et ante prædictum seculum, ut nos ostendimus, et post, ut confitentur adversarii, miro ubique consensu celebratum est. Etiam si a nullo singulari Patre, a nullo, quod scimus, Concilio vel generali vel provinciali institutum fuerit. Sed ipsa prima ac celeberrima ex omnibus Œcumenicis Synodis Nicææ quarto ineunte seculo congregata illud ut omnibus ubique Christianis, non minus quam ipsum Autumnus tempus, cognitum memoravit. Quo autem pacto hoc fieri potuit, nisi ab ipsis Apostolis aliquo saltem modo traditum fuisset, me prorsus nescire fateor. Nec ipse quidem video quid rationi magis consentaneum esse potest, quam quod B. Augustinus olim asseruit, dicens, *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Omnem enim fidem excedit, ut universa Ecclesia proximis post ipsos Apostolos seculis in unum aliquem ritum aut modum disciplinæ consentiret, qui nec ab universali Concilio, quo solo universa Ecclesia tenetur, institutus, nec Apostolica auctoritate traditus fuit. Universam autem Ecclesiam quarto ineunte seculo in hoc jejunium consensisse, ex ipsa in universali Concilio tunc temporis Nicææ congregata, et hujus jejunii ut omnibus et singulis Ecclesiis cogniti mentionem faciente, patet. Ista vero Synodus, ut inter omnes constat, hoc jejunium non instituit, quippe quæ illud prius institutum et ubique observatum supponit. Neque in aliquo e provincialibus Conciliis ante celebratis institutum legitur. A quibus etiam si institutum fuisset, in universam exinde Ecclesiam manare non potuit. Restat igitur, ut hoc jejunium, juxta auream illam doctissimi Patris regulam, auctoritate Apostolica traditum rectissime credatur. At at, ipse Augustinus, inquit Dallæus, qui hanc regulam fixit, non ideo putavit, Quadragesimam ab Apostolis fuisse institutam, quam diserte profitetur Ecclesiæ consuetudini originem ac robur suum debere.¹ Hoc, fateor, dicit clarissimus Dallæus, sed sui

Aug. de
Baptismo
cont. Donat.
lib. iv. cap.
24. [Op.
tom. ix. col.
243, C.]

[De Jejun. et
Quadr. lib.
iii. cap. 3.] p.
409.

¹ [“ Respondeo, si concesserimus ideo tamen consequens esse, ut Quadragesima fuerit ab Apostolis instituta, sensu eam accipit adversarius, non Christianisque tradita; quod vel inde

[S. Aug. Ep.
lv. ad Janu.
cap. 17. Op.
tom. ii. col.
211, A.]

procul omni dubio oblitus. D. Augustinus enim nullibi profitetur Quadragesimam Ecclesiae consuetudini originem suam debere. Dicit tantummodo, quod et ante observatum est, *Nam ut quadraginta illi dies ante Pascha observentur, Ecclesiae consuetudo roboravit.* Hoccine vero idem est atque Quadragesimam Ecclesiae consuetudini originem suam debere? Nihilne inter institutionem rei atque ejusdem roborationem interest? Sane ex his ipsis D. Augustini verbis satis liquet, eum juxta suam ipsius regulam credidisse, Quadragesimam auctoritate Apostolica traditam fuisse. Cum nihil enim in Quadragesimae negotio Ecclesiae adscribat, praeterquam ejusdem roborationem, per constantem scilicet illius observationem, eo sane profitetur, hoc jejunium ecclesiastica auctoritate non institutum fuisse. Quod si auctoritate ecclesiastica non institutum fuerit, originem ejus aliunde quam ab Apostolica traditione petere nequimus: unde scilicet et alia quam plurima, quae etiamnum, et semper, et ubique observata fuerunt, petamus necesse est. Et quidem D. Augustinus loco supra laudato generalem istam regulam eo tantum nomine proponit, ut baptismum infantium auctoritate Apostolica traditum ostendat. Alibi autem eandem ad anniversarias Ecclesiae celebritates adhibet. *Illa, inquit, quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe observantur, [servantur, Ben.] datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini Passio, et Resurrectio, et Ascensio in caelum, et adventus de caelo Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, et si quid aliud tale occurrerit, [occurrit, Ben.] quod servatur ab universis [universa, Ben.] quacunque se diffundat Ecclesia.* E quibus sanctissimi Patris verbis sic argumentari licet, Quae ab universa Ecclesia observantur, vel ab ipsis Apostolis, vel a plenariis Conciliis statuta sunt. At anniversariae istae solemnitates, quibus Domini Passio, Resurrectio, et Ascensio, necnon adventus Sancti Spiritus celebrantur, a plenariis Conciliis non sunt statutae. Ergo statuta sunt ab ipsis Apostolis.

Id. Epist.
cxviii. [Ben.
liv.] ad
Januar. cap.
1. [Op. tom.
ii. col. 185,
D.]

constare potest, quod ne ipse quidem, qui eam regulam fixit, Augustinus Quadragesimam ideo putaverit ab Apo-

stolis fuisse institutam," etc.—Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iii. cap. 3, p. 409.]

Porro Domini Passio hic commemorata non nisi jejunio antepaschali quotannis celebrata est. Jejunium istud D. Augustini diebus quadraginta dies observatum fuisse inter omnes convenit. Unde consequitur, jejunium quadragesimale ab ipsis Apostolis traditum fuisse, si vel S. Augustino, vel regulæ ab eo propositæ fides habeatur. Verum annon in re adeo antiqua major D. Augustino, quam cuilibet hisce diebus prognato fides debeat, docti judicent. Qui vero regulam ab eo fixam falsitatis arguunt, vereor ut Ecclesiam universalem a perpetuis et gravissimis erroribus defendant: imo quidem vereor, ut necessarium diei Dominicæ observationem, ut infantium baptismum, ut canonicorum librorum numerum, aliaque istiusmodi, quæ summi sunt in religione nostra momenti, ab ipsis Domini nostri Apostolis tradita atque instituta fuisse vel sibi persuasum habeant, vel aliis persuadeant: utpote quæ in Sacrosanctis Scripturis diserte præcepta ac definita non habeamus.

III. Hæc mature diuque perpensa haud dubitare sinunt, quin jejunium quadragesimale ab ipsis Apostolis quodammodo traditum fuerit. Quandoquidem autem in genuinis eorum scriptis præceptum non invenitur, quoniam ab iis modo traditum fuerit, non adeo facile est conjectura assequi. Nostram vero de ea re sententiam, e primis ac indubitatis Ecclesiæ monumentis erutam, paucis explicare non pigebit. Primo itaque Sanctos Apostolos istum, quo cruci affixus est Christus, diem jejunos quotannis transegisse, nemo, ut opinor, inficiari potest. Cum omnibus enim, ut notum est, Judæis solenne esset, ut quisque diem, quo pater ipsius mortuus est, in singulis postea vitæ suæ annis jejunio consecraret, nihil rationi fideique magis absonum videtur, quam ut Apostoli diem illum, quo carissimus ipsorum Magister, quo unicus humani generis Servator, quo Æternus Dei Filius gravissimos pro ipsorum aliorumque peccatis cruciatus ipsamque mortem pati dignatus est, quotannis non jejunarent. Quis ex infimis Ejus discipulis hoc non faceret? Quis anniversario isto redeunte die secum non reputaret, Hoc die Unigenitus Dei Filius pro meis ipsius peccatis ludibrio habitus est; verberibus laceratus est; spinea corona redimitus est; in crucem, infandum! a suis Ipsius creaturis actus est; meique loco, pro me infelicem! ignominiosissimo

isto asperrimoque mortis genere sublatus est. Ipseque hunc diem lætus, carnique indulgens transigam? Hoc saltem die jejuniis lachrymisque ob ista quæ Dominum meum cruci affixerunt peccata me non affligam? Absit, longe longeque absit. Sane si quis nostrum vel illorum etiam, qui stata Ecclesiæ jejunia tantopere oppugnant, ineffabiles istas, quas nostri loco suscepit Dominus, passiones animo maturo agitare, non difficile dico, sed impossibile esset, ut istum saltem, quo passus est, diem jejunare dedignaretur. Quanto magis impossibile fuit, ut sanctissimi Illius discipuli, ac Apostoli, qui aliquot cum Eo annos conversati fuerant, qui miracula Ejus viderant, qui doctrinam audierant, qui Divina Ejus præsentia ac favore tamdiu beati fuerant, summo animi angore non afficerentur, quoties anniversarius ille rediret dies, quo dilectissimus ipsorum Dominus impia Judæorum manu iis ablati sunt? Quonam autem modo hunc suum ob Domini passiones dolorem manifestum reddere, vel etiam exercere potuerunt, si istum saltem diem, quo eas pertulit, jejunio fletibusque non devoverent? hoc est, si illud pro Christo facere recusarent, quod alios pro patribus amiculisque suis mortuis quotannis peragentes videbant? Qui sinceram profecto Apostolorum pietatem summumque in Christum amorem contemplatur, dubitare nequit, quin istum quotannis strictissime jejunarint diem quo crucifixus est Christus; imo vero atque proximum etiam, quo in sepulchro jacuit, idque non eo tantum, quod per istum etiam diem Divina Ejus, ut in mortuorum statu adhuc manentis, præsentia privati fuerant, verumetiam eo præsertim quod Ipse Dominus de illis prædixerat, *Venient dies cum auferetur ab iis Sponsus, et tunc jejunabunt ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, in illis diebus.* Ex his enim verbis Apostoli intellexisse videntur, Domini mandatum ac voluntatem esse, ut ipsi, omnesque alii postea Christiani, duos illos quotannis dies, Parasceven scilicet et Sabbatum Magnum, quibus Sponsus sive Dominus ipsis sublatus est, jejuniis consecrarent. Hoc enim, quem optime ferent, sensu verba ista proximo post Apostolos seculo ab Ecclesia Catholica intellecta fuisse, ex Tertulliano constat, dicente, *Certe in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant Catholici, in quibus ablati sunt Sponsus.* Hanc autem istorum Domini verborum interpretationem

[Matth. ix.
15.]

Tertull. de
Jejun. adv.
Psych. cap.
ii. [p. 544,
C.]

Ecclesia Catholica istis saltem diebus aliunde quam ab Apostolis habere non poterat, ut a quibus et ipsum Evangelium, et genuinas verasque ejusdem expositiones traditas acceperat. Quod si Apostoli verba ista ita intellexerint, dubitare nefas est, quin dies illos arctissime quotannis jejunarint ipsi, et in mandatis dederint, ut alii etiam eosdem, ut in Evangelio jejuniis determinatos, in singulis vitæ suæ annis observarent. Neque enim hoc illorum tantum, sed Ipsius Domini præceptum erat. Unde persuasissimum habeo, quod, sicut Joannis discipuli ac Pharisæi (qui Christum tunc temporis interrogabant, quare Ejus discipuli non jejunarent) stata sua jejunia habuerunt, et quemadmodum Judæi nonnullos quotannis dies jejuniis deputare lege Divina constricti fuerunt, sic etiam Apostoli, cæterique istius ætatis Christiani, illos saltem dies, quibus ablati sunt Sponsus, annua vice jejunabant, et ab aliis jejunandos esse tradiderunt. Alioquin enim fieri non potuit, ut Ecclesia ab iis recens fundata illos dies in Evangelio jejuniis determinatos putaret.

IV. Nullus itaque dubito, quin ab ipsis Apostolis traditum fuerit, ut aliquot ante paschalem festivitatem, sive Dominicæ Resurrectionis commemorationem, dies, illi minimum, quibus Christus passus est, et in sepulchro detentus, luctui, jejunio et pœnitentiæ agendæ imprimis designarentur. Alii autem, viri saltem Apostolici, si non et ipsi Apostoli, ut verisimile est, quot et quanta Christus ipsorum causa locoque passus est secum revolventes, pro summo quo in Eum flagrabant zelo, non solum duos illos in Evangelio determinatos dies, verum et alios citra illos jejunio deputabant. Usque adeo ut nonnulli ipsum quadraginta dierum jejunium a Christo celebratum aliquo modo adumbrare conarentur. Quod eorum studium piisque zelum et nulli reprehensioni obnoxium Apostoli condemnare non potuerunt. Siquidem etiamsi dies quibus ablati sunt Sponsus jejuniis determinati essent, nullibi tamen scriptum fuit, ne plures præter, citraque illos jejunarentur. Imo potius cum et signum esset et adjutorium pietatis tale jejunium, ab Apostolis non potuit non summe approbari: quippe qui virtutis studium, vitæque sanctimoniam, omniaque, quæ in Dei gloriam tendere videbantur, omnibus modis promovere studerent. Ac propterea,

etiamsi tot dierum jejunium omnibus imponere noluerunt, quoniam ab omnibus æqualiter observari non potuit, illud nihilominus, ut carni subjugandæ et provehendæ sanctitati aptum, iis peragendum tradiderunt et commendarunt, quibus longioribus opus esset jejuniis, eaque ferre poterant. Quo factum est, ut plurimi postea antepaschale jejunium quadraginta solidos dies continuarint, idemque tanquam ab Apostolis traditum aliis commendarint. Usque adeo ut hoc jejunandi genus, tanquam ad pietatem cultumque Christi plurimum conducens, ab universis propemodum Christianis tandem aliquando susceptum fuerit, et, si cum D. Augustino loquar, *Ecclesiæ consuetudine roboratum*.

[Ep. lv. ad
Januar. cap.
17. Op. tom.
II. col. 211,
A.]

V. Hæc, fateor, totidem verbis in Sacrosanctis Scripturis non continentur, ac proinde invictis istiusmodi argumentis demonstrari nequeunt, quibus quispiam assensum iis præbere vel invitus cogatur. Verumenimvero præterquam quod scriptis Apostolicis in nihilo sint dissentanea, sed cum iis potius optime consentiant, ecclesiastica etiam antiquitate ita muniuntur, ut salva ejus auctoritate nunquam diluantur. Quin his etiam positis, quicquid de jejunio antepaschali variaque ejusdem observatione in antiquis Ecclesiæ commentariis occurrit clarissime enodetur. Hinc enim constat, quare Ecclesia Catholica apud Tertullianum, illos dies quibus ablati sunt *Sponsus solos legitimos jejuniorum Christianorum dies* putarit, eo scilicet, quod illi soli in Evangelio tanquam lege scripta jejunio determinati sint. Constat etiam quare eadem Ecclesia apud eundem ibidemque dixerit, *Aliis citra illos dies indifferenter [differenter. Prior.] jejunandum esse ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus et causis uniuscujusque*, quoniam utique tot dierum jejunium Apostoli non absolute omnibus mandarunt, sed tradiderunt tantummodo ab iis suscipiendum, quorum facultates id ferrent, et conditio postularet. Et hinc est, quod in Ecclesiæ potestate semper situm fuit, observationem illius nonnullis in casibus relaxare, sive, ut vulgo loquuntur, dispensationem indulgere: quod in præceptum Divinum non cadit. Constat insuper ex hac hypothesi, quare jejunium antepaschale Irenæi diebus tanta varietate observatum esset, ut cum omnes unum saltem diem jejunarent, eum scilicet, quo Christi Passio commemoratur; alii duobus, alii pluribus, alii etiam qua-

De Jejun.
adv. Psych.
cap. II. [p.
544, C.]

[Ibid. p. 545,
A.]

draginta diebus sibi jejunandum esse existimarent, eo nimirum quod nonnulli sibi non necesse esse crederent, ut plures quam unum vel duos saltem illos in Evangelio determinatos dies jejunarent: alii vero plurium, alii ipsum quadraginta dierum jejunium sibi peragendum esse censerent, quandoquidem illud perutile ipsis et summe ex Apostolica traditione necessarium videretur. Ex his denique positis constat, quare Irenæus istam accuratam esse formam iudicavit, qua quadraginta solidi ante Pascha dies jejunio consecrantur, propterea utique quod hæc ab Apostolis modo supra exposito tradita fuerit, quodque, si omnes Christiani salutis suæ qua par est diligentia ac fidelitate consulerent, nemo esset, vel saltem paucissimi, qui illa jejunii forma sibi opus esse non viderent, ut qua carnalis appetitus melius compesceretur, omnesque virtutes tam piis exercitiis auferentur. Quibus etiam de causis universa Ecclesia in hanc jejunii antepaschalis formam cito consensit. Adeo ut, etiamsi a nullo universali Concilio definita aut mandata fuerit, ubique nihilominus sola obtinuerit; neque unquam, præterquam ab hæreticis, ante nostram ætatem in quæstionem vocata fuit. Sed omnes potius Catholici Quadragesimam *ex necessitate*, ut loquitur D. Hieronymus, jejunio peragendam esse uno ore affirmarunt, ut ab ipsis Apostolis primo traditam, et universalis Ecclesiæ consensu ac consuetudine postea confirmatam. Cum ex his itaque positis antiquitas ecclesiastica accurate adeo sibi constet, nemo ea vero saltem simillima esse dubitabit, qui ullam antiquitati vel fidem habet vel reverentiam. Quod si quis in re adeo vetusta probabiliora in medium proferet, non sum adeo propriis cogitationibus mancipatus, quin melioribus lubens gratusque acquiescam.

[Ep. xli. (al. liv.) sect. 3. Op. tom. i. col. 187, B.]

VI. Sed utcunque se res habeat, constat saltem aliquot ante Pascha dies ab ipsis Ecclesiæ primordiis jejunio dicatos fuisse. Constat enim antepaschale illud jejunium proximo post Apostolos seculo quadraginta dies a nonnullis celebratum fuisse. Constat denique probabiles saltem dari causas, quibus etiam quadragesimalis illius jejunii observationem Apostolicæ traditioni acceptam ferre inducamur. Quicumque ergo hoc jejunium vel ipsi non observant, vel ab aliis non observandum esse contendunt, ab iis sciscitari vellem, annon in re dubia tutiorem melioremque partem eligere

sapientis sit, præsertim si ea probabilibus etiam rationibus adstruatur? Hoc nemo, ut opinor, negabit. Demus itaque dubium adhuc esse, utrum hoc jejunium ab Apostolis institutum fuerit, vel quovis modo traditum, si tamen vel probabile sit, illi haud dubie, qui istud observant, sibi melius prospiciunt, quam isti, qui negligunt et condemnant. Quid enim si quod plurimi, nec sine ratione, antiquitus crediderunt, alique etiamnum nobiscum credunt, ab ipsis Domini Apostolis revera traditum fuerit, etiamsi ita demonstrari nequeat, ut omnes illud credere cogantur? Sane si ita esset, parum solatii, ne amplius dicam, iis erit, qui illud despectui habent. Quid e contra mali, quid incommodi ex sincera hujus jejunii piaque cum primitivis Christianis observatione cuivis emergat? Quid ei vitio vertatur? Quod jejunit? Vix credo. Jejunium enim in utroque Testamento præcipitur. Ipse Christus jejunium celebravit, regulasque nobis reliquit juxta quas recte a nobis celebretur. Illius etiam Apostoli in jejuniis frequentes fuerunt. Quænam itaque culpa in jejunio quadragesimali residet, quo minus observetur? Anne quod statum sit jejunium, et quotannis celebratum? Hoc nefas dictu est, quandoquidem Ipse Deus statum atque anniversarium jejunium Ecclesiæ Israeliticæ ab Ipso formatæ instituit, decima nimirum die mensis septimi quotannis celebrandum. Quid itaque in hoc jejunio reprehendi potest? Quod ante Pascha celebratur? Nihil minus. *In qua enim parte anni congruentius observatio Quadragesimæ constituetur, nisi confini atque contigua Dominicæ passioni?* ut recte olim observavit D. Augustinus. Restat igitur, ut hoc jejunium nullo insimuletur crimine, nisi forsitan quod quadraginta dies celebretur. Verum enimvero cum jejunium et licitum sit et a Deo præceptum, plures continuos jejunare dies malum esse nequit. Quin potius quo longius, eo melius est jejunium. Et quod ad definitum quadraginta dierum spatium spectat, idem profecto est, quod Moses, quod Helias, quod Ipse Christus jejunit. Cum hoc autem illis criminis loco objici non possit, quare nobis objiceretur, qui tantorum virorum, imo qui Ipsius Domini jejunium nostri causa celebratum pro virili parte imitari et semel quotannis commemorare studemus? Cum igitur in anniversaria hujus jejunii observatione nihil mali hæreat, quin potius magnum, si qua

Lev. xvi. 29.

Epist. cxix.
[Ben. iv.]
ad Januar.
cap. 15, [Op.
tom. ii. col.
207, C.]

par est religione observetur, utilitatis fructum præbeat, etiamsi dubium esset, utrum ab ipsis Apostolis traditum fuerit, nemini tamen dubium esse potest, quin plus periculi ex ejus neglectu, quam ex observatione metuendum sit. Ac propterea illi sane vero Dei cultui, suæque adeo saluti magis intenti sunt, meliusque consulunt, qui se primitivæ ac universæ Ecclesiæ moribus hac in re conformes gerunt, quam isti, qui, nescio quo præjudicio impulsus, in hoc jejunium, utcunque celebratum, debacchantur.

VII. Summa jejunii quadragesimalis antiquitate asserta et explicata, reliquum est, ut modum etiam, quo ab Ecclesia primitiva celebratum fuit, paucis expediamus. Totum igitur hoc jejunio sacratum tempus veteres Christiani tanta religione observarunt, ut unicum quotidie refectionem haberent, eaque non prandium esset sed cœna, adeo ut nemo ante vesperam quodvis cibi genus gustaret. S. Basilius enim Quadragesimam jejunanti dicit, τὴν ἐσπέραν ἀναμένεις εἰς μετάληψιν, *Vesperam expectas ut cibum capias.* D. Ambrosius, *Indictum est jejunium, cave ne negligas. Etsi te famas quotidianum cogit ad prandium, ut [aut, Ben.] intemperantia declinet [declinat, Ben.] jejunium, tamen cœlesti magis te servato convivio. Non epulæ paratæ extorqueant, ut cœlestibus [cœlestis, Ben.] sis vacuus Sacramentis [Sacramenti, Ben.]. Differ aliquantulum, non longe finis est diei.* Ut alia, quæ passim occurrunt, testimonia missa in præsentem faciam,² apud D. Augustinum in Epistola LXXXVI. [Ben. XXXVI.] ad Casulanum,³ alibique⁴ ‘prandere,’ et ‘jejunare,’ sibi invicem sæpe opponuntur. Adeo ut nemo jejunare dicatur, qui prandet, nemo prandere, qui jejunat. Quisquis ergo pisces, vel aliud quodlibet ex innumeris ciborum gene-

Basil. Hom. i. de Jejun. [cap. 10. Op. tom. ii. p. 9, B.]
Ambros. in Psal. cxviii. Serm. viii. [sect. 48. Op. tom. i. col. 1073, D, E.]

² [Vide Dallæum de Jejun. et Quadr. lib. ii. cap. 1, pp. 116–118; qui plurima loca ex Augustino, Concil. Turon. (A.D. 567), et Pseud-Ambrosio citat.]

³ [“ Et his hebdomadibus, in quibus quarta et sexta et Sabbato jejunatur, tribus tamen diebus continuis, Dominico scilicet, ac deinde secunda et tertia prandetur.”—S. Aug. Ep. xxxvi. ad Casul. cap. 8. Op. tom. ii. col. 112, C.]

“ Non tibi persuadeat urbem Christianam sic laudare Sabbato jejunantem, ut cogaris orbem Christianum damnare prudentem.”—Col. 112, D.

“ In qua [causa] de jejunio sabbati vel prandio disputatur.”—Cap. 11, col. 115, D.]

⁴ [E. g. “Crapula et ebrietas etiam per dies cæteros devitanda; per hos autem dies etiam concessa prandia removenda.”—S. Aug. Serm. ccvii. Op. tom. v. col. 1341, B.]

ribus prandet, is profecto Quadragesimam cum primitivis Christianis neququam jejunat, nec nisi pessima vocis abusione jejunare dicatur. Jejunium enim in veteris Ecclesiae notitia religiosa fuit ab omni ciborum genere per totam diem abstinentia, ut ita, neglecto corpore, meditationi, resipiscentiae, precibus, vel, ut semel dicam, Deo animisque nostris a mane ad vesperam usque toti vacemus. Hujusmodi fuerunt jejunia ab antiquis Christianis celebrata. Quotiescunque enim jejunio operam darent, praesertim per totam Quadragesimam, nullum nisi vesperscente die cibum capere solebant. Quin cibus etiam, quo sub noctem vescebantur, frugi fuit, castus, temperatus, et plerumque siccus, juxta quinquagesimum illum Concilii Laodicensis Canonem, dicentem, *Δεῖ πᾶσαν τὴν Τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγούοντας*, *Oportet totam Quadragesimam jejunare aridis vescentes*, sub vesperam scilicet, non ante. Jejunium enim aridis non proprie celebratum fuit, sed solutum. Hujusmodi autem jejuniorum solutio a primitivis Christianis usitata est, ut in iis solvendis pariter atque celebrandis abstinentiam suam atque moderationem probarent, atque ita verum jejunandi finem assequerentur, qui est, carnis concupiscentias edomare, vel, si Apostoli verbis utar, *ὑπωπιάζειν τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγεῖν*, corpus scilicet in talem servitutem redigere, ut rationis imperio in omnibus obsequatur. Qui vero jejunia quidem diurno, nocturno autem tempore convivia celebrat, is sane hoc nunquam efficiet. Quod cum veteres Christiani satis perspectum haberent, illi per totam Quadragesimam a vino aequae ac a carnibus abstinebant. Ipseque cibus, quo sub vesperam cujusque diei jejunium solvebant, vilis fuit, et parvus, ab omni luxuria et deliciis alienus. Unde D. Hieronymus in eos gravissimus invehitur, qui ab oleo quidem per istud tempus se abstinebant, at delicatioribus nihilominus dapibus fruebantur. *Quid prodest, inquit, oleo non vesci, et molestias quasdam difficultatesque ciborum quaerere, carycas, piper, palmarum fructus, similam, [mel,] pistacia? Tota hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane, et dum delicias sectamur, a regno caelorum retrahimur.* Ubi etiam mox subjungit, *Fortissimum jejunium est aqua et panis.* Et paulo antea, generalem proponit regulam, ab omnibus, ut nobis videtur, in hoc negotio diligenter observandam. *Tantum,*

[Pan. Can.
tom. i. p. 476,
D.]

[1 Cor. ix.
27.]

Hieron, de
Vita C.eric.
ad Nepotian.
[Ep. lii. (al.
ii.) sect. 12,
tom. i. coll.
264, E, F,
265, A.]

Ibid. [col.
1,]]

inquit, *tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata et non superstitiosa jejunia.* Qui huic regulæ religiose institit, nihil est quod de ciborum, quibus jejunia sua solvat, genere scrupulose nimis laboret, vel sollicito anxioque sit animo, utrum ichthyophagia an xerophagia id fiat. Sed in rebus adeo adiaphoris satius erit nosmet Ecclesiæ, in qua versamur, accommodare, moremque gerere, et imprimis cavere, ut pro sua quisque natura, ac potestate, ea ciborum quantitate pariter ac qualitate jejunia nostra solvamus, qua veros jejunandi fines certius assequamur, puriusque, ut loquitur Synodus Nicæna, munus Deo offeramus.

CAPUT X.

Synopsis.

- I. *Jejunium quartæ sextæque feriæ in Canone Apost. LXIX. memoratur et injungitur. Unum sine altero in antiquitate nusquam occurrit.*
- II. *Has duas ferias antiquitus religiose observatas fuisse, et jejuniis dicatas e Basilio M., Hieronymo, Epiphanio, et Constitutionibus Apost. probatur.*
- III. *Idem e S. Augustino et Petro Alexandrino demonstratur.*
- IV. *Easdem ferias etiam tertio ineunte seculo jejuniis consecratas fuisse ex Origene et Clemente Alexandrino evincitur.*
- V. *Tertullianus has duas ferias stationibus dicatas asserit.*
- VI. *Vera stationum notio inquiritur. Tertullianus stationes et jejunia nonnunquam distinguit. Alibi jejunia stationum nomine appellat. Quo sensu vox statio et ante et post Tertullianum usitata est.*
- VII. *Stationes breviora erant jejunia, hora nona terminata. Et quartæ sextæque feriis peculiaria.*
- VIII. *Exceptiones contra argumentum pro his jejuniis e Tertulliano petitum diluuntur.*
- IX. *Hæc jejunia longe ante Tertullianum observata fuisse ex Hermæ Pastore ostenditur. Unde ab ipsis Apostolis instituta videntur.*

I. HUCUSQUE de ea Canonis Apostolici LXIX. parte, qua cautum est, ut clericus deponatur, et segregetur laicus, qui Quadragesimam non jejunat, egimus, ostendimusque quadragesimale sive jejunium quadraginta ante Pascha dierum ab ipsis Ecclesiæ primordiis religiose admodum observatum fuisse, ac proinde haud mirum esse, quod hoc Canone commemoretur ac sanciat, etiamsi tota hæc Canonum Apo-

stolicorum sylloge tertio vel etiam secundo a Christi natiuitate seculo facta fuerit ac divulgata. Restat modo, ut idem de quartæ sextæque feriæ jejuniis, in eodem etiam Canone memoratis, demonstremus. Dicit itaque Canon, *Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης τὴν ἁγίαν Τεσσαρακοστὴν τοῦ Πάσχα οὐ νηστεύει, ἢ τετράδα, ἢ Παρασκευὴν, καθαιρεῖσθω. Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel lector, vel cantor sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunit, vel Quartam, vel Parasceven, depnatur.* Ubi per Quartam et Parasceven duas illas in singulis septimanis ferias, quos Mercurii ac Veneris dies vulgo nuncupamus, intelligendas esse, nemo unquam dubitavit. Et quidem Quartæ jejunium, etiamsi ab hodierna Ecclesia Romana plurimum abrogetur, antiquitus tamen eadem, atque sextæ, religione observatum fuit. Hæc enim duo hebdomadica, ut ita loquar, jejunia, in antiquis Ecclesiæ commentariis perpetuo conjunguntur, et simul nominantur. Adeo ut unum absque altero in omni, quantum memini, antiquitate nusquam occurrat. Utrumque autem per singulas anni cujusque currentis hebdomadas ab Ecclesia primitiva celebratum fuisse, nullo negotio conficiatur.

II. Ne longius autem ab ipsis Apostolorum diebus abeamus, quarto currente seculo has duas, quartam puta sextamque, ferias peculiari præ aliis modo observatas fuisse, locupletissimos habemus testes S. Basilium et Hieronymum. S. Basilus enim, ille scilicet, qui Magnus merito cognominatur, se suamque Ecclesiam Quarta et Parasceve sive sexta, non minus quam Sabbato ac Dominica, in singulis septimanis communicare solitum testatur, dicens, *Ἡμεῖς μέντοιγε τέταρτον καθ' ἐκάστην ἐβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι, καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ τῷ σαββάτῳ. Nos igitur quater singulis septimanis communicamus, Dominica, feria quarta, in Parasceve et Sabbato.* D. Hieronymi hæc sunt verba, *Si dies observare non licet, et menses, et tempora, et annos; nos quoque simile crimen incurrimus, Quartam Sabbati observantes, et Parasceven, et diem Dominicam, et jejunium Quadragesimæ, et Paschæ festivitatem, et Pentecostes lætiam.* Ubi, ut videre licet, Quarta Sabbati et Parasceve una cum Dominica inter dies recensentur ab Ecclesia istis temporibus religiose observatos. Quomodo autem hæc duæ

[Can. Ap.
lxi. Pan.
Can. tom. i
p. 45, A.]

Basil. Epist.
cclxxxix.
[Ben. xciii.]
ad Cæsar.
[Op. tom. iii.
p. 186, D.]

Hieron. in
Epist. ad
Galat. [lib.
ii.] cap. iv.
[Op. tom. vii.
col. 456, D.]

feriæ antiquitus observatæ fuerint, ex Epiphanio ejusdem ætatis scriptore constat: hic enim diserte ait, *Συνάξεις δὲ ἐπιτελούμεναι ταχθεῖσαι εἰσιν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων, τετράδι, καὶ προσαββάτω, καὶ Κυριακῇ. Τετράδι δὲ, καὶ ἐν προσαββάτω, ἐν νηστείᾳ ἕως ὥρας ἐνάτης. ἐπειδὴ περ ἐπιφωσκούση τετράδι συνελήφθη ὁ Κύριος, καὶ τῷ προσαββάτῳ ἐσταυρώθη· καὶ παρέδωκαν οἱ Ἀπόστολοι ἐν ταύταις νηστείας ἐπιτελεῖσθαι, πληρουμένου τοῦ ῥητοῦ, ὅτι ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, τότε νηστεύουσιν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις.*

Synaxes porro celebratæ ab Apostolis institutæ sunt, his potissimum diebus, quarta sextaque feria, et Dominica. Item quarta sextaque feria jejunium ad horam usque nonam indictum, propterea quod quarta feria comprehensus sit Dominus, et sexta crucifixus. Ideo per illos dies jejunandum esse decreverunt Apostoli, ut impleatur illud quod scriptum est, Cum auferetur ab iis Sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus.

E quibus verbis constat primo, synaxes isto seculo non modo Dominicis, sed et quartis sextisque feriis, celebrari solitas fuisse. Constat insuper duas istas ferias non synaxibus duntaxat, sed et jejuniis consecratas esse, ad horam saltem nonam celebrandis. Constat præterea hunc quartæ sextæque feriæ jejunandi ritum antiquum adeo istis temporibus habitum fuisse, ut ab ipsis Apostolis institutus crederetur. Hoc enim Epiphanius verbis conceptis asserit, dicendo, *καὶ παρέδωκαν οἱ Ἀπόστολοι ἐν ταύταις νηστείας ἐπιτελεῖσθαι. Quin idem etiam alibi hasce ferias ubique terrarum, sive ab universa Ecclesia, jejunatas affirmat. Τίνι δὲ, inquit, οὐ συμπεφώνηται ἐν πᾶσι κλίμασι τῆς οἰκουμένης, ὅτι τετράς, καὶ προσαββατον νηστεία ἐστὶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὠρισμένη; Εἰ δὲ καὶ χρῆ τὸ τῆς διατάξεως τῶν Ἀποστόλων λέγειν, πῶς ἐκεῖ ὠρίζοντο τετράδα καὶ προσάββατον νηστείαν διὰ παντός χωρὶς Πεντηκοστῆς; Quis est usquam terrarum, qui non in eo consentiat, quartam sextamque feriam solenni in Ecclesia jejunio consecratam? Quod si ex Apostolorum constitutione petenda nobis sit auctoritas, cur ibi quartæ sextæque feriæ jejunium perpetua lege sancitur, excepta Pentecoste? Hæc sane sunt verba viri minime dubitantis, quin hæc duæ feriæ semper et ubique ab Ecclesia Christiana jejunio dicatæ fuerint, idque ex aliqua Apostolorum constitutione. Et quidem inter Constitutiones Apostolorum vulgo dictas, quas Epiphanius aliquoties laudat, et hoc ipso in loco respicit, unam de hac re habemus, his*

Epiph.
Expos. Fid.
[num. 22,
Op. tom. i. p.
1104, C, D.]

[Luc. v. 35.]

Epiph. Hær.
LXXV.
[Aerian.]
num. 6, [Op.
tom. i. p. 910,
B.]

verbis conceptam: Αἱ δὲ νηστεῖαι ὑμῶν μὴ ἔστωσαν μετὰ τῶν ὑποκριτῶν· νηστεύουσι γὰρ δευτέρᾳ σαββάτων, καὶ πέμπτῃ. ὑμεῖς δὲ ἢ τὰς πέντε νηστεύσατε ἡμέρας, ἢ τετράδα καὶ Παρασκευὴν, ὅτι τῇ μὲν τετράδι [ἡ] κρίσις ἐξῆλθεν ἢ κατὰ τοῦ Κυρίου, Ἰούδα χρήμασιν ἐπαγγειλαμένου τὴν προδοσίαν· τὴν δὲ Παρασκευὴν, ὅτι ἔπαθεν ὁ Κύριος ἐν αὐτῇ πάθος τὸ διὰ σταυροῦ ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου. *Jejunia vero vestra ne sint cum hypocritis. Illi enim secunda et quinta sabbatorum jejunant. Vos vero aut quinque diebus jejunate, aut quarta feria et Parasceve. Quoniam quarta quidem iudicium contra Dominum prodiit, cum Judas pecunia proditorem esset pollicitus. Parasceve autem, quia eo die Dominus mortem crucis passus est sub Pontio Pilato. Et* alibi: Τετράδα δὲ καὶ Παρασκευὴν προσέταξεν ἡμῖν νηστεύειν, τὴν μὲν διὰ τὴν προδοσίαν, τὴν δὲ διὰ τὸ πάθος. *In quarta vero feria et Parasceve, jussit (Dominus) nos jejunare. In illa quidem propter proditorem, in hac vero propter passionem. Unde liquet, eum, quicumque demum fuerit, qui has Constitutiones collegit, idem atque Epiphanium de quartæ sextæque feriæ jejuniis censuisse, quod ab ipsis scilicet Apostolis tradita fuerant. Has autem Constitutiones longe ante Epiphanium exstitisse, ex eo satis patet, quod ab ipso sub Apostolorum nomine laudentur. Quin imo hanc ipsam de hisce jejuniis Constitutionem citat, tanquam ab Apostolis traditam. E quibus intelligi datur, quartæ et Parasceves jejunium non modo Epiphanii memoria antiquius, verum adeo etiam antiquum fuisse, ut longe ante eum ipsis Domini Apostolis adscriptum esset.*

III. Præter eos, quos hactenus citavimus, alium ejusdem seculi, eumque gravissimum hac in causa testem advocare licet, Divum scilicet Augustinum, qui et ipsa, de quibus agimus, jejunia ab Ecclesia observata asserit, et utriusque etiam rationem fuse explicat his verbis: *Cur autem quarta et sexta maxime jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod considerato Evangelio, ipsa quarta Sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi. Intermissa autem uno die, cujus vespera Dominus Pascha cum discipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei quem vocamus quintam Sabbati, deinde traditus est ea nocte, quæ jam ad sextam Sabbati, qui dies passionis Ejus manifestus est, pertinebat. . . . Hoc ergo die intermisso,*

Constit.
Apost. lib.
vii. cap. 23.
[Cot. Pat. Ap.
tom. i. p.
369.]

Ibid. lib. v.
cap. 15, [p.
319.]

August.
Epist. lxxxvi.
[Ben. xxxvi.]
ad Casulan.
[Op. tom. ii.
col. 119, A,
B, C.]

passus est Dominus, quod nullus ambigit, sexta Sabbati: quapropter et ipsa sexta recte jejunio deputatur. Quibus verbis nihil disertius esse potest, nihil fortius ad evincendum quemlibet ritum quarto labente æræ Christianæ seculo ab Ecclesia observatum fuisse. Quinetiam eodem ineunte seculo Petrus Alexandrinus suum huic jejunio testimonium tribuit, et ejusdem pariter ac Dominicæ celebrandæ rationem reddidit, his verbis, Οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῶν παρατηρουμένοις τετράδα καὶ Παρασκευὴν, ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῶν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προσετέτακτο· τὴν μὲν γὰρ τετράδα διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ Κυρίου· τὴν δὲ Παρασκευὴν, ὅτι Αὐτὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἔπαθε. Κυριακὴν δὲ χαρμωσύνης ἡμέραν ἄγομεν, διὰ τὸν ἀναστάντα ἐν αὐτῇ, ἐν ᾗ οὐδὲ γόνατα κλίνειν παρελήφαμεν. *Non reprehendet nos quispiam Quartam et Parasceven observantes, in quibus nobis jejunare secundum traditionem cum ratione præceptum est. Quartam quidem propter ininitum a Judæis consilium de prodicione Domini: Parasceven autem, quod Ipse pro nobis passus est. Dominicam autem lætitiæ diem agimus, quod in ea resurrexerit. In quo nec genua quidem flectere recepimus.* Quæ quidem doctissimi Patris verba manifestum faciunt tres in singulis septimanis ferias, unam, nempe Dominicam, festivitate, duas vero, quartam scilicet sextamque, jejuniis a primitiva Ecclesia celebratas fuisse, ob rationes hic alibique allatas. Et observandum præterea est, etiam Petrum Alexandrinum hebdomadica ista jejunia ad traditionem referre, κατὰ παράδοσιν, inquit, εὐλόγως προσετέτακτο. Et quarto igitur ineunte seculo, origo et prima horum jejuniis institutio viros etiam doctissimos latebat, usque adeo ut non nisi ad traditionem Apostolicam ea referre potuerint. Quod nunquam fecissent, nisi ea multis ante annis, imo quidem ante omnium tunc viventium memoriam, publico Ecclesiæ usu recepta fuisse ac observata, pro certissimo habuissent.

IV. Quin quarto saltem æræ Dionysianæ seculo, quarta sextaque hebdomadis cujusque feriæ jejunio dicatæ fuerint, nemo luculentissima illa, quæ hucusque adduximus, testimonia sine præjudicio legens dubitare potest. Sed dicat forsitan nonnemo, Hæc neminem cogunt fateri duas istas ferias ante quartum illud seculum isthoc modo celebratas fuisse. Fieri enim potest, ut hic ritus ipso istius seculi

Petr. Alex.
Can. xv.
[Pan. Can.
tom. ii. p. 23,
A.]

initio inductus esset, vel saltem paucissimis ante annis. Et fateor equidem difficile admodum esse fidem in hujusmodi rebus a quopiam extorquere, qui se totum iis interponit, nihilque credet, nisi quod totidem verbis assertum est. Ac proinde bene est, quod satis idonei et omni exceptione majores hujus rei testes præsto sint, qui non modo tertio, verumetiam isto vixdum incæpto, atque ideo proximo post Apostolos seculo claruerunt. Alioquin verendum esset, ne ipse quoque annus quarti ineuntis seculi determinaretur, forte etiam et ipse dies, quo hæc jejunia primo conficta erant. Ut omnis autem cavillandi occasio præcidatur, Origenes suum de his jejuniis testimonium perhibuit, dicens, *Habemus enim Quadragesimæ dies jejuniis consecratos. Habemus quartam et sextam septimanæ dies, quibus sollemniter jejunamus.* Quin ipsum quoque Clementem Alexandrinum, qui secundo pariter atque tertio seculo vixit, ad partes nostras vocare licet. Hic enim de vero Gnostico a se descripto hæc diserte dicit, *Οἶδεν αὐτὸς καὶ τῆς νηστείας τὰ αἰνίγματα τῶν ἡμέρων τούτων, τῆς τετράδος καὶ τῆς παρασκευῆς λέγω. Ἐπιφημίζονται γὰρ ἡ μὲν Ἐρμού, ἡ δὲ Ἀφροδίτης. Αὐτίκα νηστεύει κατὰ τὸν βίον φιλαργυρίας τε ὁμοῦ καὶ φιληδονίας, Novit ipse jejunii quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, et sexti. Dicitur autem ille quidem Mercurii, hic Veneris. Jejunat itaque per vitam ab avaritia et libidine.* Quid his verbis clarius, quid causæ nostræ accommodatius esse potest? Clemens hoc in loco verum describit Gnosticum, hoc est, hominem vere sanctum, perfectum Christianum: eumque dicit intelligere jejunii quartæ sextæque feriæ ænigmata, quod scilicet illa sit dies Mercurii, hæc Veneris, atque ideo non tantum a cibis jejunat, verumetiam ab avaritia et libidine, Mercurii nimirum Venerisque vitiis. Quantum autem ad rem nostram spectat, quartæ et Parasceves, sive dierum Mercurii Venerisque, jejunium disertissime, si quis unquam, commemorat. Adeo ut duas has ferias istis diebus solenni jejunio consecratas fuisse, omnes vel inviti fateantur necesse sit.

V. Idem porro ex Tertulliano etiam Clementis æquali certissime evincatur: dicente scilicet, *Quod si nova conditio, (et in Christo sepulti perseverant,) jam nova et sollemnia esse debebunt, aut si omnem in totum devotionem temporum et*

Orig. in Levit.
Hom. x.
[Op. tom. ii.
p. 246, D.]

Clem. Alex.
Strom. lib.
vii. [cap. 12,]
p. 744,
[Paris. 877,
Potter.]

Tertull. de
Jej. cap. xiv.
[p. 552, B.]

dierum, et mensium et annorum erasit Apostolus, cur Pascha celebramus (in) annuo circulo, in mense primo? cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus? cur stationibus quartam et sextam Sabbati dicamus, et jejuniis Parasceven? Ut Pascha igitur et Pentecosten, sic et quartam sextamque hebdomadis cujusque feriam celebrabant istis diebus Christiani, Catholici nimirum, quos hic intelligendos esse inter omnes convenit. In controversiam autem venit, quid per stationes, quibus quartam sextamque dicatas asserit, hoc in loco intelligat Tertullianus? Ex eo enim quod mox addit et jejuniis Parasceven, stationes a jejuniis distinguere videtur. Nos nostram, vel Tertulliani potius, hac in re sententiam paucis expediemus.

VI. Primo itaque negari non potest, hoc aliisque nonnullis Tertulliani locis, aliquid discriminis stationes inter et jejunia poni, ut ubi ait, *Arguunt nos, quod jejunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producimus.*

Tertull. de Jejun. cap. i. [p. 544, B.]

Ibid. cap. xi. [p. 550, B.]
Id. ad Uxor. lib. ii. cap. 4. [p. 168, D.]

Et postea, *Propterea per singulas direximus species jejunationum, xerophagiarum, stationum.* Et alibi, *Ut si statio facienda sit, maritus de die condicat ad balneas: si jejunia observanda sint, maritus eadem die convivium exerceat.* Et iterum, *Tunc [et] fides in expeditione sollicitior et disciplinatio in jejuniis, et stationibus, et orationibus, et humilitate.*

Id. de Fuga in Persecut. cap. i. [p. 536, C.]

In his, inquam, aliisque forsitan nonnullis locis Tertullianus stationes et jejunia aliquantulum distinguit. Alibi tamen nihilominus jejunia stationum nomine appellat, ac si statio idem esset atque jejunium, ut ubi ait, *Jam (et) stationes aut alii [aliis. Prior.] magis faciet quam Christo? aut in [et. Prior.]*

Id. de Coron. Milit. cap. xi. [p. 107, B.]

Cap. iii. [p. 102, A.]

Dominico die quando nec Christo? quoniam scilicet, ut ibidem ait, die Dominico jejunium nefas ducimus. Et alibi de jejuniis verba habens, *Quia et Daniel, inquit, rursus trium hebdomadam statione aruit victum, [victu. Prior.]* Multo autem manifestius libro de jejuniis, ubi plurima ex Veteri Testamento de jejuniis exempla profert, ut stationes ad vesperam usque producendas esse probet. Inter alia de jejunio a Saule indicto loquens ait, *Tantum autem Deus præstitit auctoritatem*

Id. de Anima, cap. xlviii. [p. 300, B.]

Id. de Jejun. cap. x. [p. 550, A.]

edicto stationis illius, ut Jonathan filius Saulis, quanquam ignarus jejunationis in serum definitæ, gustum mellis admiserat, et sorte mox de delicto sit traductus, et vix per precem populi periculo (sit) exemptus. Ubi statio aliud quam jejunium

significare nequit. Eadem notione usitatum est hoc vocabulum et ante et post Tertullianum; ante quidem in Hermæ Pastore, *Quid est, inquit, statio? et dixi jejunium.* Et post in Sermonibus D. Ambrosio attributis, *Castra enim nobis sunt nostra jejunia, quæ nōs a diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quod stantes ac commorantes in iis inimicos insidiantes [inimicorum insidias, Ben.] repellamus.*

Herm. Past.
lib. iii. simil.
5, [cap. i.
Cot. Pat. Ap.
tom. i. p.
103.]
Ambros.
Serm. xxv.
[xxi. Ben.
Op. tom. ii.
Append. col.
418, A.]

VII. Qui hæc legit, et diligenter inter sese confert, dubitare nequit, quin in Ecclesiæ primitivæ atque ipsius etiam Tertulliani notitia statio jejunium esset, ita tamen ut ab aliis Ecclesiæ jejuniis aliquo modo discreparet. Nimirum duplex jejunium ab Ecclesia primitiva observatum fuit. Unum longius, usque ad vesperam productum; alterum brevius, ut hora nona ab exortu solis, hoc est tertia pomeridiana, solutum. Hoc posterius stationis etiam nomine indigitatum fuit, eo quod per totum istud tempus, ab exortu scilicet solis usque ad horam nonam, in sacris obeundis persistere, seque jejunos exercere consueti essent. Quale fere exercitium Judæi etiam *ἡμερα* stationem appellarunt. Ac propterea vox ista e synagoga Judaica in Ecclesiam Christianam translata videtur. Hoc vero jejunii genus apud primitivos Christianos quartæ sextæque feriæ peculiare fuit. Quadragesimale enim, aliaque ecclesiastica auctoritate indicta jejunia usque ad vesperam producta sunt. Hæc autem quartæ sextæque per singulas septimanas redeuntia jejunia hora nona solvere solenne fuit. Epiphanius, *Τετράδι δὲ, καὶ ἐν προσαββάτῳ ἐν νηστείᾳ ἕως ὄρας ἐνάτης, Quarta autem sextaque feria jejunium usque ad horam nonam celebratum.* Et paulo post, *Καὶ δι' ὅλου μὲν τοῦ ἔτους ἡ νηστεία φυλάττεται ἐν τῇ αὐτῇ ἀγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, φημι δὲ τετράδι, καὶ προσαββάτῳ, ἕως ὄρας ἐνάτης, δίχα μόνης τῆς Πεντηκοστῆς ὅλης τῶν πενήτην ἡμερῶν. Porro istiusmodi jejunium per totum annum in Sancta Catholica Ecclesia diligenter observatur, quarta, dico, sextaque feria usque ad horam nonam, exceptis quinquaginta Pentecostes diebus.* Et, ne plura in re adeo luculenta congeram testimonia, idem ex ipso Tertulliano constat dicente, *Æque stationes nostras, ut indignas, quasdam vero et in serum constitutas novitatis nomine incusant. Hoc quoque munus et ex arbitrio obeundum esse dicentes, et non ultra nonam detinendum, de suo (Catholicorum) scilicet more.* Et paulo post, *Non quasi*

Expos. Fid.
num. 22.
[Op. tom. i.
p. 1104, C.]

[Ib. pp. 1104,
D, 1105, A.]

[De Jej.
cap. x. p. 549,
B.]

[P. 549, C.]

respuamus nonam, cui et quarta sabbati et sexta plurimum fungimur. Et mox rationem reddit, quare ad istam horam dictis feriis jejunatum est, Itaque in eam, inquit, usque horam celebranda pressura est, in qua a sexta contenebratus orbis, defuncto Domino, lugubre fecit officium, ut tunc et nos revertamur ad jucunditatem, cum et mundus recepit claritatem. Hinc itaque ratio constat, quare Tertullianus stationes et jejunia alias distinguat, alias autem eadem faciat. Eadem nimirum facit, quoniam in utrisque jejunatum est. Distinguit autem quod alia jejunia non nisi vespere, stationes vero hora nona solverentur. Unde et stationum semijejunia ab eodem appellentur. Hinc etiam constat, quare idem in verbis primo citatis dicat, Quartam sextamque Sabbati stationibus dicatam esse, Parasceven autem jejuniis. Eo scilicet quod quarta sextaque feria ad horam duntaxat nonam, Parasceve autem, hoc est, Tertulliani notione, sexta festum paschale antecedente, usque ad vesperam jejunatum est. Hinc denique constat Ecclesiam primitivam quarta sextaque hebdomadis cujusque feria per totum annum, excepta Pentecoste, religiose jejunasse, si vel Origeni, vel Clementi Alexandrino, vel Tertulliano ulla habeatur fides, hoc est, si quid in omni antiquitate ecclesiastica pro certo habeatur.

Tertull. de
Jejun. cap. x.
[p. 549, D.]

Ibid. cap.
xiii. [p. 551,
B.]

[Ibid. cap.
xiv. p. 552,
B.]

VIII. Quid contra hæc gravissima veterum testimonia excipi potest, ipse quidem non video. Nec vidit quicquam Cl. vir Jo. Dallæus, utpote qui contra Clementis Alexandrini testimonium nihil omnino objecit, nihil etiam contra ea, quæ ex Tertulliano adduximus, nisi quod dicat proprium et præcipuum stationum ac conventuum finem fuisse orationem, atque deprecationem.¹ *Quod vero, inquit, in iis jejuni ad nonam perstabant, id non per se (quasi in eum proprie finem conveniretur, ut jejunaretur) sed per accidens, ut loquantur, ac præter rei ipsius naturam fiebat. Nimirum cum isti conventus (quarta sextaque feria celebrati,) ante nonam non solverentur, et plerique, imo omnes, qui convenerant, non ante*

Dall. de
Jejun. et
Quadr. lib.
iv. cap. 5, [p.
708.]

¹ [“ Cæterum stationem jejunio minime eo ævo deputatum ex iis, quæ paulo ante ex Tertulliano adduximus, constat; cujus rei duplex ratio videtur. Prior ea, quam nuperrime exposuimus, quod scilicet non ad jejunandum, sed ad orandum per se, ac proprie, statio

fieret. Neque enim si quis negotio aliquo occupatus, id jejunus obit, ideo religioso jejunio fungi dicatur. Altera ratio est, quod illius ævi Christiani,” etc.—Dall. de Jejun. et Quadr. lib. iv. cap. 5, p. 708.]

discederent, quam sumpta Eucharistia, eo accidebat, ut jejuni ad nonam perstarent, quod scilicet nisi a jejunis Eucharistia sumi non soleret. Verumenimvero quicquid fere ab erudito viro hic opponitur, nos ei ultro largimur; quippe qui persuasissimum habemus neminem unquam jejunasse, eo tantum fine, ut jejunaret, nec ullos unquam ecclesiasticos celebratos fuisse conventus, in eum proprie finem ut jejunaretur. Quinetiam primitivi, fateor, Christiani quartis sextisque feriis ad nonam usque perstiterunt jejuni, non eo nomine ut jejunarent, sed ut publicis precibus, sacrisque lectionibus attentius vacarent, ut impetuosum carnis appetitum et concupiscentiam fortius compescerent, ut omnibus pietatis officiis accuratius fungerentur, ut paratiores denique dignioresque redderentur, qui nona circiter hora stationem suam sacrosanctæ Eucharistiæ participatione solverent. Et quidem si hujusmodi jejunium per accidens celebratum dicatur, nullum unquam per se religiose celebratum fuit. Quicquid igitur hic opponitur nos haudquaquam ferit, sed ipsum potius opponentem. Cum fateatur enim primitivos Christianos quarta sextaque per singulas septimanas feria publicos suos conventus usque ad horam nonam celebrasse, et eo usque etiam jejunos perstitisse, eo sane causa sua cadit, et in nostras partes descendit. Dat enim quicquid nos postulamus, vel etiam in hac controversia postulare possumus. Neque enim de jejunandi fine, sed de ipso jejunio disputamus. Quod si duabus illis feriis Tertulliani ætate jejunatum fuerit, ut ille fatetur, nemo dubitare potest, quin jejunia in illis celebrata fuerint, sive, quod idem est, quin habeamus, quicquid in hac causa volumus. Nec moramur alteram illam rationem, qua probare nititur vir eruditus, stationem jejunio minime eo ævo deputatam fuisse, *quod illius scilicet ævi Christiani jejunium non dicerent nisi quod ad vesperam continuabatur, cum stationes nona, tribus ante vesperam horis, solverentur.* Itane vero? Unde, quæso, intelligamus, quid istius ævi Christiani jejunium dicerent, certius quam ex Tertulliano et Clemente Alexandrino, qui isto ævo una ambo claruerunt? At ipse Tertullianus stationes jejunia sæpe vocavit, ut ante demonstratum est. Imo quidem per totum ipsius librum, ‘De jejuniiis adversus Psychicos’ inscriptum, de stationibus agitur. Et in eodem diserte ait, *Possum æque seræ stationis*

[Dall. de
Jejun. et
Quadr. lib.
iv. cap. 5, pp.
708, 709.]

Tert. de Jej.
cap. x. [p.
549, D.]

ex eodem rei ordine statum figere, ut jejunemus ad serum. Et paulo post, *Hæc erit statio sera, quæ ad vesperam jejunans pinguiorem orationem Deo immolat.* Hæccine verba hominis stationes et jejunia ubique distinguentis? vel in stationibus saltem celebrandis jejunatum esse denegantis? Quid etiam si *stationes* postea *semijejunia* appellet? Ideoque nulla prorsus jejunia erant? Semijejunia quidem vocat, ut a majoribus ea distingueret jejuniis, quæ ad vesperam usque continuabantur. Minime tamen exinde sequitur, quin et ipsa jejunia, licet breviora, essent. Imo quidem jejunia proprie dicta, quandoquidem prandium istis diebus non caperetur, neque ante horam nonam, sive tertiam pomeridianam, solveretur jejunium. Unde etiam quas Tertullianus stationibus, easdem Clemens Alexandrinus ferias τῆν νηστείαν, *jejunio*, deputatas, loco supra laudato, asserit. Sed nihil est quod hisce diutius immoremur. Cum enim extra dubium sit, et inter omnes conveniat, quarta sextaque feriis Tertulliani ætate usque ad nonam ab exortu solis horam jejunatum fuisse, sive stationes, sive semijejunia, sive quocunque demum nomine istiusmodi jejunia vocitentur, eodem res redit. Neque Dal-læo vel cuilibet alii litem de nomine unquam movebimus, modo, cum primitiva nostraque Ecclesia, quarta sextaque feriis usque ad nonam jejunandum esse consenserit. Hoc enim totum est, de quo nos contendimus.

IX. Quartam itaque sextamque, per singulas septimanas, ferias initio tertii, imo ante finem secundi seculi, hoc est centum ab ultimo Apostolorum annis nondum elapsis, jejunio dicatas fuisse ex Clemente Alexandrino et Tertulliano, qui istis diebus scripserunt, satis abunde constat. Hi vero de hebdomadicis hisce, ut ita loquar, jejuniis, non ut sua ætate, nec ut paulo ante in Ecclesiam introductis, sed ut cuique notis, ut ubique et ab universa Ecclesia Catholica celebratis meminerunt. Quocirca nemini dubium esse potest, quin multis ante eorum ætatem annis publico Ecclesiæ usu recepta fuissent atque observata. Adeo ut, si quis alius, hic sane ritus ecclesiasticus Apostolicam sibi traditionem merito vindicare possit. Præsertim cum multo etiam ante Tertulliani ætatem haud obscura ejusdem vestigia exstent: in Hermæ scilicet Pastore, ab ipso Tertulliano, necnon a Clemente Alexandrino, aliquoties laudato tanquam antiquo Ec-

[Tert. de Jej.
cap. x. p.
550, B.]

[Cap. xiii. p.
551, B.]

[Clem. Alex.
Strom. lib.
vii. cap. 12,
p. 744, Paris,
877, Potter.]

clesiæ commentario: atque etiam ante eos ab Irenæo, et quidem sub nomine Scripturæ, ut observat Eusebius,² qui ab Herma, quem D. Paulus in fine Epistolæ ad Romanos salutari jubet, conscriptus perhibetur. In hoc antiquissimo sane monumento hæc legimus, *Cum jejunarem, et sederem in monte quodam, et gratias agerem Deo pro omnibus quæ fecerat mecum, video Pastorem illum sedentem juxta me, ac dicentem mihi, Quid tam mane huc venisti? Respondi, quoniam, Domine, stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Et dixi, Jejunium. Et dixit, Quid est illud jejunium? Sicut solebam, inquam, sic jejuno. Et paucis deinde de recto jejunandi modo interjectis, Pastor ille, qui Hermæ apparebat, dicebat ei, *Igitur si custodieris mandata Domini, et adjeceris etiam ad ea stationes has, gaudebis, maxime si secundum mandatum meum servaveris ea. Et paulo post, Si igitur sic consummaveris jejunium tuum, quemadmodum præcipio tibi, erit hostia tua accepta Domino, et scribetur hoc jejunium tuum. Hæc statio sic acta, est bona, hilaris, et accepta a Domino.* Ex hisce verbis observare licet, stationem ab Herma celebratam, eamque stationem jejunium dictam. At vero nullum unquam jejunium a Christianis stationem appellatum legimus, præter ea, quæ quarta sextaque feria observata sunt. Ac proinde veri plusquam simillimum est, Hermam tunc temporis unam ex istis feriis jejunasse, sicut solebat, ut ipse dicit. Ad quam quidem opinionem eo magis propendo, quod jejunium illud summo mane ab eo incœptum esset, quo scilicet tempore quartæ sextæque feriæ jejunia incipere solebant. Atque ex eo denique, quod proximo post seculo istiusmodi sola jejunia stationes a Tertulliano, qui Hermæ Pastorem legerat, appellata sunt. A fide autem alienum est, ut Tertullianus 'stationis' vocabulum alia notione usurparet, quam qua a majoribus suis usitatum fuisse viderat. Quod si ipse Hermas hæc jejunia observavit, haud dubitare fas est, quin ab ipsis Apostolis, quibuscum ille versatus est, tradita atque instituta fuerint. Satis saltem superque ex iis quæ de hisce jejuniis hucusque disseruimus, liquet, ea longe*

Hist. Eccles.
lib. v. cap. 8.

Herm. Past.
lib. iii. simil.
5, [cap. 1.
Cot. Pat. Ap.
tom. i. p.103.]

[Ibid. cap. iii.
ib. p. 104.]

Ibid. [p. 105.]

² [Οὐ μόνον δὲ οἶδιν, ἀλλὰ καὶ ἀπο-
δίχεται τὴν τοῦ Ποιμένος γραφὴν, λίγων
καλῶς οὖν εἶπιν ἢ γραφὴ ἢ λίγουσα, πρῶ-
τον πάντων πιστεύουσι, ὅτι εἷς ἰστίς ὁ Θεός,

ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας, καὶ
τὰ ἰξῆς.—Euseb. Hist. Eccles. lib. v.
cap. 8, p. 220.]

ante tempus Apostolicorum Canonum editioni a nobis assignatum a Christianis Catholicis observata fuisse. Ac proinde haud mirum esse, quod in istis Canonibus commemorentur, quodque in iis sub pœna sanciat, ut clerici saltem, qui in omnibus religionis officiis exemplum aliis præbere debent, ea religiose observent.

FINIS LIBRI TERTII.

TABULA

AUCTORUM ET EDITIONUM,

QUIBUS, IN HOC OPERE ET OPUSCULIS SEQUENTIBUS RECENSENDIS,
USI SUMUS.

- | | |
|---|--|
| <p>Albaspinaei de Vet. Eccl. Ritibus Observ.
Lut. Paris. 1623</p> <p>Allatius, Leo,
de Perp. Consens. Eccl. Occid. et Or.
Col. Agr. 1648
de Ætate et Interst. in col. Ordin.
apud Græcos, Romæ, 1638</p> <p>Alphonsus de Castro, Paris. 1571</p> <p>Amalarius Fortunatus, apud Bibl. Max.
Patr.</p> <p>Ambrosii, S. Opera, Paris. 1686</p> <p>Amphilochius, apud Pan. Can.</p> <p>Aristeni Abbrev. Can., apud Pan. Can.
et Just. Bibl. Jur. Can.</p> <p>Aristotelis Opera, Berol. 1831</p> <p>Arnobius adv. Nationes, Hal. Sax. 1844</p> <p>Athanasii, S. Opera, Paris. 1698</p> <p>Athenagoras, Paris. 1742</p> <p>Augustini Antonii Canones Pœnitentiales,
Augustini, S. Opera, Paris. 1835, seq.</p> <p>Aulus Gellius, Bipont. 1784</p> <p>Balsamon, ap. Pan. Can., et Paris. 1620</p> <p>Barnabas, apud Cot. Pat. Ap.</p> <p>Baronius, Annal. Eccles. Col. Agr. 1609</p> <p>Basilica, a Fabroto, Paris. 1647</p> <p>Basilii, S. Opera, Paris. 1839, seq.</p> <p>Bedæ, Ven. Opera, Lond. 1843</p> <p>Bellarmini Disput. Romæ, 1832, seq.</p> <p>Bellarminus de Script. Eccl. Col. 1684</p> <p>Beveregii Instit. Chronol. Lond. 1669
Συνοδικόν, sive Pandectæ Canonum,
Ox. 1672</p> <p>Bibliotheca Juris Canonici, a Voello et
Justello, Paris. 1661</p> <p>Patrum Maxima, Lugd. 1677
Gallandii, Venet. 1765</p> <p>Blastares de Matrimon. apud Leunc. Jus
Græco-Rom.</p> <p>Blastaris M. Syntagma, apud Pan. Can.</p> <p>Blondellus,
de Sent. S. Hieron. Amst. 1646
de Sibyllis, (lingua Gallica)
Charent. 1649</p> <p>Bovii Const. Apost. Venet. 1563</p> | <p>Cæsarius Arel., apud Gall. Bibl. Patr.</p> <p>Canisii Thes. Monum. Eccl., a Basnage,
Antv. 1725</p> <p>Canones Apost.
a Gent. Herveto, Latine, Paris. 1561
Græce et Latine, Paris. 1620
ab Elia Ehingero, Witeberg. 1614</p> <p>Cassiani Opera. Gazæi,
Francof. et Lips. 1722</p> <p>Cassiodori Divinæ Lectiones, apud Bibl.
Max. Patr.</p> <p>Chamier. de Œcum. Pontif. Gen. 1601</p> <p>Chronicon Saxonicum. Ingram, Ox. 1823</p> <p>Chrysologus Petrus, apud Bibl. Max.
Patr.</p> <p>Chrysostomi, S. Opera. Savilii,
Etonæ, 1613</p> <p>Clemens Alex. Potter, Venet. 1757
Romanus, apud Cot. Patr. Ap.</p> <p>Concilia Generalia,
a Binio, Col. 1618
a Labbæo et Cossartio, Paris. 1671</p> <p>Concilia Galliæ. Sirmondi,
Lut. Paris. 1629
Magnæ Britanniæ. Wilkins,
Lond. 1737</p> <p>Constitutiones Apost. a Turriano,
Venet. 1563</p> <p>Corpus Hist. Byzantinæ. Venet. 1729
Juris Canon. Emend. jussu Greg.
XIII. Col. 1631
Juris Civilis, Col. Munat. 1756</p> <p>Cotelerii Patres Apost. Antv. 1698</p> <p>Cypriani, S. Opera. Fell, Oxon. 1682</p> <p>Cyrilli, S. Alex. Opera. Auberti,
Paris. 1638
S. Hieros. Opera, Paris. 1720</p> <p>Dallæus,
de Cultibus Relig. Lat. Gen. 1671
de Jejun. et Quadr. Daventriæ, 1653
de Pseudep. Apost. Hardervici, 1653</p> <p>Damasceni, Joannis, Opera. Le Quien,
Paris. 1712</p> <p>Dio Cassius. Sturzii, Lips. 1824</p> |
|---|--|

- Diodorus Siculus. Wesselingii, Amst. 1746
- Dionysius Alexandrinus, ap. Pan. Can. Exiguus, apud Concil., et Bibl. Juris Canonici. Halicarnassensis. Reiskii, Lips. 1774
- Dorotheus, apud Gall. Bibl. Patrum.
- Durandi Rationale, Lugd. 1672
- Egberti Excerpta, apud Wilkins Concilia. Epiphani Opera. Petav. et Vales. Col. 1682
- Eusebii Historia Ecclesiastica. Reading, Cant. 1720
- Præp. Evang. Vigeri, Col. 1688
- Evagrii Hist. Eccl. Reading, Cant. 1720
- Fabricii Bibl. Lat. Med. et Inf. Æt. Patavii, 1754
- Genebrardus Gilbertus, Lugd. 1607
- Gothofredus, apud Corpus Jur. Civ.
- Gratiani Decretum, Lugd. 1572
- Gregorii Magni Sacramentarium, Paris. 1642
- Naz. Opera, Paris. 1778-1840
- Tertii Canones Pœnit., apud Concil.
- Turonensis Hist. Francorum. Ruinart. 1699
- Gruteri, Lamb. Clementina, Col. Agr. 1570
- Gulielmus Malmesburiensis, apud Rerum Angl. Scriptores, Francof. 1601
- Halitgarius, apud Canisii Thes.
- Hammondi Opera, Lond. 1684
- Harmenopolus Constantinus, apud Leunclavii Jus Græco-Romanum.
- Hermas, apud Cot. Pat. Ap.
- Hieronymi, S. Opera. Vallarsii, Veronæ, 1735
- Hincmari Remensis Opuscula. Sirmondi, Paris. 1645
- Hippolyti, S. Opera. Fabricii, Hamb. 1716
- Ignatius, apud Cot. Pat. Ap.
- Irenæi, S. Opera. Massuet. Venet. 1734
- Isidorus Hispalensis. Arevalli, Romæ, 1798
- Isidorus Mercator, apud Conc.
- Ivonis Carnotensis Opera, Paris. 1647
- Joannes Antiochenus seu Scholasticus, apud Bibl. Jur. Can.
- Joannes Sarisburiensis, apud Bibl. Max. Patr.
- Josephus. Havercamp. Amst. 1746
- Jus Græco-Romanum, a Leunclavio, Francof. 1596
- Justini Martyris Opera, Paris. 1742
- Justiniani Novellæ. Scrimgeri, 1558
- Lanfranci Ep. apud Wilkins Conc.
- Lactantii Opera. Du Fresnoy, Paris. 1748
- Leonis Africani Africæ Descriptio, Lugd. Bat. 1632
- Leonis, S. Magni Opera. Ballerini, Venet. 1753
- Leontius de Sectis, ap. Gall. Bibl. Patr.
- Lindani Panoplia Evangelica, Col. Agr. 1575
- Livii Historiæ.
- Lorinus in Acta Apost. Lugd. 1605
- Lucianus, Bipont. 1791
- Marca (Petrus de) de Concord. Sacerd. et Imp. Paris. 1669
- Minucius Felix, apud Gall. Bibl. Patr.
- Musculus, Eccl. Hist. Auctores, Basil. 1549
- Nicephori Callisti Hist. Eccl. Paris. 1630
- Nicephori Stichometria, apud Crit. Sacr. Amst. 1698
- Nicephorus Gregoras, apud Corpus Hist. Byz.
- Nicetas Choniates, ap. Corp. Hist. Byz.
- Nilus de Primatu Papæ, Lugd. Bat. 1595
- Notitia Dignitatum, etc., apud Grævii Thes. Ant. Rom. 1698
- Observationes in Annot. Bev. etc., a M. Larroquano, Rothom. 1674
- Origenis Opera. De la Rue, Paris. 1733
- Pachymeres, apud Corpus Hist. Byz.
- Pannormia, seu Decr. Ivon. Carnot. restitut. Lovanii, 1557
- Pausanias. Siebelis, Lips. 1807
- Pearsonii Vind. Ign. apud Cot. Pat. Ap.
- Petavius de Doctrina Temporum, Lut. Paris. 1627
- Petrus Alexandrinus, apud Pan. Can.
- Philo-Judæus. Mangey, Lond. 1742
- Philotheus, apud Leuncl. Jus Græco-Romanum.
- Philostorgius. Reading, Cant. 1720
- Photii Bibliotheca. Bekkeri, Berolini, 1824
- Nomocanon. apud Bibl. Jur. Can.
- Placcii Theatrum Anon. et Pseudon. Hamb. 1708
- Platina de Vitis Pont. Rom. Lovanii, 1572
- Platonis Opera. Bekkeri, Lond. 1826
- Plinii Hist. Nat. Harduini, Paris. 1741
- Epistolæ. Schæferi, Lips. 1805
- Plutarchi Vitæ, Lut. Paris. 1624
- Possevini Apparatus Sacer, Col. 1608
- Prudentii Opera, Parmæ, 1788
- Ptolomæi Alex. Geograph. apud Bertii Theat. Geog. Vet. Amst. 1618
- Rabanus Maurus, Col. Agr. 1626
- Rituale Græcum. Goar. Paris. 1647
- Ruffini Hist. Eccl. Basil. 1535
- Rufi Breviarium, apud Hist. Rom. Ep. Amst. 1647
- Salmeronis Alfonsi Commentarius, Col. Agr. 1604
- Scaliger de Emend. Temp. Genevæ, 1629
- Sibyllina Carmina, ap. Gall. Bibl. Patr.
- Sixti Senensis Bibl. Sacra, Col. Agr. 1626
- Socrates. Reading, Cant. 1720

- Solini Julii Polyhistor. Stephani, 1577
 Sozomenus. Reading, Cant. 1720
 Strabonis Opera. Falconer, Ox. 1807
 Tacitus.
 Tertullianus. Priorii, Lut. Paris. 1675
 Theodreti Hist. Eccl. Reading,
 Cant. 1720
 Opera. Schulzii,
 Halæ Sax. 1769
- Theophilus Alexandrinus, ap. S. Hieron.
 Theophilus Antiochenus, Paris. 1742
 Turrianus, pro Canonibus Apost.
 Florent. 1572
 Usserius de Ignatio, apud Cot. Pat. Ap.
 Vincentii Lirin. Comm. apud Gall. Bibl.
 Patr.
 Zonaras, Paris. 1618, et apud Pan. Can.

INDEX AUCTORUM.

- Abulpharagius, ii. 197
 Albaspinæus de Vet. Eccl. Rit. lib. i.
 Obs. 13, i. xxix, 214; ii. 100
 Alexander Alexandrinus, apud Euseb.
 i. 69, 150
 Amalarius Fortunatus, de Off. Eccl. iv.
 37, ii. 219
 Ambrosius, S.,
 de Noe et Arca, cap. 13, ii. 212
 de Sacramentis, v. 4, ii. 24
 in Evang. Lucæ, i. 28, ii. 12
 iv. 15, ii. 212
 in Psalm. cxviii. Serm. 8, ii. 307
 Serm. xxi. (suppos.) ii. 317
 xxxvii. (suppos.) ii. 293
 in 1 Tim. iii. (suppos.) ii. 30
 Amphilocheus, ii. 143
 Aristenus, Alex.
 in Can. Ap. i. i. 59
 in Conc. C. P. provinc. i. 159
 Aristoteles *περί θαυμ. ἀκουσμ.* sect. 95,
 i. 188
 Arnobius adv. Gentes, vi. 1, ii. 150
 Athanasius, S.
 Apol. contr. Arian. cap. 29, i. 46
 36, i. 72
 69, i. 24
 Apol. de Fuga, cap. 6, ii. 238
 24, ii. 255
 Apol. prim. ad Constant. cap. 15,
 ii. 238, 239
 Encycl. ad Episc. Ep. cap. 1, i. 22, 23
 cap. 4, ii. 114, 237
 Ep. ad Dracont. cap. 3, ii. 186
 Ep. Festalis, ii. 129
 Hist. Ar. ad Monach. cap. 10, i. 72
 14, i. 73
 28, ii. 33
 65, ii. 237
 Synops. Sacr. Script. cap. 74,
 ii. 128, 142
 cap. 76, ii. 128
 Augustinus, S.,
 contr. sec. Gaud. Epist. i. 38, ii. 126
- Augustinus, S.,
 de Baptismo contr. Don. iii. 15, ii. 192
 iv. 6, i. 16
 iv. 24, ii. 299
 vi. 25, ii. 192
 de Bono Conjug. c. 18, ii. 30
 de Civit. Dei, xviii. 36, ii. 126
 Ep. xxxvi. Ben. (al. lxxxvi.)
 ii. 293, 307, 313
 xliii. (al. clxii.) ii. 55
 liv. (al. cxviii.) ii. 26, 111, 300
 lv. (al. cxix.) ii. 56, 294, 300,
 304, 306
 Serm. ccvii. ii. 307
 Aulus Gellius, Noctes Att. xii. 13, ii. 270
- Balsamon, i. 26, 59, 66, 76, 93, 159, 208
 Baronius, ii. 107
 Basiliius, S.,
 de Spiritu Sancto, cap. xxvii.
 ii. 88, 89, 97
 Ep. xciii. Ben. (al. cclxxxix.) ii. 24, 311
 clxxxviii. (al. i.) i. 25, 26, 27, 113;
 ii. 193, 194, 195
 Ep. cxcix. (al. ii.) ii. 194, 195
 Hom. ii. de Jej. ii. 295, 307
 Beda (Ven.),
 Hist. Ang. i. 25, ii. 74, 75
 i. 35, ii. 75
 ii. 3, ii. 75
 de Remed. Peccat. cap. 14, ii. 107
 Bellarminus, Rob.,
 de Bonis Operib. ii. 14, ii. 275
 de Rom. Pont. ii. 27, ii. 107
 Beveregius,
 Præf. ad Annot. in Pan. Can. i. 17,
 20, 137, 173, 175, 202,
 206, 212, 214, 218,
 219, 221, 225, 228
 Annot. in Can. Ap. i. ii. 7
 ii. ii. 9
 iii. ii. 12
 xvii. ii. 30
 xxi-xxiv. ii. 32
 xl. i. 66

- Beveregius,
 Annot. in Can. Ap. lxiii. ii. 105, 106
 in Can. Nic. xvi. i. 33, 34
 xix. ii. 197
 in Can. Const. v. i. 208, 209
 vii. ii. 92
 in Can. Chalc. i. i. 64, 65
 xxii. i. 66
 in Præf. Can. Laod. ii. 203, 204
 in Can. Trull. i. 93, 94, 95, 96
- Binius in Can. Ap. lxiii. ii. 107, 108
- Blastares, M., Synt. Alph. ii. 129, 130
- Blondellus,
 Apol. pro Sent. Hier. i. xxix, 9
 de Sibyllis, i. 10, i. 182
 ii. 5, i. 178
 ii. 6, i. 178, 179
 ii. 7, i. 178
- Bovius, Const. Ap. i. 228
- Bruckeri Hist. Crit. Phil. ii. 261
- Cæsarius Arelat.
 Hom. ii. de Paschate, ii. 293
- Cassianus,
 Collat. xxi. 24, ii. 225
 25, ii. 226
 28, ii. 225
 Inst. ii. 5, ii. 260
- Chamierius,
 de Œcum. Pont. ii. 3, i. 215, 216
 vi. 1, i. 216
- Chronicon Sax. ii. 76
- Chrysologus, Petrus,
 Serm. ix. ii. 294
 clxvi. ii. 294
- Chrysostomus, S.
 Hom. iii. in Eph. ii. 25, 26
 Hom. i. in Philip. ii. 171
 Hom. xv. in 1 Tim. ii. 64
- Cicero,
 de Div. i. 18, et ii. 54, i. 188
 in Verrem, Act. ii. i. 188
 Tusc. Quæst. i. 15, i. xvii
- Clemens Alex.
 Instit. lib. vi. apud Euseb. ii. 173
 Pædag. iii. 3, ii. 105, 106
 iii. 12, ii. 159
 Stromata, i. 1, ii. 23
 i. 29, i. 106
 ii. 9, ii. 104
 iii. 9, ii. 104
 iii. 13, ii. 104
 vi. 5, i. 183, 184
 vi. 13, ii. 155
 vii. 12, ii. 315, 320
- Clemens Rom.
 Ep. i. ad Corinth. cap. 1, ii. 168
 cap. 21, ii. 168
 cap. 40, ii. 147, 151, 168
 cap. 41, ii. 168
 cap. 42, ii. 170
 Ep. (spuria) ad S. Jacobum, ii. 82
- Constitut. Apost. Præf. ad lib. i. ii. 130
 ii. 12, ii. 130
 v. 13, ii. 209
 v. 15, ii. 313
 v. 17, ii. 135
 v. 18, ii. 256, 266, 279
 vii. 23, ii. 313
 viii. 30, ii. 13
- Cornelius Papa, apud Euseb. Hist. Eccl.
 vi. 43, ii. 148, 162
- Cotelerius,
 Jud. de Const. Ap. ii. 130
 ad Const. Ap. v. 17, ii. 135
 Judicium de Epist. S. Barn. ii. 139
 de post. Ep. S. Clem. i. 183, 184, 186; ii. 138
- Cyprianus,
 Ep. i. Fell. (al. lxvi.) i. 16
 ii. (al. lxi.) ii. 57
 iii. (al. lxv.) ii. 58, 186
 xxix. (al. xxiv.) ii. 10, 148
 xxx. (al. xxxi.) i. 126; ii. 163
 xxxiii. (al. xxvii.) ii. 186
 xxxix. (al. xxxiv.) ii. 10
 xliii. (al. xl.) ii. 149
 xlv. (al. xlii.) ii. 149
 xlvii. (al. xlv.) ii. 52
 lv. (al. lii.) i. 16; ii. 102
 lix. (al. lv.) i. 215; ii. 124, 149, 186
 lxiii. ii. 149
 lxiv. (al. lix.) ii. 57
 lxv. (al. lxiv.) ii. 149
 lxvi. (al. lxix.) ii. 186
 lxx. ii. 57, 190
 lxxi. ii. 52, 58
 lxxiii. i. 16, 27; ii. 51, 58, 94, 189
 lxxiv. ii. 95
 de Orat. Dom. ii. 23
 Testim. ad Quirin. ii. 125
- Cyrillus, Alex., Homil. Paschales, ii. 295
- Cyrillus, Hier. Catech. x. ii. 248
- Dallæus,
 de Cult. Relig. Lat. i. 13, i. xxxiv
 i. 17, i. xxxiv
 ii. 1, i. xxxiii
 ii. 3, i. xxxv
 ii. 38, i. xxxv
 vi. 1, i. xxxiv
 de Duobus ex Unct. Sacr. i. xxxv
 de Jejun. et Quadr. liber, i. xxxiii;
 ii. 112
 ii. 1, ii. 307
 ii. 4, ii. 249, 251
 ii. 18, ii. 293
 iii. 2, ii. 287, 288, 289, 290
 iii. 3, ii. 299, 300
 iii. 4, ii. 271
 iii. 7, ii. 268, 275, 276
 iii. 9, ii. 205, 207, 209, 210, 216,
 217, 218, 219, 220, 224, 227, 228,
 229, 230, 237, 238, 239, 259

- Dallæus,**
 de Jejun. et Quadr. liber,
 iii. 10, ii. 201, 204
 iv. 5, ii. 318, 319
 de Pseudepigr. Apost. i. 4
 i. 10, i. xxxvi
 ii. 9, 10, ii. 108
 iii. 1, ii. 136
 iii. 2, i. 90, 173
 iii. 3, i. 101, 102, 103
 iii. 3, 4, i. 98
 iii. 8, i. 118, 119, 120, 122,
 123, 128, 129, 134,
 136; ii. 33
 iii. 9, i. 110, 111, 115, 116, 145
 iii. 10, i. 146, 147, 170, 175
 iii. 12, ii. 100, 103, 106, 107, 108
 iii. 12-17, ii. 3
 iii. 13, ii. 113, 115, 117, 121, 207
 iii. 14, ii. 7, 10
 iii. 15, ii. 17, 19
 iii. 16, ii. 30
 iii. 17, i. xxxv; ii. 31, 33, 34, 35,
 36, 40, 87, 88, 89, 90,
 91, 92, 96
 iii. 18, ii. 145, 146, 154, 189,
 191, 197
 iii. 19, i. 65; ii. 199
 iii. 20, ii. 199, 200
 iii. 21, i. xxx, 20, 99, 206, 218,
 219, 224, 230
 de Scriptis Dionys. Areop. et Ignat.
 Antioch. i. xxxvi
Dio Cassius, lvii. 18, i. 188
 lx. 9, ii. 53
Diod. Siculus,
 Excerpt. e lib. xxxiv. i. 188
Dionysius Alex.
 apud Euseb. i. 125; ii. 158
 Ep. Can. ad Basilidem, ii. 265
Dionysius Corinth. apud Euseb.
 ii. 103, 138, 164
Dionysius Exiguus, i. 17, 41, 66, 84,
 112, 230
Dionysius Hal.
 Ant. Rom. i. 31, ii. 253
 iv. 62, i. 188, 189
Dorotheus Archimandrita, ii. 296
Du Cangii Glossarium, ii. 118
Durandi Rationale, vi. 32, ii. 220
Egberti Excerpta, ap. Wilk. Conc. ii. 30
Epiphanius,
 Exp. Fid. Cath. ii. 30, 114, 257,
 266, 267, 279, 312, 317
 Hær. xvii. (Carpocr.) ii. 137
 xxix. (Nazar.) ii. 247, 248, 249
 xxx. (Ebion.) ii. 137
 xlii. (Marcion.) i. 151, 153; ii. 109
 lviii. (Vales.) ii. 31
 lxiv. (Origen.) ii. 32
 lxix. (Arian.) ii. 238
 lxx. (Aud.) ii. 131, 134, 135, 266
Epiphanius,
 Hær. lxxv. (Aerian.) ii. 131, 172, 256,
 266, 312
 lxxx. (Massal.) ii. 132
 Serm. in Fest. Palm. ii. 266
Eusebius,
 Hist. Eccl. ii. 1, ii. 173
 ii. 17, ii. 240, 241, 245,
 250, 251, 257, 279
 ii. 22, ii. 164
 ii. 23, ii. 173
 ii. 24, ii. 164
 iii. 4, ii. 64
 iii. 10, ii. 126
 iii. 16, ii. 137
 iii. 21, ii. 164
 iii. 23, ii. 70
 iii. 24, ii. 142
 iii. 25, ii. 128, 143
 iii. 31, ii. 127, 128
 iii. 36, ii. 164
 iii. 38, ii. 137
 iii. 39, i. 18; ii. 143
 iv. 1, ii. 164
 iv. 4, ii. 164
 iv. 5, ii. 164
 iv. 14, ii. 163
 iv. 20, ii. 164
 iv. 22, ii. 165
 iv. 23, ii. 44, 51, 103, 165
 v. 1, ii. 47, 48, 106, 166
 v. 4, ii. 166, 167
 v. 5, ii. 47, 48, 167
 v. 6, ii. 162
 v. 8, ii. 321
 v. 15, ii. 162, 167
 v. 22, ii. 50
 v. 23, i. 13, 14, 15; ii. 17,
 43, 46, 47, 48,
 49, 272, 274
 v. 24, i. 18; ii. 49, 50,
 166, 275
 v. 28, ii. 197, 254
 vi. 6, ii. 32
 vi. 9, ii. 114
 vi. 10, i. 142
 vi. 11, i. 142, 143
 vi. 13, i. 18
 vi. 14, ii. 139
 vi. 19, ii. 166
 vi. 25, ii. 124
 vi. 43, i. 16; ii. 10, 162
 vi. 44, i. 145
 vii. 7, ii. 167
 vii. 27, ii. 197
 vii. 30, ii. 117, 197
 de Vita Const. iii. 18, ii. 263
 iii. 61, i. 70, 154
 Præp. Evang. ix. 15, i. 187
Evagrius, Hist. Eccl. i. 12, i. 77
 iv. 38, i. 85
Eutychius, ii. 197

- Fabricii Bibl. Lat. Med. et Inf. Ætat. ii. 74
 Fenestella, apud Lactant. i. 190
 Fletus de Eccles. Westmonast. ii. 74
- Gelasii Decretum, i. 98, 106
 Goar, Rituale Græcum, ii. 14
 Gothofredus in Theodosii Leges, i. 78
 Grabii Spicilegium, i. 185
 Gregorii Magni Sacramentarium, ii. 15
 Gregorius Nazianz. Carm. xii. ii. 143
 Carm. xxxiv. ii. 213
 Ep. lxi. (al. lxxx.) ii. 14
 Orat. xl. 30, ii. 271
 Orat. xlv. 2, ii. 271
 Gregorius Tert. P. Rom. Can. Pœnit. ii. 107
 Turon. Hist. Franc. i. 26, 27, ii. 166
- Gruterus, Lamb. Præf. ad Clementina, i. xxviii
 Gul. Malmesbur. ii. 83
 Gunning de Jejunio Antep. (Lent fast), i. xxx
- Halitgarii Ant. Pœnit. Rom. ii. 107
 Hammond, Answer to the Animadversions, &c. i. xxix
 Hegesippus, apud Euseb. Hist. Eccl. ii. 165, 167, 173
- Hermæ Pastor, iii. 5, ii. 257, 317, 321
 Hermogenianus, apud Just. Pand. ii. 41
 Hervetus, Gentianus, i. 66, 93
 Hieronymus,
 Ep. xli. Vall. (al. liv.) ii. 217, 219, 287, 289, 290, 292, 305
 xlviii. ii. 24
 lii. (al. ii.) ii. 308
 lxxi. (al. xxviii.) i. 169; ii. 289
 cxxiii. ii. 30
 cxlvi. (al. lxxxv.) ii. 169
 adv. Jov. i. 12, ii. 137
 i. 14, ii. 30
 ii. 14, ii. 246
 adv. Vigil. cap. 8, ii. 113
 in Jonam, cap. 3, ii. 213
 in Ep. ad Galat. ii. 4, ii. 290, 291, 311
 Præfat. ad Prov. ii. 126
 Versio S. Scripturæ, i. 112
 de Viris Illustr. cap. 8, ii. 182
 cap. 11, ii. 246
 cap. 15, ii. 137, 182
 cap. 16, ii. 182
 cap. 17, ii. 182
 cap. 20, ii. 182
 cap. 35, ii. 167
 cap. 69, ii. 167
- Hincmarus Rem. Opusc. xxxiii. i. 19, 100, 101
 Paschasinus sedis Romanæ legatus in Conc. Chalc. i. 64
 Passionis Christi commemoratio non expresse in Scriptura præscribitur, i. xvii; ii. 300
 Pastoris liber. Vide Hermam.
 Patrum legendorum usus, i. xviii; ii in variis religionis capitibus errarunt, i. xxii; inter se in pluribus dissentiunt, i. xxii; eorum errores et dissensiones non impediunt, quin testimonium illorum magni sit momenti, i. xxii; illorum dissensio magis confirmat ea in quibus consentiunt, i. xxii, xxiii
 Patriarchæ nomen quo tempore in Ecclesiam introductum, ii. 73
 Paulianistæ rebaptizandi, ii. 196; unde sic dicti, ii. 197; eorum blasphemia, ii. 197
 Paulus, S. Sibyllinos libros legisse videtur, i. 183, seq.; in Ecclesiis constituendis et Epistolis scribendis ad Imperii dispositionem respexit, ii. 61, 62, 63, 64, 65; ejus Epistolæ ad Episcopos cujusque Ecclesiæ scriptæ, ii. 64; per occasionem scriptæ, ii. 177; Sacras Scripturas allegorice nonnunquam interpretatur, ii. 251
 Paulus fidei Nicœnæ assertor, i. 48; Ecclesiæ C.P. Episcopus creatus, i. 48, 51; sine Metropolitanæ auctoritate, i. 51; eum sede C.P. dejicere conantur Ariani et Macedoniani, i. 51; ab iis throno sæpe expulsus, i. 51
 Paulus Samosatensis Antiochenæ Ecclesiæ præsul, ii. 107; ejus crimen et condemnatio, ii. 117; Episcopus et Ducenarius, ii. 118; Artemonis et Theodoti hæresin renovat, ii. 197
 Pearsonius quid senserit de Canonibus Apostolicis, i. xxxi; a Larroquano impugnatus, i. 5; Ignatii auctoritatem magni habet, i. 6; Gelasii Concilium nunquam habitum fuisse probat, i. 100; Epist. Ignatianas vindicat, ii. 163
 Peccatum unum duobus suppliciis non puniendum, i. 25, 111, seq.
 Pentecoste quid significet, ii. 146, 151, 232, 233; hanc vocem Apostolis alienam esse contēdit Dallæus, ii. 146; hoc anni tempore stantes orabant, ii. 97; a jejuniis Ecclesiæ primitivæ excepta, ii. 312, 317, 318; ejus quarta hebdomade Concilium anniversarium celebratur, i. 40; ii. 233
 Pepuzenorum baptismus non admissus, ii. 194
 Perjurium causa legitima depositionis clericorum, non segregationis, i. 25, 111
 Petri prædicationis liber, i. 183; Revelatio Petri spuria habita, ii. 128
 Phamenoth mensis Ægyptiacus, ii. 213
 Pharmuthi mensis Ægyptius, ii. 213
 Philo-Judæus de Therapeutis mirabilia narrat, ii. 239; ea de Christianis intelligenda, ii. 240, seq.; nonnullis Apostolorum coetaneus, ii. 242; allegorice legem explicat, ii. 250
 Photius Patriarcha dubitavit, an Can. Ap. ab ipsis Apostolis sanciti fuerint, i. 93
 Photii et Eustathii causa judicata, ii. 78
 Pius, Romæ Epis. Hyginis successor, ii. 162
 Plinius de Christianorum moribus, ii. 23, 115, 252
 Pœnitens clericus ut laicus receptus, ii. 100; de pœnitentibus recipiendis leges aliæ aliis temporibus, ii. 100-103
 Polycarpus cum Joanne et Apostolis conversatus est, i. 18; ii. 285; Pascha celebravit aliter ac Anicetus, i. 18; ii. 285; ab Apostolis constitutus Episcopus Smyrnæ, ii. 6, 163; presbyteros habuit sibi subjectos, ii. 163
 Polycrates Episcoporum Asiæ præses, ii. 17, 18, 50; ejus cum Victore de die Paschatis controversia, i. 18; ii. 17, 50, 274, 275; ad Victorem Epistola, i. 18; ii. 274, 275
 Ponticum Concilium. Vide Concilium.
 Popularis electio Episcoporum sine Metropolitanæ consensu invalida, i. 50
 Pothinus Episcopus Lugdunensis, ii. 166
 Præcepta majorum quid sint, ii. 289
 Præfectura urbis quousque extendebatur, ii. 62, 63
 Praxeani Trinitatem negabant, ii. 94; trinam mersionem in baptismo non admittebant, ii. 94; baptismi corruptores, ii. 191
 Presbyter ante venum Æquinoctium Pascha celebrans deponendus, i. 15; ii. 17; seculares curas suscipiens deponendus, i. 15; ii. 17, 117; conversos pœnitentes non recipiens deponendus, i. 16; hæreticorum recipiens baptismum aut sacrificium deponendus, i. 16, 27; ii. 188; fornicationis, perjurii, vel furti

- convictus deponitur, non segregatur, i. 25, 111; digamus non esse potest, i. 26, 78; ii. 29, 30, 160; ab Episcopo suo segregatus, ab aliis non suscipiendus, i. 30; sine examinatione promotus non admittendus, i. 31; suam relinquens parochiam amplius non celebret, i. 33; oblationum Ecclesiae dispensatores, i. 43, 55; depositus cui iudicio subiciatur, i. 49; seorsim conventum congregans deponendus, i. 54; a vino propter abominationem abstinens deponendus, i. 54; Quadragesimam non jejunans deponendus, i. 55; ii. 201; ab uno Episcopo ordinandus, ii. 9; ne cauponam ingrediatur, ii. 11; uxores ejicere non potest religionis prae-textu, ii. 16; communicare debet, facta oblatione, ii. 19; verberans vel fidelem, vel infidelem, deponendus, ii. 36; baptizans in nomine Christi tantum deponendus, ii. 81; magistratum exercens deponendus, ii. 117; baptizare non debet sine Episcopi auctoritate, ii. 157; poenitentes non recipiens deponendus, ii. 180; de integro baptizans deponendus, ii. 188; feriam quartam et Parasceven non jejunans deponendus, ii. 311
- Presbyteri nonnulli Episcopi facti, ii. 166; eorum cum Judaicis sacerdotibus conformitas, ii. 169, 174; sub diaconorum nomine comprehensi, ii. 171; eorum necessitas a multitudine fidelium, ii. 172
- Presbyteri et Episcopi distinctio. Vide Episcopum.
- Presbyteri Romani, post mortem Fabiani Romae Episcopi, nihil de lapsis statuere tentant, ii. 163
- Presbyterium a Paulo memoratum (1 Tim. iv. 14), quid significet, ii. 7; a Theodoro explicatum, ii. 8
- Presbyterani in primos Christianos injurii, ii. 183
- Primae sedes. Vide Metropoles.
- Primatus Episcoporum. Vide Metropolitanum.
- Primitiae fructuum Episcopis debitae, i. 43, 55; ii. 12; earum quinam dispensatores, i. 43, 55; ii. 13; earum oblatio ante legem caeremonialem instituta, ii. 12; ad Episcopum missae, non ad altare oblatae, ii. 12; offerri solitae in Ecclesia primitiva, ii. 13; ad eas quaedam res pertinent, ii. 13, 14; ab iis clericis alendi, ii. 13; in iis offerendis orationis formula, ii. 14
- Privilegia Ecclesiis quibusdam a Conc. Nic. confirmata, ii. 40, 41
- Provincia, sive *παρχία*, plurium parocciarum, sive dioecesium, aggregatio, ii. 48
- Prudentius de ornamentis Ecclesiae, ii. 116
- Psychicos Tertullianus Catholicos vocat, ii. 109, 269, 272
- Publius Atheniensis Episcopus, ii. 65
- Quadragesima antiquitus tradita, i. 55; ab Eustathianis neglecta, i. 55; ante eam Concilium anniversarium celebrabatur, i. 41, 42; ii. 210, seq.; ad quem finem, ii. 210, seq.; a Concilio Nicæno memorata, tanquam ab omnibus cognita, ii. 205, 216; tres a Montanistis celebratae, ii. 217, 287; decimatio totius anni, ii. 225, 226, 296; hæc vox determinata in Ecclesiae sensu, ii. 216, 222; postea communis omnibus jejuniis anniversariis, ii. 219, 220; secundum Dallæum, non a XL diebus, sed a XL horis derivata, ii. 227; ea opinio refutatur, ii. 228; hoc nomen Christi jejunio nunquam datum, ii. 230; ejus verum et genuinum etymon, ii. 231, seq. Vide quoque Jejunium Quadragesimale.
- Quadratus Atheniensis Episcopus, ii. 165
- Quintillianistae baptismi corruptores, ii. 191
- Regimen Ecclesiae idem in omnibus Ecclesiis Apostolicis, ii. 184
- Religio Christiana in omnes terrarum fines diffusa, i. xvi; quaedam ejus capita omnibus Christianis communia, i. xvii
- Resurrectionis Christi hora jejunium solvendum, ii. 265; ea hora ab Evangelistis non determinata, ii. 265
- Resurrectio Christi quotannis celebrata, i. xvii; ii. 300; in Sacris Scripturis non præcepta, i. xvii; ii. 300; ab Ecclesiis omnibus observata, i. xviii; ii. 300; non a Conciliis, sed ab Apostolis instituta, ii. 300
- Rheginus Constantiae Episcopus, i. 75, 169; Episcoporum Cypri nomine libellum Patribus Ephesinis obtulit, i. 75, 169; de Canonibus Apostolicis violatis queritur, i. 75, 169
- Rigaltii conjectura de nomine Quadragesimae, ii. 229
- Ritus plurimi ab omnibus Christianis observati, quorum lex in Scriptura non exprimitur, i. xvii; ii. 88, 97, 300
- Rogatianus Epis. ad primatem suum de diacono suo conqueritur, ii. 58; ejus humilitas a Cypriano laudata, ii. 58
- Romana Ecclesia Sabbato jejunare solita, ii. 110, 222; ejus severitas ac temeritas, ii. 166, 275; propter diversitatem in Paschate celebrando omnes Asiae Ecclesias proscribere conatur, ii. 166, 275; baptismum hæreticorum recipit, ii. 191
- Romanum Concilium. Vide Concilium.

- Sabbati jejunium. Vide Jejunium.
 Sabbatum Magnum. Vide Jejunium.
 Sacerdotalia munera laicis injuncta ab hæreticis, ii. 148
 Sacramentum. Vide Eucharistiam.
 Sacrificium de Eucharistia usurpatum, ii. 148; quotidianum quid sit, ii. 25
 Sanguinis et suffocatorum usus prohibitus, ii. 105; ab Apostolis, ii. 105; eis vesci Orientalibus Christianis religio est, ii. 106; hæc prohibitio unum est ex septem Noachidarum præceptis, ii. 106
 Salvatores tres passos esse e tribus Montanistarum jejuniis concludi potest, ii. 217, 287
 Sanctio quid sit, i. 140; a Constantino memorata quid sit, i. 155, seq.
 Sardicenses Canones. Vide Canones.
 Sardicense Concilium. Vide Concilium.
 Savilii de loco Irenæi controverso sententia, ii. 278
 Saxones ad fidem conversi, ii. 75
 Scaliger Therapeutas eosdem ac Essenos fuisse contendit, ii. 242
 Schisma quid sit, ii. 194; ab hæresi distinctum, ii. 194; eorum origo, i. xv.
 Scriptura Sacra est clarissima in iis, quæ sunt ad salutem necessaria, i. xvi; in iis quæ disciplinam spectant est minus intellecta, i. xvi; eam divinitus inspiratam esse omnes Christiani consentiunt, i. xvi
 Scripta de inventione crucis et capitis Joannis Baptistæ inter libros authenticos recensita, i. 107
 Scrupuli Christianorum circa jejunia, ii. 265; Basilidis, ii. 265
 Segregandi quinam sint, i. 24, 30, 36, 44, 70; ii. 16, 19, 34, 105
 Seguerii manuscriptus, i. 230
 Serapion, Alexandriae senex, in persecutione lapsus, ii. 158; ei moribundo, et enixe roganti Eucharistia affertur, ii. 158
 Sibyllini libri antiquiores quam Blondellus opinatus est, i. 178, seq.; tempore Justiniani in toto orbe exstabant, i. 179, 180, 181; a Justino Martyre laudati, i. 179; non sunt ii, quos hodie præ manibus habemus, i. 177; olim lecti ut scripta prophetarum, i. 179; eorum lectores morte plectebantur a Senatu Romano, i. 179; non sunt ipsa Sibyllæ folia, tamen sunt antiquissimi, i. 180; a Theophilo Antiocheno et aliis Patribus laudati, i. 181, seq.; eorum antiquitas, i. 181; eos a Christianis interpolatos esse credit Celsus, i. 181; antiquos esse concedit, i. 182; de turri Babel, i. 186; Romæ religiose custoditi, i. 189; a populo Romano consulti, i. 189; a Decemviris asservati, usque ad bellum Marsicum, i. 189; Capitolio exusto, una absumpti, i. 189; a Senatu Romani legatis quæsiti, i. 189; Romam deportati, i. 189, 190; nonnulli a Romanis suspecti, i. 190; a sacerdotibus Romanis examinati, i. 190; a Christianis citati contra Gentiles, i. 190
 Simeon S. Jacobo successit, ii. 164
 Simon Magus a Petro rejectus in Can. Apost. XXIX. nominatur, i. 24, 230
 Simonia punita, i. 24, 230; ab Origene reprehensa, ii. 37
 Sirachidis liber spurius censetur, ii. 128, 129
 Sixtus, Romæ Episcopus, Alexandri successor, ii. 162
 Socrates hæresi Novatianorum infectus, ii. 221; quibus in rebus fides ei non adhibenda, ii. 221; ejus Hist. Eccles. Eusebii historiam suscipit, ii. 93
 Soter, Romæ Epis. Aniceti successor, ii. 162
 Sozomeni de Eustathio judicium, i. 55, 56; ex eo locus de baptismi trina mersione explicatus, ii. 93; ejus historia incipit, ubi Eusebius desit, ii. 93
 Spiritus quomodo in Ecclesiam universam propagatus, usque ad finem seculorum, ii. 176; a Mose in Josuam quomodo diffusus, ii. 176; Ejus communicandi modus Christo peculiaris, Ipsius a Christo processionem demonstrat, ii. 176
 Sponsores ad baptismum adhibendos esse non expresse docetur in Scriptura, i. xvii
 Sponso ablato fideles jejunabant, ii. 269, 276, 302
 Statio. Vide Jejunium.
 Strabo de Oraculo Sibyllino mentionem facit, i. 187
 Subdiaconi quo tempore constituti, ii. 10
 Successorem sibi constituere Episcopo non licitum, i. 44
 Supplicium unum sufficit in unum peccatum, i. 25, 111
 Supposititii libri ne publice legerentur ab Ecclesia cautum est, ii. 103
 Sylvestri Actus pro authentico habiti in decreto Gelasii, i. 107
 Synodus. Vide Concilium.
 Tarasius Patriarcha C.P. Can. LXXII. Trullanum in Conc. Nic. II. laudat, i. 95; Can. Ap. XXIX. citat, i. 230
 Taurinense Concilium. Vide Concilium.
 Telesphorus, Romæ Episcopus, Sixti successor, ii. 162
 Tertullianus secundas nuptias damnat, i. 26; ii. 30, 160; incensum rejicit, ii. 11; ejus verba de trina baptismi mersione, ii. 89; Montani hæresi in-

- fectus, ii. 101, 109, 269; Catholicos Psychicos appellat, ii. 109, 269, 272; jejunia et stationes alias confundit, alias distinguit, ii. 316, seq.
- Testimonium hæreticorum contra orthodoxos non admittendum, i. 23
- Theodreti testimonium prætermissum, et quare, i. 130; verbum *πρεσβυτέρων* explicat, ii. 8
- Theodosius contra Nestorianos legem tulit, i. 77
- Theodoti hæresis a Paulo Samosateno renovata, ii. 197
- Theophili Alexandrini sententia de Episcoporum depositione, i. 74; de Quadragesima, ii. 213, 214
- Therapeutæ qui sint, ii. 239, seq.; juniorum rigidi observatores, ii. 240, 241, 257; Esseni non sunt, ii. 243, seq.; cum Christianis comparati, ii. 245, seq.; saltare et choreas ducere post cœnam soliti, ii. 251; bis tantum quotidie preces fundebant, ii. 252; hymnos et varia cantica componebant, ii. 253; apud eos canendi modus, ii. 254
- Thomæ Eboracensis et Lanfranci Cantuariensis controversia, ii. 83
- Timotheus Ephesi primus Episcopus, ii. 64; diaconus vocatus, ii. 171; a quo manuum impositionem acceperit, ii. 8, 179; locus S. Pauli de hac re explicatus, ii. 7, 8, 179; ei quænam auctoritas a Paulo commissa, ii. 180
- Titus totius Insulæ Cretæ primas, ii. 64; ad eum ergo solum Pauli Epistola missa, ii. 64, 180; auctoritatem sibi a Paulo conceditam exercuit, ii. 180
- Traditiones Apostolorum multiplices collectæ, i. 19
- Traditio Apostolorum et Canones eorum non sunt unum et idem, i. 156
- Traditio duplex, scripta et non scripta, i. 156; ii. 97; quid proprie sit, ii. 97
- Trinitas totidem verbis in Scriptura non reperitur, i. xvii
- Trophimus clericus in errorem lapsus, ii. 102; in Ecclesiæ pacem ut laicus receptus, ii. 102
- Trullanum Concilium. Vide Concilium.
- Turrianus de Canonibus Apostolicis, i. xxviii; ejus liber de Canonibus ab ipsis Apostolis constitutis, i. 4; ejus sententia de auctoribus Canonum Apostolorum a Dallæo refutata, i. 109; testimonium S. Athanasii profert, i. 109; S. Basilii Canonem III. profert, i. 110; testimonia e Concilio Nicæno colligit, i. 119; nonnulla ex Antiocheno Concilio profert, i. 120; ejus puerilis paralogismus, i. 122; nonnulla e Concilio Gangreno laudat, i. 136; phrases nonnullas e Conciliis Africanis affert, i. 145; Constitutiones Sanctorum Apostolorum edidit, i. 229
- Tychicus diaconus, ii. 171
- Usserius Canones Apost. a Justiniano citatos esse contendit, i. 90; Constitutiones ab Epiphano citatas alias esse ac hodiernas ostendit, ii. 135
- Uxor sub religionis prætextu ab Episcopis aut aliis clericis non ejicienda, ii. 16
- Valentini Sophia, Psalmi et Epistolæ, ii. 104
- Valentiniani baptismi corruptores, ii. 191
- Valesii omnes castrati, ii. 31; eorum hæresis, ii. 31
- Valesius (H.) Therapeutas Christianos non fuisse contendit, ii. 252, 253; Irenæi locum explicat, ii. 281
- Vasa aurea et argentea in usu in Ecclesia primitiva, ii. 115
- Veteris et Novi Testamenti libri olim promiscue dispositi, ii. 142
- Viaticum cuilibet baptizato, corpore egressuro, concessum, et quare, i. 125; ejus dandi ritus obtinuit ante A.D. 260, i. 125
- Victorius cum Polycrate de Paschate controversia, i. 18; ii. 17, 50, 274, 275; Asianas Ecclesias excommunicare molitur, ii. 166, 275; ejus severitas ab Irenæo reprehensa, ii. 166, 275; ab Episcopis admonitus, ii. 275
- Viennensis et Arelatensis urbium quæstio de primatu a Conc. Taurin. judicata, ii. 73
- Vincentius Lirinensis de Scripturæ interpretatione, i. xvi; de consensione, i. xx
- Vinum cum aqua oblatum in celebratione Eucharistiæ, ii. 21; ab eo propter abominationem abstinentes excommunicati, i. 54; ab eo quibus diebus abstinebant Christiani, ii. 256, 257, 266
- Virgilius de Oraculis Sibyllinis, i. 188
- Viri prudentes, ad quos Hieronymus refert jejunia, sunt Apostoli, ii. 290-292
- Windleshorensis Con. Vide Concilium.
- Wintoniense Concilium. Vide Concilium.
- Xerophagiarum hebdomades quænam sint, ii. 109, 257, 266, 267, 308
- Zephyrini Pontificis Romani decretum de mœchis a Tertulliano citatum, ii. 101
- Zonaræ sententia de Canonibus Apostolicis, i. 160; de Constitutionibus Apostolicis, ii. 129; ejus Codices quomodo Can. Trull. II. legunt, i. 93; in lectione Can. Apost. L. consentiunt, i. 230

APPENDIX,

CONTINENS

- I. PROLEGOMENA IN ΣΥΝΟΔΙΚὸΝ, SIVE PANDECTAS
CANONUM.
- II. PRÆFATIONEM AD ANNOTATIONES IN CANONES
APOSTOLICOS.

CUI ACCESSIT

DISSERTATIO DE LINGUIS ORIENTALIBUS.



PROLEGOMENA

IN

ΣΥΝΟΔΙΚὸΝ, SIVE PANDECTAS CANONUM.

I. ETIAMSI Ecclesia in Imperio sit, unumque cum eo in singulis regnis caput commune habeat, reapse nihilominus ab eo distinguitur, non secus atque anima a corpore; hoc enim medici, illa Theologi curæ committitur; proinde homo, ex duabus istis conflatus partibus, commune est utriusque regiminis subjectum, sub diverso tamen respectu, Imperio quidem, quatenus ζῶον πολιτικὸν est, Ecclesiæ autem, quatenus ζῶον ἀθάνατον, sempiternæ scilicet felicitatis, vel miseræ capax. Enimvero homo convenientis sibi societatis ex natura appetens istiusmodi necesse est subjiciatur legibus, quibus talis societas conservatur. Ad eam autem integre conservandam nihil amplius requiritur, quam ut caveatur, ne unus alteri noceat, sed singuli sibi invicem prospiciant, et suum cuique tribuatur. Huic itaque rei ab Imperio consultum est; quod propterea externis tantum hominum actionibus, per corporea scilicet exsertis organa, advigilat, ut eæ nimirum suos intra limites ita coerceantur, ut nihil ex iis mali, sed quantum fieri potest boni commodique, et aliis singulis et toti communitati emergat, ut ita quisque se, et suis, et aliorum etiam societate, quiete et tranquille gaudeat. Verumenimvero homo non hominum tantum, sed Ipsius etiam Dei Creatoris Summique Boni communionem frui, Eumque colere, et ad summam, quæ in creaturam conferri potest, felicitatem evehi ex natura comparatus est. Cum is autem et veram erga Deum pietatem, et suam in Eo

beatitudinem neglectui habere plus nimio propensus sit, imprimis necessarium est, ut harum etiam rerum cura ei habeatur. Hæc autem Ecclesiæ concreditur; cui propterea, quoad ejus fieri potest, cavere incumbit, ut et debitus Deo Omnipotenti honor a singulis exhibeatur, et ipsi suprema, illa, quibus nati apti sunt, gaudia consequantur. Imperium igitur externis tantum hominum erga se invicem actionibus, Ecclesia omnibus eorum erga Ipsum etiam Deum gestibus intenta est. Illud corpora, hæc animas administrat. Christiani, fateor, cives utriusque subjiciuntur, sed ei quatenus cives, huic quatenus Christiani; et illud proinde præsentia tantum mala ab iis propulsare, hæc perpetua iis bona conciliare studet. Vel, ut summatim dicam, Imperium publicæ tantum in terris hominum quieti, Ecclesia æternæ etiam in cœlis eorum saluti consulit.

II. Vel me tacente, nemo non videat, quare hæc præmissa sunt, et quid ex iis consequetur. Ut enim ad præscriptos Imperii consequendos fines, leges ab eo ferantur necesse est, quibus singuli constringimur, et quarum servi omnes idcirco sumus, ut liberi vivere possimus; sic etiam Ecclesia præstitutos sibi fines nunquam assequetur, nisi suas habeat leges, quibus omnes teneantur, qui in spiritualem istam societatem admissi sunt. Et quidem inter ecclesiasticas hasce et civiles leges non minus, quam inter Ecclesiam ipsam et Imperium, interest. Primo enim, quantum ad pœnas iis annexas, leges civiles morte sæpe puniunt, ecclesiasticæ nunquam, ut quibus vitam non eripere, sed servare propositum est. Corpora ab utrisque castigantur, sed ab illis externe, per verbera, ab his interne, per jejunia et luctus. Quinetiam leges politicæ per publicam bonorum confiscationem in delinquentes animadvertunt, ecclesiasticæ autem per depositionem, si clerici sint, a gradu suscepto, sin laici, per segregationem a spirituali cœtu, et per anathemata iis inflictæ. Quæ sane talia sunt supplicia, quorum exigendi potestatem nullus unquam Imperator sibi arrogavit, nec jure arrogare potuit; siquidem omnis ista ligandi et solvendi potestas in Apostolis solis, et ipsorum successoribus, ab Ipso Deo, a Quo omnis auctoritas derivatur, sita sit, nulla regum mentione facta. Si autem de fide loquamur Christiana, et legibus ad ecclesiasticam spectantibus disci-

plinam, ipsi etiam Imperatores Christiani ingenue multoties professi sunt, nihil sibi juris in istiusmodi sancendis rebus tributum esse. Sic Constantinus Magnus, Valentinianus, Marcianus, Theodosius, aliique, quorum verba alibi retulimus.¹ Quin ipse etiam omnium peritissimus legum Impe-

¹ [“ Nimirum clerici, qua clerici, a legibus et judiciis principum immunes habiti, et ecclesiasticæ quæcunque causæ, non a politicis, sed ecclesiasticis iudiciis discussæ et determinatæ perpetuo fuerunt. Nec ipsi quidem principes hoc ægre tulerunt, sed sua potius auctoritate confirmarunt, suoque suffragio comprobantur. Marcianus suam de hac re sententiam verbis supra laudatis protulit, [πρίπον ἡγῆσάμενοι, παρ’ ὑμῶν ταῦτα κανονικῶς κατὰ σύνοδον τυπωθῆναι, ἢ νόμοις βεβαιωθῆναι ἡμετέροις. Conc. Chal. Act. vi. Conc. tom. iv. col. 610, A.] et exemplo suo corroboravit, cum ecclesiastica hæc capitula Synodo soli faciendæ relinqueret, nihil juris in istiusmodi rebus sibi vindicans. Marciano consensit Basilius Imperator, qui coram octava generali Synodo Constantinopoli habita hæc diserte dixit: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesie, et universali Synodo adversari. Hoc enim investigare et quærere, Patriarcharum, Pontificum, et Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi, et solvendi potestatem habent, qui ecclesiasticas et cælestes adepti sunt claves; non nostrum, qui pacisci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus. Quantacunque enim religionis et sapientiæ laicus existat, vel etiam si universa virtute interius polleat, donec laicus est, ovis vocari non desinet; rursusque quantacunque Episcopus sit irreverentia et irreligiositate*

plenus, et nudus omni virtute, donec antistes est, et veritatis verbum recte prædicaverit, pastoris mentionis et dignitatis damna non patietur. Basil. Imp. in Octavæ Synodi Act. x. [Conc. tom. viii. col. 1154, C, D.] Hæc ab Imperatore Basilio prolata, in Græcis etiam ejusdem Concilii Actis commemorantur, et contractius citantur his verbis, *Λαϊκῶ δὲ οἰφθῆποσι κατ’ οὐδὲνα τρίπον ἔξιναί λίγω πρὶ ἐκκλησιαστικῶν ὑποθέσεων λόγον ἀνακινῶν, ἢ ἀνίστασθαι ὁλοκλήρη ἐκκλησία, ἢ οἰκουμηνικῇ συνόδῳ ταῦτα γὰρ ἀνιχνύειν τε καὶ ζητῶν πατριαρχῶν ἔργον ἴστι, καὶ ἱερέων, καὶ διδασκάλων, οἷς τὸ λύειν τε καὶ δισμῆν δίδοται ἐκ Θεοῦ· ὁ γὰρ λαϊκός, καὶ πάσης ἴστιν εὐλαβείας, καὶ σοφίας μιστός, ἀλλὰ λαϊκός, καὶ πρόβατον, οὐ ποιμὴν· ὁ δὲ Ἀρχιερεὺς καὶ πᾶσαν ἱπιδείκνυται ἀνυλαβείαν, ἀλλὰ ποιμὴν ἴστι, ἴστ’ ἂν ἐν ἀρχιερεῦσι τελεῆ· καὶ οὐ χρὴ κατεξάνιστασθαι τῶν ποιμένων τὰ πρόβατα.* [Ibid. coll. 1378, E, 1379, A.] Nemo in Imperatoris verba observatu dignissima oculos conjiciat, quin primo statim intuitu videbit, quam longe ille laicos quoscunque, et semet etiam inter alios, ab ecclesiasticis causis dijudicandis aut discutiendis removet. Sed ante eam Honorius quoque idem asseruit, qui, cum ipse esset Imperator Occidentis, ad Arcadium Imperatorem Orientis hæc scripsit; *Cum si quid de causa religionis inter Antistites ageretur, episcopale oportuerit esse iudicium. Ad illos enim Divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium. Sed esto sibi de mysticis et Catholicis quæstionibus amplius aliquid principalis cura præsumpserit, itane usque ad exilia sacerdotum, usque ad hominum cædes debuit indig-*

Novell.
lxxxiii [cap.
i. Collat. vi.
tit. 12.
Corp. Jur.
Civ. tom. ii.
p. 576.]

rator Justinianus in ea fuit sententia, leges nempe civiles non præcedere debere, sed sequi ecclesiasticas, idque sine dedignatione. *Secundum sacras, inquit, et Divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.* Hinc est, quod, etiamsi Imperatores multa de ecclesiasticis personis et rebus in Constitutionibus suis ediderint, nihil tamen de novo constituerunt, sed ea tantum, quæ ab ecclesiasticis Synodis prius constituta fuerant, ipsi sua etiam auctoritate confirmarunt. Adeo ut quæcunque in Codice, aut in Novellis, de personis causisve ecclesiasticis asserantur, ab ecclesiastica aliqua potestate antea sanciti fuerint, quam illuc relata; ut ex singulorum istiusmodi locorum inductione cuivis, Canonici pariter atque Politici perito juris, facile patebit. Quod etiam ex eo ulterius elucescit, quod ad ecclesiasticas, quæ emerferunt, dirimendas lites, et leges instituendas, ipsi etiam Imperatores Concilia ecclesiastica convocare soliti fuerunt. Sic enim Nicænum primum Œcumenicum a Constantino Magno, Constantinopolitanum a Theodosio Seniore, Ephesinum a Theodosio Juniore, et, ut reliqua taceam, Chalcedonense a Marciano Imperatore congregatum est. Neque ullus ex his Imperatoribus causam aliquam a Synodo, quam convocavit, discutiendam prius determinavit, quam ab ipsa Synodo judicata est.

natio concitata procedere, ut ubi castæ preces, ubi vota sincera, ubi sacrificia illibata solvantur, illic se gladius, haud facile etiam in jugulum noxi-orum distringendus, exerceret? Honorii Epistola ad Arcad. [Conc. tom. ii. col. 1312, A, B.] Valentinianus Senior in eadem quoque opinione fuit, cujus hæc verba a D. Ambrosio referuntur, *In causa fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis*, Ambros. lib. v. Ep. 32, ad Valentinianum, [Ben. Ep. 21. Op. tom. ii. col. 860, C.] et alio tempore, *Non est meum judicare inter Episcopos*, [col. 861, A, B.] Nec aliter visum est ipsi Constantino Magno, qui, cum culpæ quorundam Episcoporum ei delatæ essent, et ipse ab

Episcopis causas inter ipsos motas judicare postulatus, respondit eis, *Deus vos constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit, de nobis quoque judicandi, et ideo nos a vobis recte judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate judicium, et vestra jurgia, quæcunque sint, ad illud divinum reserventur examen. Vos enim nobis a Deo dati estis dii, et conveniens non est, ut homo judicet Deos, sed Ille solus, de Quo scriptum est, Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* Ruffin. Hist. Eccles. lib. i. cap. 2, [p. 218.] — Bever. Annot. ad Can. Chalc. iii. Annot. ad Pan. Can. p. 110. Pan. Can. tom. ii. ad fin.]

Quidquid autem a Synodis ecclesiasticis decretum est, a civili etiam potestate confirmari solenne fuit. Unde et omnes propemodum Canones, qui hoc libro continentur, ab Imperatore Justiniano Rhinotmeto iis subscribente corroborati sunt. Nimirum Principes Christiani, ut ad Ecclesiæ præsidium, æque ac ad Imperii regimen, civilem sibi commissam habentes potestatem, ea ecclesiasticam per Imperii sui provincias stabilire auctoritatem, canonicas tueri leges, et cavere, ut Ecclesia pace sub suo fruatur patrocínio, et auctoritatem ipsi conceditam libere exerceat, ex officio suo tenentur; ut veteres etiam Ecclesiæ Patres docuerunt. Et idcirco, etiamsi ipsi Imperatores inconsulta Ecclesia ecclesiasticas nunquam ferunt leges, ut latæ tamen in Imperio cujusque conserventur, ipsis etiam per civilem suam auctoritatem providere incumbit.

III. Sed dicet forsitan nonnemo, quod multi sane nuper dixerunt, Sacris Scripturis Ecclesiæ regendæ sufficientes esse, ac propterea aliis ei non opus esse legibus, quam quæ conceptis verbis ibi promulgantur. Sed miror equidem quo tandem fato huic cuipiam primo in mentem venit, quod nec ullam rationis speciem præ se fert. Licet enim quidquid ad æternam uniuscujusque salutem necessario credendum est aut faciendum, summa Dei Omnipotentis misericordia, in Sacris illis Eloquiis clarissime revelatum fuerit, quantum tamen ad ecclesiasticam spectat disciplinam, Divina illa oracula non eo fine scriptis mandata sunt, ut istum in singulis determinarent. Hoc ex eo satis abunde constat, quod de hac re generalia tantum axiomata in Sacris Scripturis proponantur, e quibus etiam ut particulares determinationes deducantur, ibidem præcipitur. Exempli gratia, in decimo quarto capite primæ Epistolæ ad Ecclesiam Corinthiacam ab infallibili Dei Spiritu præscribitur, ut omnia fiant *πρὸς οἰκοδομὴν* item ut omnia *εὐσχημένως καὶ κατὰ τὰξιν* fiant; cum tamen non docetur, quomodo aliquid ad ædificationem fiat, neque definitur, quid decorum sit et regulare, neque quomodo aliquid decenter et regulariter instituat. Hæc itaque Ecclesiæ isti determinanda perspicue relinquuntur; quæ etiam, ut illa determinet, diserte hic præcipitur. Adeo ut nihil apertius esse possit, quam Spiritum Sanctum in his et similibus Sacræ Scripturæ locis

[1 Cor. xiv. 26.]
[Ib. 40.]

dictandis, hoc Sibi proposuisse, ut generalia istiusmodi principia constitueret, e quibus particulares leges quotidie deducerentur: satis huic rei a Se hoc modo prospectum iudicans, cum Ipse talem hominibus inspirasset facultatem, qua speciales regulas ex generalibus istis præceptis, prout occasio postulaverit, efformarent. Et sane cum ipsa etiam recta ratio a Deo sit, quicquid per eam ex Divinis illis præceptis colligitur, a Deo etiam est, æque ac ipsa illa præcepta, a quibus colligitur. Neque enim recta ratio aliquid ex iis colligere potest, quod ipsis non prius fuit a Deo insitum. Et huiusmodi quidem sunt omnes ecclesiasticæ leges rite constitutæ; quæ nimirum Sacris Scripturis non tantum non repugnant, verum etiam iis pariter atque naturalis ipsius legis edictis ita fundantur, ut per rectam ex iis rationem elici possint. Et quæcunque hoc modo ecclesiasticæ sanciantur leges, ab illis necesse est observentur, qui ei subjiuntur potestati, qua sancitæ sunt.

IV. Quinetiam ubi ista ecclesiastica sancienti leges potestas resideat, et quomodo ab ea sancientiæ sunt, ab ipsis Sacris Scripturis haud obscure indigitatur. Nimirum in Actis Apostolorum traditur, quod, cum quæstio in Ecclesia recens nata de circumcissione et lege Mosaica Gentilibus conversis imponenda exorta esset, ad hanc decidendam controversiam, et legem de ea sancientiam, Apostoli et seniores in Synodo conveniebant. *Συνήχθησαν δὲ οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου.* Re in utramque partem deliberata, controversia decisa est, et Canon, sive lex ecclesiastica ea de re sancita, et in Epistola synodica promulgata, quod nimirum Gentilibus fidem Christianam amplexis nihil amplius imponendum est, quam ut ab istis, quæ immolata sunt simulacris, et sanguine, et suffocatis, et fornicatione abstinerent. Ubi primo observatum velim, absolute et in se neutiquam necessarium fuisse, ut omnes Apostoli tunc temporis convenirent ad hanc determinandam quæstionem, cum singuli eam determinare potuissent, siquidem unusquisque eorum infallibili, in ecclesiasticis præsertim omnibus dijudicandis causis, spiritu donatus fuerit. Unde obvium est cuiquam colligere, eos ad hanc methodum in isto edendo statuto cœlitus directos fuisse, ut futuræ Ecclesiæ innotesceret, quo pacto leges in ea ferendæ sunt. Nimirum

Act. Apost.
xv. 6.

Ib. 28, 29.

ut ii, quibus in Ecclesia animarum cura committitur, Apostolorum et seniorum, qui ubi commemorantur, successores, in unum congregati, collatis omnium rationibus, illud pro lege statuunt, quod in Dei gloriam, et animarum sibi commissarum salutem magis conducere visum fuerit. Nec opus est illud totidem verbis in Sacris Scripturis contineatur. In Apostolica enim ista Synodo, tam e providentia, quam Scriptura Divina, disputatum est; et Canon iste Apostolicus ex iis quæ Deus pro Gentilibus fecerat, æque ac ex iis quæ Judæis præceperat, collectus. Namque S. Petrus Act. Apost. xv. 7-9. primo ostendit, ut Gentiles per suam Evangelii prædicationem ad Christum conversi, et per Spiritum Sanctum Ib. 12. sanctificati fuerunt. Sanctus deinde Paulus et Barnabas declarant, quanta Deus miracula et prodigia inter gentes per ipsos ediderat. Quod S. Petrus demum asseruerat, S. Ib. 15, 16. Jacobus scriptis propheticis consentaneum esse probat. Quibus itaque perpensis, etiamsi nusquam Dominus diserte imperasset circumcisionem Gentilibus non imponendam esse, ipsi nihilo secius statuunt, ne imponatur, nimirum quod hoc ad Ecclesiæ ædificationem magis expedire visum est. Hæc itaque forma est, atque ordo in controversiis definiendis, et ecclesiasticis condendis legibus, divinitus præscriptus, et ab Ecclesia propterea perpetuo observandus.

V. Hac ipsis Apostolis præmonstrata via itum est etiam ab Apostolica ista et primitiva Ecclesia, licet diris adhuc persecutionibus exagitata. Namque et tribus prioribus a Christi nativitate seculis, frequentia passim celebrata fuerunt Episcoporum Concilia, a quibus ecclesiasticæ, quæ emergerunt, causæ judicatæ sunt, et leges conditæ, ut ex Tertuliano, Cypriano, Eusebio, aliisque constat. Et his quidem temporibus Canones, qui Apostolorum dicuntur, et Apostolici, constituti sunt, et in Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ, qui primum in hoc opere locum obtinet, collecti, sub finem scilicet secundi, vel saltem sub initium tertii post Verbum Incarnatum seculi, uti in Præfatione in Annotationes in eosdem Canones probatum dedimus. Contra opinionem istam a nobis ibi assertum nihil hucusque objectum audivimus, nisi quod unus ex istis Canonibus contra Eunomianos constitutus videatur, qui non nisi quarto labente seculo exorti sunt. Is est Canon Apostolicus L., quo cautum est, ne bap-

Soz. Hist.
Eccles. lib.
vi. cap. 26,
[p. 252.]

tisma una sed tribus immersionibus peragatur. Sozomenus autem tradidit, nonnullos asseruisse Eunomium, alios Theophronium Cappadocem, et Eutychium, Eunomii discipulos, primum affirmasse, quod sacrum baptisma non tribus, sed una tantum mersione peragendum est, in morte nimirum Domini. Hæc itaque opinio isti ferendo Canoni occasionem dedisse videtur. Verum ut huic doctissimi viri objectioni paucis hic satis fiat, licet hoc ipsum esse, quod in dicto Apostolico Canone prohibetur, concesserim, minime tamen exinde consequitur istum Canonem antea non constitutum fuisse. Primo enim Sozomenus hoc in loco de suis tantum diebus loquitur, vel iis saltem, quibus Eunomius, et discipuli ejus Theophronius et Eutychius exstiterunt; adeo ut nihil amplius ex istis verbis probari possit, quam antiquum baptizandi ritum ab aliquo eorum istis diebus innovatum esse. Ac proinde, etiamsi demus Eunomium, vel alium aliquem, primum istis temporibus asseruisse, baptisma non in Trinitatem, sed in mortem Christi, atque ideo non trina, sed una mersione peragendum esse, nihil tamen obstat, quin nonnullis retro seculis, ad quæ Sozomenus nequaquam respicit, idem ab aliis assertum fuerit. Quod etiam ex eo indubium redditur, quod longe ante Eunomium Monarchiani, Praxeani, aliique complures hæretici Trinitatem denegarant. Qui autem Trinitatem negant, trinam in baptismo mersionem admittere non possunt, quippe quæ tres distinctas in Divina Natura Personas supponit, in quas singulas baptizatur. Quinetiam Tertullianus Praxean in Trinitatem non baptizasse, ac proinde nec trinam adhibuisse mersionem, haud obscure indicat, ubi de Christo adversus Praxean loquens, ait, *Et novissime mandans, ut tingerent in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, non in Unum.* Neque enim video, quare ista verba, *Et non in Unum*, adderet, nisi vel Praxeas ipse, vel alius saltem aliquis hæreticus, non in Trinitatem, sed *in Unum*, Christum scilicet, vel Ejus mortem baptizandum esse contenderit. Sed ne diutius in his immoremur, hoc tantum adjiciam, quod non tantum ex Tertulliani, aliorumque veterum scriptorum testimoniis, verum etiam ex ipsis Sozomeni verbis, loco supra citato, certissimum est, trinam in baptismo mersionem diu ante Eunomium ab Ecclesia Catholica usitatum fuisse, usque adeo ut ab ipsis etiam Apostolis

Tert. adv.
Prax. cap.
xxvi. [p. 516,
A.]

manasse visum fuerit, et Sozomenus eam vocaverit τὴν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων εἰσέτι νῦν ἐν πᾶσι φυλαττομένην παράδοσιν. Verum enimvero hoc nullibi in Sacris Scripturis præceptum legitur. Præceptum est, fateor, ut baptismus in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti celebretur; ut baptizatus autem ter, semel videlicet ad Nomen cujusque Personæ, in aquam immergatur, nusquam præscribitur. Nec veri quidem simile videtur, talem ritum in ipsum baptismatis sacramentum aliter introductum fuisse, quam ab aliqua Apostolicorum saltem virorum Synodo, ut qui soli eam instituendi potestatem haberint. Adeo ut hic ex iis potius videatur Canonibus, e quibus veneranda reliquorum antiquitas evincatur, quippe qui ab ipsis Ecclesiæ Christianæ primordiis obtinuerit. Hinc itaque constat, quod si quid ponderis in isto argumento concedatur, saltem non tanti est, ut alia omnia, quæ plurima ad nostram adstruendam opinionem accumulavimus, eo unico subvertantur. Sed, venia huic digressioni impetrata, redeamus unde divertimus.

VI. Cæterum dispersis tandem aliquando nigris persecutionum nebulis, et læta per summam Dei misericordiam Ecclesiæ indulta serenitate, multo frequentiora ubique terrarum coacta sunt Concilia, a quorum nonnullis reliqui, quos hoc opere exhibemus, Canones constituti sunt, aut confirmati. Prius autem quam de singulis agamus, locus exigit, ut pauca de Conciliis in genere prælibemus, ut neminem fugiat, qualia fuerint Concilia, a quibus singuli Canones editi fuerunt. Conciliorum itaque duo fuerunt genera. Alia enim generalia, alia particularia nuncupantur. Generalia sunt, ad quæ omnes totius Christiani orbis Episcopi convocantur. Unde a Augustino, *Plenaria Concilia ex orbe universo*, non inepte appellata sunt. Græci ea perpetuo vocant οἰκουμενικὰς συνόδους, hoc est Synodos ex toto τῆς οἰκουμένης, *terræ habitabilis*, orbe collectas. Licet vox οἰκουμένη etiam Imperium Romanum nonnunquam significet, ut Luc. ii. ver. 1. Ad constituendum autem hujusmodi Concilium, non opus est, ut omnes totius orbis Episcopi eidem præsentibus adsint, modo omnes accersantur, ut adesse possint, si velint. Nisi autem omnes principalium quinque sedium, Romanæ scilicet, Alexandrinæ, Antiochenæ, Constantinopolitanæ, et Hierosolymitanæ Episcopi, vel per se, vel per encyclicas Epistolas in-

[Soz. Hist. Eccles. lib. vi. cap. 26, p. 252.]

[De Bapt. contr. Donatist. lib. ii. cap. 3. Op. tom. ix. col. 183. D.]

tersint, ea Synodus Œcumenica, sive generalis, non habita est, præsertim postquam illi Patriarchæ audire cœperint. Neque enim ullum est generale Concilium, quod non Imperatoris jussu, tam ex Orientali, quam Occidentali, Ecclesia congregatum est. Sin hæc duo concurrant, ut Imperator Orientis pariter atque Occidentis Concilium convocet, et celebriores illi Episcopi aliquo ex dictis modis intersint, illud generale nominatum est Concilium, et universa Ecclesia ibidem congregata existimatur. Hujusmodi generalia Concilia, sive Œcumenicas Synodos, Romani plures, Græci octo tantum numerant, Nicænam I. sub Constantino Magno, Constantinopolitanam I. sub Theodosio Seniore, Ephesinam sub Theodosio Juniore, Chalcedonensem sub Marciano, Constantinopolitanam II. sub Justiniano, Constantinopolitanam III. sub Constantino Pogonato, Nicænam II. Constantino et matre ejus Irene imperantibus, et Constantinopolitanam IV. sub Basilio Macedone celebratam. Nonnulli nonam addunt sub Andronico Palæologo, et Joanne filio ejus, adversus Barlaam et Acondynum habitam; plerique autem eam ex Œcumenicarum Synodorum numero potiore jure extrudunt. Particularia, quæ dicuntur, Concilia in duas classes distribuuntur. Sunt enim vel Provincialia vel Diœcesana. Concilia Provincialia sunt, quæ in singulis provinciis sub earum Metropolitanis celebrantur. In cujusque enim Metropolitanus potestate situm est, omnes Provinciæ sibi subjectæ Episcopos ad Concilium convocare; qui etiam ad locum, quem Metropolitanus elegerit, convenire tenentur, ex undevicesimo Synodi Chalcedonensis, aliisque Canonibus hoc opere divulgatis. Concilia Diœcesana ea vocamus, quæ post Patriarchas constitutos a quovis illorum ex omnibus diœceseos suæ provinciis coactæ sunt. Ut si Episcopus Antiochenus ex quindecim Orientis, quæ sua est diœcesis, Concilium congreget, illud Diœcesanum appellari meruit. Et ad hanc fere classem reducuntur, quæ Nationalia dicuntur Concilia, quæ ex universis scilicet in natione aliqua constitutis provinciis sub primate suo conflantur, ac propterea universalis etiam, istius nimirum nationis respectu, nonnunquam audiunt. Cujus generis multa fuerunt in Africa universalis dicta Concilia, necnon in Gallia, alibique. Sic etiam in Antiochia Nationalia sæpe habuimus Concilia, ex utraque scilicet

[Can. Nic. v.
Can. Trull.
viii. Can.
Ant. xx.]

provincia, Cantuariensi et Eboracensi, convocata. Hisce de variis Conciliorum generibus sic prælibatis, proximo loco disquirendum occurrit, a quibus et qualibus Canones in hoc opere cum scholiis editi primo constituti fuerint, aut confirmati, et quomodo in hoc corpus collecti sunt.

VII. Primo itaque quarti æræ Christianæ seculi quadrante propemodum elapso, Œcumenicarum prima, et omnium post Apostolos celeberrima Synodus, Constantini Magni auspiciis Nicææ coacta est; a qua non modo vera de Christo fides contra Arium exposita, verum etiam viginti de ecclesiastica disciplina Canones sanciti sunt. Eodem etiam currente seculo nonnullæ provinciales Synodi congregatæ sunt. Ut alias huc non pertinentes taceam, duæ, decem plus minus annis ante primam istam universalem, habitæ fuerunt, una Ancyrae, Neocæsariæ altera; e quibus illa XXV., hæc XIV. Canones edidit, (licet in hoc opere XV. Canones Synodo Neocæsariensi attribuantur, decimo tertio scilicet in duos diviso). Non diu post Nicænam, aliæ Synodi provinciales celebratæ sunt, Gangrena, Antiochena, et Laodicensis; quarum prima XX., altera XXV., et ultima LIX. Canones condidit. Nam vicesimus primus Canon Synodo Gangrenæ hoc opere adscriptus non est proprie Canon, ut in Annotationibus ad eundem ostendimus; et sexagesimus Laodicensis pars quinquagesimi noni a plerisque habetur. Porro eodem seculo labente, anno scilicet CCCLXXXI., secunda Œcumenica Synodus Constantinopoli celebrata est, a qua non plures quam quatuor Canones editi sunt, quamquam hoc opere septem ei attribuantur, sed et illos quatuor plerique in tres contrahunt, quartum tertio conjungentes. Hi itaque omnes Canones, numero CLXVI., a duobus Œcumenicis et quinque provincialibus sanciti Conciliis, in unum statim corpus collecti sunt, qui Codex Canonum Ecclesiæ universæ dictus est. Et primum quidem Codicem e pluribus non constitisse Canonibus, quam hic commemoratis, locupletem habemus testem Dionysium Exiguum, qui in Epistola ad Stephanum, Codici Canonum ecclesiasticorum a se Latine verso præfixa, hæc habet; *Deinde regulas Nicænae Synodi, et deinceps omnium Conciliorum, sive quæ ante eam, sive quæ postmodum factæ sunt, usque ad Synodum centum quinquaginta*

[Annot. ad
Pan. Can.
p. 187. 1. an.
Can. tom. ii.
ad fin.]

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. i. p. 101;
et Conc. tom.
i. coll. 1, B,
2, A.]

Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est, a primo capite, usque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habetur in Græca auctoritate, digessimus. Ubi primo observetur hunc Codicem a primo Œcumenico Concilio incepisse, et in secundo desiisse, et deinde numerum Canonum in eo collectorum fuisse CLXV., quem quidem numerum noster supradictus CLXVI. unitate superat. Sed ratio in promptu est. Nam Dionysius Exiguus quartum et quintum Canonum Concilii Ancyranum pro unico habet, qui in omnibus Græcis Codicibus distincte recensentur. Verum ex eo quod iste Codex Canonibus Constantinopolitanis terminatus fuerit, nec pluribus CLXV., vel CLXVI. constiterit, aperte conficitur eundem collectum fuisse ante tertiam Œcumenicam Synodum, sive Ephesinam: alioquin enim Canones ab ea etiam sanciti in eundem haud dubie collecti fuissent. Hæc itaque prima Canonum istorum, qui hoc opere publicantur, collectio ex solis Canonibus Synodorum supradictarum, Nicænæ, Ancyranæ, Neocæsarianæ, Gangrenæ, Antiochenæ, Laodicenæ, et Constantinopolitanæ primæ, conflata est, idque ante quartum finitum seculum. Quisnam istius fuerit collectionis auctor, incertum est; sed nihil certius, quam eam diu in Ecclesia obtinuisse, priusquam aliis Canonibus aucta fuerit.

VIII. Quinto currente seculo, sive an. Dom. CCCXXXI., tertia generalis Synodus contra Nestorium Ephesi congregata est, cui octo hoc opere Canones adscribuntur; et adulto eodem seculo, sive anno Dom. CCCCLI., quarta etiam Œcumenica Synodus Chalcedone contra Eutychetem celebrata est; in cujus Actis Codex Canonum Ecclesiæ universæ supra commemoratus laudatur, ut in Annotationibus ad Synodi Antiochenæ Can. IV. et XVI. ostensum est;² imo

² [“ Hic cum sequenti, sive quinto hujus Concilii Canone a Concilio Chalcedonensi in causa Carosi et Dorothei verbatim recitatur, sub nominibus octogesimi tertii et octogesimi quarti Canonis, non hujus Concilii, sed Codicis, a quo lectus est. Synodus enim dicebat, Οἱ θεῖοι τῶν πατέρων κανόνες ἀναγινωσκίσθωσαν, καὶ ἰμφερίσθωσαν τοῖς ὑπομνήμασι. Conc. Chal. Act. iv. [Conc. tom. iv.

col. 537, C, D.] Deinde sequitur, Καὶ λαβὼν τὴν βίβλον Ἀίτιος Ἀρχιεπίσκοπος καὶ Πριμικήριος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἀνέγνω. Κανὼν πγ'. Εἴ τις ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου καταιριθεῖς, ἢ πρεσβύτερος, κ. τ. λ. et recitato præsentī Canone addit, Περὶ τῶν ἑαυτοὺς ἀφορίζοντων. Κανὼν πδ'. Εἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος, et deinceps totidem verbis, quibus proximus huic Canon

quidem primo ejusdem Synodi Chalcedonensis Canone totus iste Codex universalis illius Synodi auctoritate confirmatur, ut ibidem probavimus.³ Hactenus enim etsi obtinisset, (ut ab eo etiam apparet, quod ab hac Synodo citetur, et sententia Synodalis ex eo feratur,) a nullo tamen generali Synodo totus confirmatus fuerat. Postquam autem Synodus hæc Chalcedonensis Canones in eo collectos confirmaverat, et sic suos fecerat, adjunctam universalis Concilii auctoritatem habuit.

concipitur. Unde perspicuum redditur et indubitatum hos præsentis Concilii Canones in Codicem Canonum ab Aetio tunc temporis lectum relatos fuisse; qui quidem similis fuit Codici Canonum Ecclesiæ universæ, quem Christophorus Justellus edidit, quemque Dionysius Exiguus Latine vertit. Namque in utroque eorum, a Concilio Nicæno incipiente, præsens sane octogesimus tertius, et sequens octogesimus quartus, quemadmodum et in Concilio Chalcedonensi, Canon numeratur. Nisi quod Dionysius Exiguus quartum et quintum Synodi Ancyranæ Canonem in unum conjungat. Quinetiam in Actione undecima ejusdem Chalcedonensis Concilii [Conc. tom. iv. col. 691, C, D.] decimus sextus, et decimus septimus præsentis Synodi Canon ex eodem Codice leguntur, sub nomine nonagesimi quinti et nonagesimi sexti Canonis; quo etiam ordine in supra dictis Codicibus etiamnum reperiuntur.—Bever. Annot. in Can. Ant. iv. Annot. ad Pan. Can. p. 189. Pan. Can. tom. ii. ad fin.]

³ [Postquam Canonum Antiochenorum in Concilio Chalcedonensi citatorum mentionem fecerat, ita pergit Beveregius: “Quandoquidem autem major pars Canonum in isto Codice, non a generali aliquo Concilio, sed a provincialibus tantum Conciliis editi sunt, Patribus Chalcedonensibus, eos omnes sua, hoc est (Ecumenici Concilii, auctoritate in præsentis Canone confirmare visum est. Neque enim aliter

intelligi possunt hæc verba, Τὸς τῶν ἁγίων πατέρων καὶ ἐκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτιθέντας κανόνας πρατίν ἰδικαιώσαμεν. Patres enim eos haud dubie Canones intelligunt, quos ipsi citant; neque ad generales tantum Synodos verba ista coerceri possunt, quæ Canones καὶ ἐκάστην σύνοδον expositos confirmant; et, quod majus adhuc est, in dicto Codice, qui istis diebus solus obtinuit, ut ex Actis hujus Concilii ante citatis constat, Canones unius tantum generalis Synodi, Nicænae videlicet, collecti sunt, reliqui omnes provincialium fuerunt Synodorum; ad quos propterea necesse est respectum habeant, cum dicunt καὶ ἐκάστην σύνοδον. Et sic quidem Justinianus Imperator hunc Canonem intellexit ubi ait: Θεσιζομεν τοίνυν, κ. τ. λ. Just. Nov. cxxxi. cap. i. [p. 343.] Hic ut videre est, non eos modo Canones, qui a quatuor istis constituti, verumetiam qui ab iisdem confirmati sunt, legum vicem obtinere præcipitur. Verum enimvero nulli omnino Canones a quovis a quatuor istis Conciliis confirmantur, præterquam a quarto, in præsentis Canone; ac propterea qui hic confirmantur, alii sint necesse est ab iis, qui a reliquis tribus expositi sunt, neque alii esse possunt, quam qui a provincialibus Synodis constituti fuerunt, et in Codicem supradictum collecti.”—Bever. Annot. in Can. Chalc. i. Annot. ad Pan. Can. p. 108, tom. ii. ad fin.]

IX. Sexto demum a Christi natalitiis fluente seculo, Justinianus summam Imperii Romani tenuit. Hic autem decrevit, ut vim legum obtinerent omnes ecclesiastici Canones, qui a sanctis quatuor Œcumenicis Conciliis prædictis vel constituti fuerant, vel confirmati; scilicet a Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, et Chalcedonensi. Θεσπίζομεν, inquit, τοίνυν τάξιν νόμων ἐπέχειν ἐκκλησιαστικούς κανόνας τοὺς ὑπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ἐκτεθέντας, ἢ βεβαιωθέντας, τοῦτ' ἔστι τῆς ἐν Νικαίᾳ, . . . καὶ τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει, . . . καὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ πρώτης, . . . καὶ τῆς ἐν Χαλκηδόνι. Unde colligimus prisco Codici Canonum Ecclesiæ universæ, istis saltem temporibus, Ephesinos etiam atque Chalcedonenses Canones adjectos fuisse, licet de ipso temporis articulo, quo adjecti sunt, nihil habeamus. Quinetiam sub eodem Imperatore duo doctissimi claruerunt viri, Dionysius Exiguus, et Joannes Antiochenus; e quibus ille, æræ a Christi natalitiis computatæ institutor, veterem Codicem Canonum Græce scriptum in Latinum sermonem elegantissime transtulit, cui etiam præfixit Canones Apostolicos quinquaginta, et subjunxit Chalcedonenses Canones XXVII. (quibus Græcos Canones finitos asserit), necnon Canones a Concilio Sardicensi XXI., et a Concilio Carthaginensi CXXXVIII. editos, ut ipse testatur in Epistola ad Stephanum dicens, *Tum sancti Chalcedonensis decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus. Ne quid præterea notitiæ vestræ credar velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilii, atque Africani, quæ Latine sunt edita, suis a nobis numeris cernuntur esse distincta.* Ille autem non primus fuit, qui Græcos istos Canones Latinos fecit. Ipse enim de antiquiore versione meminit sub initium ejusdem Epistolæ dicens, *Quamvis carissimus frater noster Laurentius assidua et familiari cohortatione parvitatem nostram regulas ecclesiasticas de Græco transferre pepulerit, confusione, credo, priscae translationis offensus.* Unde palam est, ejus etiam diebus aliam fuisse, eamque priscam, Græcorum Canonum translationem, quæ eadem videtur atque ea, quæ ex vetustissimo MS., in Christophori Justelli, de re canonica optime meriti, Bibliotheca in lucem haud ita pridem emissa est; in quo Sardicensis et Chalcedonenses Canones veteri Codici adjuncti sunt, sed non item Apostolici

Just. Nov.
cxxxī. [p.
343.]

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. i.
p. 101; et
Conc. tom. i.
col. 2, A.]

[Just. Bibl.
ut supra; et
Conc. tom. i.
col. 1, A.]

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. i. pp.
275-304.]

et Africani. Porro eodem seculo, et sub eodem, quo Dionysius Exiguus, Imperatore claruit Joannes Scholasticus presbyter Antiochenus, qui etiam ab eodem ad thronum Constantinopolitanum Eutychii expulsi loco promotus est. Hic autem omnes Canones ab Ecclesia Græca tunc temporis receptos in quinquaginta titulos digessit. Quod eximium opus vocavit συναγωγήν τῶν κανόνων, *collectionem Canonum*, cui indicem præfixit omnium Canonum, quos ipse ad dicta quinquaginta capita reduxerat. Verum tam in isto indice, quam in ipsa collectione, præter Canones in prisco Codice congestos, ille Apostolicos etiam, Sardicenses, Ephesinos, Chalcedonenses, et S. Basilii nonnullos Canones recenset, idque hoc ordine, Apostolorum Canones LXXXV., Synodi Nicænæ XX., Ancyranæ XXV., Neocæsarianæ XIV., Sardicensis XXI., Gangrenæ XX., Antiochenæ XXV., Laodicenæ LIX., Constantinopolitanæ primæ VI., Ephesinæ VII., Chalcedonensis XXVII., S. Basilii LXVIII. Hos autem Canones ille haud dubie in quinquaginta titulos non redegisset, nisi omnes in Græcorum Nomocanonem antea recepti fuissent; quos propterea universos in Ecclesia Græca tunc dierum obtinuisse constat, etiamsi incertum sit, utrum a Concilio aliquo, an a privato viro, antiquus Codex reliquis istis Canonibus adauctus fuerit.

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. pp.
499-602.]

X. Septimo autem seculo currente, et Justiniano secundo imperante, Synodus in Trullo Constantinopoli habita non modo eos omnes, quos Joannes Antiochenus in suum opus congesserat, verum etiam complures alios Canones secundo ipsius Canone confirmavit, nimirum Canones Concilii Carthaginensis, necnon Constantinopolitani sub Nectario Patriarcha C.P., et Theophilo Alexandrino, in causa Agapii et Bagadii, cum uterque Episcopatum Bostræ sibi vindicaret, habiti. Item multorum Patrum Canones, puta Dionysii Alexandrini, Petri Alexandrini, Gregorii Neocæsariensis, sive Thaumaturgi, Athanasii Alexandrini, Basilii Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopi, (cujus etiam Canones LXVIII. Joannes Antiochenus in suam collectionem retulit) Gregorii Nysseni, Gregorii Theologi sive Nazianzeni, Amphilochei Iconii, Timothei, Theophili, et Cyrilli Alexandrini, Gennadii Constantinopolitani, et unum denique Canonem a Concilio sub Cypriano celebrato editum. Hi omnes in hoc

[Pan. Can.
tom. i. p. 158,
B-F.]

opere exhibentur, Codex autem ex omnibus hisce Canonibus constitutus prius collectus videtur, quam ab hac Synodo confirmatus fuerit. A quo autem hujus Synodi auctoritate fultus est, in Ecclesia Orientali diu solus obtinuit, una cum Canonibus numero CII. ab eadem Synodo constitutis.

XI. Octavo deinde quasi exeunte seculo, alia Nicææ coacta est Synodus, quæ Græcis septima Œcumenica nuncupatur. Hæc etiam XXII. Canones constituit, quorum primo sex priorum universalium Synodorum decreta confirmavit; Trullanos nimirum Canones quintæ pariter atque sextæ Synodo adscribens, neutra enim earum Canones edidit, præter eos, qui a Synodo Trullana sanciti sunt, quæ propterea πενθέκτη, q. d. *Quinisexta*, Græcis passim appellatur. Canones igitur a Synodo ista Trullana constitutos, una cum omnibus ab eadem confirmatis, secunda hæc Nicæna Synodus ratos fecit. Qui autem ab eadem conditi sunt Canones, in Nomocanonem idcirco relati videntur, quod ab universali Synodo editi crederentur; quicquid enim ab universali decretum est Synodo, eo ipso nomine religiose observandum esse, Græci perpetuo judicarunt. In Basilicis autem omnes etiam septimæ hujusce Synodi Canones legum vicem obtinere statutum est. Θεσπίζομεν τοίνυν τάξιν νόμων ἐπέχειν τοὺς ἁγίους ἐκκλησιαστικούς κανόνας τοὺς ὑπὸ τῶν ἁγίων ἐπτὰ συνόδων ἐκτεθέντας, ἢ βεβαιωθέντας, τοῦτ' ἔστι τῆς ἐν Νικαίᾳ, κ. τ. λ. *Sancimus igitur ut sacri ecclesiastici Canones legum vicem obtineant, qui a sanctis septem Synodis constituti sunt aut confirmati, hoc est, Nicæna, etc.* Et recensitis sex primis Œcumenicis Conciliis mox additur, Καὶ ἐπὶ πάσαις τῆς ἐν Νικαίᾳ τὸ δεύτερον, ἐξ ἧς οἱ κατὰ τῶν ἁγίων εἰκόνων λυττήσαντες ἐξ Ἰσοῦ τοῖς προλάβουσιν αἰρετικοῖς τῆς καθολικῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας ἀπεκηρύχθησαν· τῶν γὰρ προειρημένων ἁγίων συνόδων τὰ δόγματα, καθάπερ τὰς ἁγίας [leg. θείας] γραφὰς, δεχόμεθα, καὶ τοὺς κανόνας ὡς νόμους φυλάττομεν, *Ad ultimum, Nicæna secunda, in qua illi qui adversus sanctas imagines furore perciti erant, pariter cum anterioribus hæreticis, a Catholica Dei Ecclesia abdicati sunt. Prædictarum enim Synodorum decreta, perinde ut Divinas Scripturas suscipimus, et Canones ut leges custodimus.* Quæ eadem verba citantur etiam a Balsamone, in Nomocanonem Photii, tit. i. cap. 2. Quinetiam ipse Photius in textu ibidem ait: 'H γ'. διάταξις τοῦ β'. τίτλου

[Pan. Can. tom. i. p. 284, E. Vide quodque Annot. in Can. i. Conc. Nic. ii. Ann. in Pan. Can. p. 166, tom. ii. ad fin.]

Basil. lib. v. tit. 3, cap. 2; [tom. i. p. 171, B, C.]

[Ibid. p. 172, B, C.]

[Apud Just. Bibl. Jur. Pan. tom. i. p. 171]

τῶν νεαρῶν τοὺς τῶν ἑπτὰ συνόδων κανόνας θέλει κρατεῖν, καὶ τὰ δόγματα αὐτῶν ὡς τὰς θείας γραφάς. *Constitutio iii. tit. ii. Novellarum septem Conciliorum Canones vult valere, eorumque dogmata tanquam Sacras Scripturas.* Ubi Balsamon observat, Constitutionem tertiam tituli secundi Novellarum, esse Novellam Justiniani CXXXI. positam in Basilicis loco supra citato. Verum enimvero Justinianus ille plusquam ducentis annis prius mortuus est, quam septima illa Synodus Nicææ celebrata fuerit; qui proinde nihil de ista Synodo constituere potuit. Sed et Justinianus in ista Novella quatuor tantum universalia Concilia confirmavit, uti ex verbis ejus superius laudatis manifestum est, quæ etiam eadem sunt, quæ in ipsa Justiniani Novella, ut in Basilicis relata, leguntur, nisi quod ἑπτὰ pro τεσσάρων substituatur, et tres aliæ Synodi quatuor illis addantur, quæ a Justiniano confirmatæ sunt. Quæ quidem Justiniani Novellæ interpolatio prius facta videtur, quam Βασιλικαὶ Διατάξεις, sive, ut Græci vocant, Βασιλικά, vel a Leone Philosopho perfecta fuerint, vel a patre ejus Basilio inchoata. Namque Photius, etiamsi Basilio imperante claruit, non tamen e Basilicis, sed e tertia Constitutione secundi tituli Novellarum istam Constitutionem citat. Unde constat illam Justiniani Novellam corruptam fuisse, et dicta trium istarum Synodorum accessione exauctam, antequam in Basilicis posita fuerit. Quo autem pacto, quove jure, tanta accessio dictæ Novellæ adjecta est, nobis haud satis liquet. Ac proinde, neque compertum habemus, qua auctoritate septima ista Synodus, una cum Canonibus ab ea sancitis, confirmata est. Hoc tantum constat, Canones ab ea constitutos in Græcorum Nomocanonem statim receptos fuisse, cum Photius Patriarcha Constantinopolitanus, qui minus quam centum ab isto Concilio annis floruit, in Nomocanone a se digesto eos laudaverit.

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. p.
816.]

XII. Nono denique fluente seculo, Photius patriarchatum Constantinopolitanum obtinuit; sub quo duæ habitæ fuerunt Synodi, una, quæ 'prima et secunda' dicitur, in templo S. Apostolorum, altera, in templo S. Sophiæ, sive Sapientiæ; quarum illa XVII., hæc III. Canones exposuit, quibus additis Nomocanon absolutus est. Additi autem sunt ab ipso Photio, sub quo editi, idque primum in Nomocanone

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. p.
793.]

ab ipso elaborato, ut colligere est ex ipsius Præfatione in eundem Nomocanonem, in Bibliotheca Juris Canonici Veteris, ex MS. nostro Bodleiano edita, ubi de suo ipsius opere loquens, ait: Πρὸς τούτοις δὲ καὶ οὓς μετὰ ταῦτα ἢ ἐν Κωνσταντινουπόλει πρώτη καὶ δευτέρα σύνοδος, ἔριδος τινος ἀναρρίπισθείσης, τὸν πάνσεπτον ναὸν τῶν Ἀποστόλων ποιησαμένη τῶν πραττομένων ἀκροατήριον, ἐτυπώσατο· ἀλλὰ καὶ οὓς ἢ μετὰ ταῦτα σύνοδος ἐπὶ κοινῇ τῆς ἐκκλησίας ὁμοσίᾳ συστάσα, καὶ τὴν ἐν Νικαίᾳ σύνοδον ἐπισφραγίσασα, αἰρετικὴν δὲ πᾶσαν καὶ σχισματικὴν ἀποβαλοῦσα πλάνην, καὶ τούτους τοὺς τῶν ἀδελφῶν συνόδων κανόνι συνέταξεν. *Præterea vero eos etiam Canones complectitur, quos postea prima et secunda Synodus Constantinopolitana in venerando Apostolorum templo celebrata, mota ac ventilata quadam controversia, sancivit, necnon etiam quos illa Synodus constituit, quæ communi Ecclesiæ concordia postmodum habita est, quæque Nicænam Synodum confirmavit, omnem vero hæreticum atque schismaticum errorem sustulit. Hos, inquam, eodem, quo similium Synodorum Canones, ordine collocavit. Postquam itaque Photius Canones hosce a duabus Synodis sub se celebratis editos in Nomocanonem suum congegisset, Ecclesia Orientalis istos, ab eo usque tempore, tanquam partem canonici sui juris perpetuo habuit; quo factum est, ut isti etiam inter alios hoc opere recenseantur, quo omnes Canones a Synodo aliqua constituti aut confirmati, et ab Ecclesia Græca recepti, quique hucusque commemorati sunt, exhibentur. Hic autem insuper observandum est, inter Photii et Zonaræ ætatem primum Canonum horum ordinem aliquantulum immutatum esse, ut Concilia nimirum Œcumenica priori in loco, ordine quodque suo, omnia collocentur, cum non modo Concilii Trullani, sed et Photii, diebus Synodi provinciales, Ancyrana, Neocæsariensis, Gangrena, Antiochena, et Laodicena, ante omnes Œcumenicas, præter Nicænam primam, juxta veterem codicem collocatæ fuerint.*

XIII. Cum hoc Canonici Græcorum Juris Corpus omnibus hoc modo numeris suis absolutum, omnesque ecclesiasticæ causæ ex Canonibus in illud collectis per totam Græciam adjudicatæ fuissent; postea de ipsis Canonibus et eorum auctoritate nunquam controversum est, sed tantum de vera ipsorum interpretatione. Quo factum est, ut complures e

doctissimis viris, et juris canonici peritissimis, multum studii et laboris in iis interpretandis impenderint. Hoc studiorum genus, duodecimo præcipue seculo, in Oriente viguit, quo currente tres eruditissimi viri, Theodorus Balsamon, Joannes Zonaras, et Alexius Aristenus claruerunt, qui omnes egregiam huic rei canonicæ operam dederunt. Horum itaque singulorum scholia in hoc libro exhibemus, idque ea methodo, ut singuli Canones trium istorum interpretum commentaria sibi annexa habeant. In quibus tamen disponendis ordinem temporis, quo quisque scripsit, non observamus, sed Theodorum Balsamonem, qui postremus fuit, primo in loco constituimus, nimirum ob summam ejus in hisce studiis auctoritatem, et maximam in Ecclesia dignitatem. Nam Patriarcha fuit, uti mox ostendemus. De singulis autem hisce scholiastis, quos edimus, ordine, quem in libro occupant, ratio pariter atque consuetudo postulat, ut nonnihil hoc loco præmittamus.

XIV. Theodorus Balsamon Constantinopoli oriundus est. Ipse enim se Constantinopolitanum appellat, in altera interpretatione duodetricesimi Canonis Chalcedonensis, dicens,

Ἐγὼ δὲ Κωνσταντινουπολίτης ὢν ἀκραιφνέστατος, καὶ τοῦ ἁγιοτάτου θρόνου τῆς Κωνσταντινουπόλεως μέρος γεγονώς, *Ego vero, cum Constantinopolitanus civis sum integerrimus, et sanctissimi throni Constantinopolitani pars factus.* [Pan. Can. tom. i. p. 146, B, C.]

Unde simul colligitur eum in ista Ecclesia primo ordinatum fuisse. Nimirum Diaconus, Nomophylax, atque etiam Chartophylax istius Ecclesiæ fuit, ut patet ex inscriptione Constitutionum ecclesiasticarum, quas ipse collegit, quæ in Codice MS. Nicolai Peirescii Senatoris Aquissextiensis a Carolo Annibale Fabroto in notis ad easdem Constitutiones citato sic se

habet: Θεοδώρου διακόνου τῆς ἁγιοτάτης τοῦ Θεοῦ [μεγάλης] ἐκκλησίας Νομοφύλακος, καὶ Χαρτοφύλακος, καὶ πρώτου τῶν Βλαχερνῶν τοῦ Βαλσαμῶνος, τοῦ μετὰ χρόνους τινὰς γεγονότος Πατριάρχου Θεουπόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας. [Just. Bibl. Jur. Can. tom. ii. p. 1377.]

Quæ eadem fere habentur et in inscriptione hujus operis mox citanda. Quinetiam a Philotheo Patriarcha in refutatione execrationum ab Har-
menopylo scriptarum ὁ σοφὸς Νομοφύλαξ appellatur. Ipse

etiam se Chartophylacem fuisse in scholiis ad primum Synodi Nicænæ I. Canonem testatus est his verbis, Καὶ ὅτε τὸ Χαρτοφυλακικὸν ἐνήργουν ὀφφίκιον, [ἀλλὰ] καὶ μετὰ τὸ πατρι- [Leunc. Jus Græco-Rom. lib. iv. tom. i. p. 288.] [Pan. Can. tom. i. p. 59, C.]

αρχεῦσαι. E quibus ultimis verbis se Patriarcham etiam fuisse fidem facit; Antiochiæ scilicet, quam patriarchalem sedem eum occupasse Isaacii Angeli diebus, qui imperare cœpit anno Domini MCLXXXV., ex Nicetæ Choniatae annalibus discimus; qui memoriæ tradidit, ut dictus Imperator in animo habens Dositheum Patriarcham Hierosolymitanum ad sedem Constantinopolitanam Leontii expulsi loco promovere, et certior factus hoc contra Canones esse, ad Balsamonem Antiochenum, utpote jure canonico exercitissimum se contulerit, de hac re consulturus, Εἰδὼς δὲ τοὺς κανόνας τοῦτο μὴ συγχωροῦντας, μέτεισιν ὑπούλως τὸν διέποντα τὸν θρόνον τοῦ Θεοῦ πόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας, Θεόδωρον τὸν Βαλσαμών, ἄνδρα ὑπὲρ τοὺς τότε πάντας ὄντα νομοτριβῆ. *Quod cum Canones non permittere sciret, ad Theodorum Balsamum thronum Dei civitatis magnæ Antiochiæ administrantem, virum ea ætate supra omnes alios juris consultissimum subdole accedit.* Et paucis interjectis scribit, ut idem Imperator cum Balsamone colloquens simulaverit se eum voluisse Antiochia Constantinopolim transferre. Καὶ τοιαῦθ' ἕτερα σχετλιαστικῶς προαναβαλόμενος, ἐπήγαγε πάλαι μὲν βούλεσθαι μετενεγκεῖν αὐτὸν ἐκ τῆς Ἀντιοχείων ἐκκλησίας εἰς τὴν οἰκουμένην περιωπῆν, ὡς λύχρον τῆς τῶν νόμων τηλαυγείας πάμφωτον. *Hæc, et id genus alia, non sine quæstu præfatus, subjunxit olim fuisse sibi in animo illum ex Antiochena Ecclesia ad Œcumenicam dignitatem, ut illustrem legalis puritatis lucernam, transferre.* E quibus simul constat, quanti nominis atque in jure canonico auctoritatis Theodorus hic Antiochenus tum dierum fuerit. Qui nihilo minus ad thronum sibi commissum nunquam accedere potuit, Latinis tunc temporis Antiochiam tenentibus, ac propterea omnia ecclesiastica, quæ ad patriarchatum suum pertinebant, negotia Constantinopoli administrare coactus est.

XV. Hunc porro Theodorum Balsamonem jure canonico pariter ac civili instructissimum fuisse, non tam ex aliorum testimoniis, quam ex suis ipsius operibus constat. Multa siquidem composuit, quæ omnia ad jurisprudentiam spectant. Hic enim auctor fuit collectionis illius Constitutionum Ecclesiasticarum, quæ sub Paratitlorum nomine a Joanne Leunclavio primo Latine edita est, et postea Græce a Carolo Annibale Fabroto, J. C., ut idem Fabrotus in notis probavit. Plurimos enim tractatus conscripsit, ut de Patri-

Nicet. Choniatae in Isaac. Angel. lib. ii. [sect. 4, p. 213, C.]

[P. 213, D.]

[Just. Bibl. Jur. Can. tom. ii. p. 1377.]

archarum privilegiis; de duobus illis officiis, Chartophylacis et primi Defensoris; de quaestione ista, an unus et idem duabus consobrinis conjungatur; de incensis quæ a Patriarcha dari solent eo die, quo catechesis habetur; et de conconvocatione, quæ fit ad sacras monasteriorum ædes per tria signa; qui omnes sub meditatorum nomine septimum librum Juris Græco-Romani a Joanne Leunclavio emissi constituunt. Scripsit etiam responsa ad LXIV. canonicas interrogationes a Marco Alexandrino Patriarcha ipsi propositas, quæ etiam in quinto dicti Juris Græco-Romani libro exstant. Horum proœmio istæ interrogationes factæ dicuntur, imperante Isaacio Angelo, et Georgio patriarchatum Constantinopolitanum tenente, mense Februario, indictione XIII., anno post incarnationem Domini MCCIII. *Μηνί Φεβρουαρίω, ἐπινεμήσεως ιγ'· και ἐτῶν μετὰ τὴν σάρκωσιν τοῦ Κυρίου, και Θεοῦ, και Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ασγ'.* Hæc autem sibi non constant. Nam anno MCCIV. a Venetis et Francis occupata est Constantinopolis. Verum post Isaacium, Alexius Angelus octo annos, et alius post eum Alexius, Ducas cognomine, aliquantisper imperavit ante captam urbem; quintiam post Georgium istum Xiphilinum Joannes Camaterus thronum Constantinopolitanum quinque annos et octo menses administravit, priusquam urbs a Latinis caperetur. Ac proinde si istæ interrogationes factæ fuerint sub imperio Isaacii, et patriarchatu Georgii, ante annum MCCIII. factæ sint necesse est. Neque etiam indictio convenit; isto enim anno, non XIII., sed VI. indictio currebat; in utroque itaque numero, et anni scilicet, et indictionis, error admissus est. Nec video quomodo corrigatur, nisi pro ,ασγ' ; scribatur, ,αξργ', et ,ιά pro ,ιγ'. Ut istæ nimirum interrogationes Balsamoni propositæ fuerint anno Domini MCXCIII. indictione XI., quo quidem anno Isaacius Angelus imperium, et Georgius Xiphilinus Ecclesiam Constantinopolitanam gubernabat. Quam facilis autem frequensque sit lapsus in Græcis describendis numeris, neminem latet.

XVI. Inter omnia autem opera, quæ illustris hic in utroque jure princeps elaboravit, primum illud jure merito habetur, quo antiquos Conciliorum Patrumque Canones interpretatus est, quodque his verbis inscribitur, *Ἐξήγησις τῶν ἱερῶν και θεϊῶν κανόνων, τῶν τε ἀγίων και πανευφήμεων Ἀποστόλων,* [Apud Just. Bibl. Jur. Can. tom. II. p. 813.]

[Jus Græco-Rom. tom. I. pp. 442-478.]

[Ibid. pp. 362-394.]

[P. 362.]

καὶ τῶν ἱερῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, ἀλλὰ μὴν καὶ τῶν τοπικῶν, ἤτοι μερικῶν, καὶ τῶν λοιπῶν ἀγίων πατέρων· πρὸς δὲ καὶ δῆλωσις τῶν ἐνεργούντων νόμων, καὶ μὴ ἐνεργούντων, τῶν ἀναταττομένων ἐν τοῖς δέκα πρὸς τοῖς τέσσαρσι τίτλοις τοῖς κατ' ἀρχὴν τῶν κανόνων κειμένοις· πονηθεῖσα κατὰ πρόσταξιν βασιλικὴν καὶ πατριαρχικὴν Θεοδώρῳ τῷ εὐτελεῖ διακόνῳ τῆς ἀγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας Νομοφύλακι, Χαρτοφύλακι, καὶ πρώτῳ τῶν Βλαχερνῶν, τῷ Βαλσαμῶν, τῷ μετὰ χρόνους τινὰς [γεγονότι] πατριάρχῃ Θεουπόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας καὶ πάσης ἀνατολῆς. *Expositio sacrorum divinorumque Canonum, sanctorum celebratissimorumque Apostolorum, sacrorum Œcumenicorum, atque etiam provincialium, sive particularium Conciliorum, reliquorumque sanctorum Patrum, insuper et declaratio efficacium atque inefficacium legum in quatuordecim titulis ante Canones positis collocatarum: elaborata jussu Imperatorio atque Patriarchali, a Theodoro Balsamone, sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ diacono Nomophylace, et Chartophylace, præfecto Blachernarum, qui etiam post aliquot annos Theopolis magnæ scilicet Antiochiæ et totius Orientis Patriarcha factus est.* Hoc est eximium illud opus, quod totum hoc libro in publicum damus, nisi quod illam declarationem legum in titulo commemoratam, hoc est, Nomocanonis Photii in quatuordecim titulos distributi interpretationem prætermittere visum est; partim quod in Bibliotheca Veteris Canonici Juris non ita pridem edita est, et partim quod de legibus civilibus potius quam de Canonibus ecclesiasticis agit; unde et in ipsa hac Canonum interpretatione, ubi de legibus politicis loquitur, ibique solum, istam Nomocanonis expositionem citat, sub nomine τοῦ παρόντος συντάγματος. Ut in secundum Canonem Concilii Constantinopolitani, Novellam citat, καταστρωθεῖσαν εἰς τὴν ἐρμηνείαν τοῦ ἐ κεφ. τοῦ ἀ τίτλου τοῦ παρόντος συντάγματος· hoc est, in interpretatione quinti capitis primi tituli Nomocanonis Photii sitam. Quod παρὸν σύνταγμα propterea appellat, quod iste Nomocanon ipsis Canonibus præfigi, et unum cum iis volumen componere, solitus fuerit: quod hic lectorem præmonitum esse sufficiat. Cum autem in titulo supra laudato hoc opus elaboratum dicatur κατὰ πρόσταξιν βασιλικὴν καὶ πατριαρχικὴν, hoc idcirco asserit, quod illud aggressus est jussu Manuelis Comneni Imperatoris, et Michaelis Anchiali Patriarchæ Constantinopolitani; ut ipse

[Pan. Can.
tom. i. p. 88,
B.]

sub initium præfationis suæ in Nomocanonem Photii, quæ eadem et huic Canonum interpretationi inservit, testatus est, dicens, Τοῦτο καὶ ἡμεῖς ὀρισθέντες παρὰ τοῦ θεοστεφοῦς ἁγίου ἡμῶν αὐτοκράτορος ἁγίου [leg. κυρίου] Μανουήλ Κομνηνοῦ, καὶ τοῦ παναγιωτάτου ἡμῶν δεσπότης καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου, τοῦ γεγονότος ὑπάτου τῶν φιλοσόφων, κυρίου Μιχαήλ τοῦ Ἀγχιάλου, τοὺς ἱεροὺς κανόνας κατασκέψασθαι, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς ἀσαφεῖ καὶ τοῖς νόμοις τὸ δοκεῖν ἐναντιούμενα σαφηνίσαι καὶ ἐρμηνεῦσαι. *Quapropter nos sane ubi a divinitus coronato sancto nostro Imperatore D. Manuele Comneno, et sanctissimo domino nostro et Œcumenico Patriarcha D. Michaelē Anchialo, qui philosophorum princeps fuit, decretum esset, ut sacros Canones diligenter inspiceremus, et quæ in illis obscuriora essent, modoque aliquo legibus adversari viderentur, declararem, atque interpretarem.* Ubi etiam observare licet, hoc ei opus impositum fuisse priusquam Patriarcha creatus esset, et cum adhuc officio aliquo in Ecclesia Constantinopolitana fungeretur: siquidem Patriarcham Constantinopolitanum Dominum suum appellet. Cœptum est igitur hoc opus Michaelē Anchialo thronum Constantinopolitanum tenente; sed non consummatum est usque ad Georgium Xiphilinum ad sedem istam evectum anno Domino MCXCI. plus minus. Huic enim Patriarchæ Balsamon præclarum hoc opus a se elaboratum dedicavit: et ad eundem carmina quædam dedicatoria conscripsit, quæ Gentianus Hervetus ex Codice Tiliiano Latine vertit in hunc modum. [Apud Just. Bib. Jur. Can. tom. ii. p. 814.]

THEODORI PATRIARCHÆ ANTIOCHENI AD SANCTISSIMUM PATRIARCHAM DOMINUM GEORGIUM XIPHILINUM, CARMEN.

Perquam pias traditiones Canonum	Quæ canonicæ disciplinæ sunt opera.
In vasto ego mari tremens Atlantico	Te rogo, qui bonis nites actionibus,
Pervasi, ut Ascræus Charybdin hospes	Et luce doctrinæ cunctos illuminas,
trajicit,	Hujus libri columna itineris ut sies,
Vel rubrum ut pelagus Israelites senex,	Ægyptiorum mores quidem exustulans,
Tuæ manus dextræ stabilitus gratia,	Verum in salutis via lucem porrigens.
O Patriarcharum valde pium decus.	Hæc tibi scribo Theodorus Balsamon;
Unde bacilli mystici calamo levans	Qui Patriarcha sum religione inclytæ
Illorum inaccessum itiner [sic] bifariam	Antiochiæ, atque adeo Orientis totius.
Ipsè in duobus tradidi scripto libris,	

XVII. Egregium hoc opus a Patriarcha Antiocheno non citius editum est, quam summo a plerisque applausu exceptum, licet nonnullos invenerit malevolos, qui illud vel-

[Edit. Paris. 1561.]

Leunc. Jus
Græco-Rom.
lib. v. tom. i.
p. 333.

licare studuerant. Namque Constantinus Cabasila Archiepiscopus Dyrrachii hanc ad Joannem Episcopum Citri quæstionem proposuit: Αἱ παρὰ τοῦ μακαρίτου πατριάρχου Ἀντιοχείας Θεοδώρου τοῦ ἐπιλεγομένου Βαλσαμῶν γεγονυῖται ἀποκρίσεις πρὸς τὰς ἐρωτήσεις Μάρκου τοῦ ὀσιωτάτου πατριάρχου Ἀλεξανδρείας, εὐρίσκονται τινὰς παρεκβάσεις ποιούμεναι ἔν τε κανονικαῖς καὶ νομικαῖς διατάξεσι· δεῖ οὖν ταύταις προσέχειν, ἢ οὐ; *A beatæ memoriæ Patriarcha Antiochiæ, cognomine Balsamon, factæ responsiones ad interrogationes Marci sanctissimi Alexandria Patriarchæ, comperiuntur quasdam digressiones facere in canonicis et civilibus constitutionibus. An iis adhærendum sit necne? Respondet*

[Ibid. pp. 333,
334.]

Joannes, Ὁ ἱερός οὗτος ἀνὴρ, ὁ Ἀντιοχείας, τρίβων μὲν ἦν ἐς ἀκριβεῖς τῶν νομικῶν καὶ κανονικῶν νομοθετημάτων, καὶ παρὰ πᾶσιν ἐν τούτοις περιαδόμενος· τὰ μέντοι συγγράμματα τούτου, ὅσα πρὸς κανονικά καὶ νομικά λήμματα ἐξηνήχθησαν, οὐκ ἐς τὸ πᾶν ἀκριβείας ἐχόμενα καταφαίνονται, τὸ παράδοξον· ἀλλ' ὡσπερ ἀνεῖ ἐκ λήθης μάλιστα καὶ παροράσεως προϊόντα, καὶ πού καὶ ἐφ' ἑαυτὸν μεριζόμενα· καὶ οὐκ ἂν τις ἐπιστῶν τούτοις, οὐκ ἀπορήσειεν, εὐρίσκων τῇ ἐκείνου ἀκριβείᾳ τὰ ἑαυτοῦ συγγράμματα μὴ συντρέχοντα. Ἐγὼ δὲ καὶ ζῶντος ἐκείνου πολλῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει νομοτριβουμένων ἀκήκοα ἐπιλαμβανόμενων τινῶν τοῦ ἀνδρός ἐκείνου γνωμοδοτημάτων, ὡς μὴ κατὰ μοῖραν ἐξενεχθέντων, ἔν τε κανόνων ἐρμηνείαις καὶ νόμων, καὶ ἄλλοις τοιοῖσδε συντάγμασι. *Divinus ille vir, Antiochiæ Patriarcha, accurate percallebat civiles et canonicas constitutiones, et ab omnibus in hisce rebus celebratus fuit. Ejus autem scripta, quæ ad canonica et civilia lemmata edita sunt, non in omnibus, quod mirum est, accuratationem habere cernuntur, sed velut ex oblivione maxima et inconsiderantia procedentia; alibi etiam in seipsis divisa. Nec de eo dubitet, qui diligenter considerarit, inveniens ejus scripta subtilitati viri non respondentia. Ego autem etiam illo vivo multos audiivi Constantinopoli legis peritos, qui quasdam viri illius sententias reprehenderent, quod non essent recte prolatae in canonum et legum interpretationibus, et aliis hujusmodi voluminibus. Et deinde addit eum oportere in jurisprudentia instructissimum esse, qui hæc commentaria evoluit. Sed, ut ut ab aliis sugillatus fuerit, ipso etiam Joanne iudice, Balsamon canonicas æque ac civiles constitutiones accurate tenuit, et ab omnibus propterea celebratus fuit.*

XVIII. Quantæ autem auctoritatis Balsamon ipse, et hæc

illius in Canones commentaria Constantinopoli olim fuerant, ipse Philotheus Patriarcha clare satis indicat; quippe qui in refutatione scriptarum ob Harmenopulo execrationum, hæc

habet, Τοῦτο γὰρ φησιν ὁ σοφὸς Νομοφύλαξ, καὶ τῶν ὁμοίων σοι σπου-
 δαστῆς Βαλσαμῶν, ὁ ἐν νόμοις τε καὶ κανόσι [μάλιστα] πολυμαθέστατος
 καὶ σοφώτατος, ὁ καὶ πατριάρχης Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης ἀναδειχθεὶς
 ὕστερον ὅπερ οὐδὲ σε διαλανθάνειν εἴποιμι ἂν ἔγωγέ ποτε, σοφὸν τε
 ὄντα, καὶ σπουδαῖον τὰ τοιαῦτα, εἴπερ τινα. *Hoc enim tradit eru-*

[Leunc. Jus
 Græco-Rom.
 lib. iv. tom. i.
 pp. 288, 289.]

*ditus ille Nomophylax, et consimilium tuis studiorum particeps
 Balsamon, in legibus et Canonibus summe instructissimus, et
 sapientissimus, qui et magnæ illius Antiochiæ Patriarcha
 tandem designatus est; id quod nec te quidem ignorare dicerem,
 virum doctum, et hujusmodi imprimis rerum studiosum. Et*

paulo post, Ὁ τοίνυν προῤῥηθεὶς πατριάρχης Ἀντιοχείας, ὁ σοφὸς

[Ibid. p. 289.]

Βαλσαμῶν τοὺς ἱεροὺς ἐξηγούμενος κανόνας, τάδε φησιν ἐν τῇ προοιμίῳ
 τῆς ἐξηγήσεως τῶν κανόνων τῆς ἐν Γάγγρα συνόδῳ. Ἡ μὲν παροῦσα
 σύνοδος, κ. τ. λ. *Prædictus igitur Antiochenus Patriarcha,*

*sapiens ille Balsamon, dum sacros exponit Canones, hæc in
 præfatione expositionis Canonum Synodi, etc. Et deinde*

recitatis Balsamonis in Synodum Gangrenam verbis, iisdem
 scilicet, quæ in hoc opere loco ibi citato legas, illum in
 ea fuisse sententia asserit, quod tomus Synodalis, sub Con-
 stantino Porphyrogenneto Imperatore, et Alexio Patriarcha
 factus, in usu esse desierit. Hoc enim ita esse ait, Κατὰ

[Ibid. p. 290.]

τὸν σοφὸν Βαλσαμῶν, ὅπερ καὶ ἡμῖν ὁ σκοπὸς ἦν δεῖξαι, *Secundum
 sapientem illum Balsamonem, quod nobis etiam propositum
 erat ostendere.* Nimirum ac si indubium illud redderetur,

cum sapiens ille Balsamon ita esse affirmaret. Quin et
 citantur Balsamonis scholia a Nicolao Hydruntino, in
 scholio e principio Codicis Græci MS. Barberini, a Leone

Allatio laudato, ubi hæc habet: Εὗρον δὲ οὕτως καὶ ἐν

De Perp.
 Cons. Eccl.
 Occid. et
 Orient. lib.
 i. cap. 21,
 [sect. 3, col.
 333.]

Κωνσταντινουπόλει, ἐν τῇ βίβλῳ Θεοδώρου τοῦ Βαλσαμῶν Πατριάρχου
 Ἀντιοχείας· φησὶ γὰρ ἐκεῖνος ἐν τῇ κατ' αὐτὸν ἐρμηνείᾳ τοῦ Νομο-
 κανόνος οὕτως, Σὺ δὲ εὗρίσκων ἐν τισιν ἀντιγράφοις σφάλμα γραφικὸν

τὸ περὶ Κελεστίνου (ἀντὶ γὰρ Κελεστίου, Κελεστίνου μέμνηται) μὴ
 προσχῆς τοῖς οὕτω γεγραμμένοις· ὁ γὰρ Κελεστίνος πάπας ἦν Ῥώμης,
 ὁρθόδοξος, ὡς ἀνωθεν εἴρηται· ὁ δὲ Κελεστίνος ὁμόφρων τοῦ Νεστορίου, ἦτοι
 αἰρετικὸς ἦν. *Et cum essem Constantinopoli, illud ita esse*

*comperi in libro Theodori Balsamonis Patriarchæ Antioch-
 eni; ille enim dicit in sua Canonum expositione, Tu vero*

*inveniens in nonnullis codicibus errorem scripturæ circa Celestini nomen (namque pro Celestio Celestinus insertus est) dictis scriptis ne animum advertas. Nam Celestinus Papa erat Romanus, orthodoxus, ut supra dictum est: Celestius vero cum Nestorio sentiebat, sive hæreticus erat. Quæ ipsa Balsamonis verba exstant in scholiis ejus ad primum Synodi Ephesinæ Canonem. Matthæus Blastares etiam in Alphabetico ipsius Syntagmate, secundo hujus operis tomo nunc primum edito, hæc Balsamonis scholia non citat modo, sed et subinde transcribit. Quinetiam Isidorus Mercator, ad Latinam suam Canonum versionem exornandam, hisce commentariis usus est. Is enim suæ duodecimi Canonis Synodi Gangrenæ versioni hæc interserit, *Beros videtur Balsamon Episcopus Antiochenus, hunc locum interpretans, vocare vestes ex serico contextas.*⁴ Et ita quidem Balsamonem vocem βήρους interpretatum esse, ex scholiis ejus in dictum Canonem elucescit.*

[Pan. Can. tom. i. p. 99, F.]

[E. g. Lit. A, cap. ix. p. 21, F.]

[Pan. Can. tom. i. p. 421, E.]

XIX. A tempore autem, quo consummata sunt doctissima hæc Balsamonis in Nomocanonem Photii, et Conciliorum Patrumque Canones commentaria, quadringentos propemodum annos inter Græcos latuerunt, Latinis plerisque incognita: donec Gentianus Hervetus, Tridenti, cum Concilium ibi haberetur, commorans, et accuratum eorum nactus exemplar a Joanne Tilio, Episcopo Briocensi, illud Latine vertit. Quæ ejus versio sine Græco textu, a Guiljelmo Morelio, Lutetiæ Parisiorum, typis mandata fuit anno Dom. MDLXI. Post multos autem annos Bibliopolæ Parisienses Græcum quoddam consecuti apographum, illud una cum prædicta Herveti versione in publicam lucem emiserunt, Lutetiæ Parisiorum, ann. Dom. MDCXX. Et hæc quidem editio, eaque sola, ab eo usque tempore doctorum manibus trita fuit. Verum enimvero licet ad istam exornandam editionem Parisiensem multa ex MSS. Vaticanis, et nonnulla ex codice hæredum Achillis Harlæi, primi in suprema curia Parisiensi præsidis, collecta fuerint, quamplurima tamen in ea doctis adhuc desiderata sunt. Multæ enim lacunæ in ipso Græco textu relictæ sunt, quæ a nullo exemplari Græco suppleri poterant; et ipsi editores

⁴ [Hæc verba non in Isidori, sed in tom. ii. col. 420, in margine, occurrunt.]

ingenue fatentur se in nullum incidisse perfectum et expletum codicem Græcum, qui Latinam Herveti versionem æquaret, quam nihilosecius adhibuerunt. Quo factum est, ut inter Græcum textum et Latinam versionem quamplurimis in locis minime conveniat, cum exemplar, quo usus est Gentianus Hervetus, nunc plura, nunc pauciora habuerit, quam illud, quod ejus versioni adjunxerant. Et ubi totidem utrobique sunt sententiæ, sensus tamen hic atque ibi alius sæpe deprehenditur.

XX. Cum itaque Parisiensis horum Balsamonis in Canones commentariorum editio adeo mutila fuerit, atque imperfecta, summo rei canonicæ emolumento accidit, ut vetus admodum et completum eorum exemplar in locupletissima nostra Bibliotheca Bodleiana Oxoniæ haberemus, quod quadringentis circiter abhinc annis, ut ex charta, characteribus, ligaturis, aliisque istiusmodi antiquitatis indiciiis conjicimus, eleganti manu exaratum prelo tandem aliquando subjecimus, et publici hoc in opere juris fecimus. Neque enim fas erat, ut tam pretiosum juris canonici *κειμήλιον* in una Bibliotheca diutius lateret; quo non modo omnes, quæ in priori fuerunt editione, lacunæ suppletæ sunt, verumetiam alia quamplurima ibi desiderata hic inseruntur, et omnia fere usque adeo emendantur, ut vera Balsamonis Antiocheni in Canones commentaria nunc primum in lucem emissa videantur.

XXI. Ad majorem tamen operis ornatum duobus aliis eorundem scholiorum codicibus MSS. usi sumus, Etoniensi, et Amerbachiano; quorum illud amplissimo viro Richardo Allestry, SS. Theologiæ Professori Regio in Academia Oxoniensi, et regalis collegii Etoniæ constituti Præfecto, acceptum ferimus: utpote qui curam adhibere dignatus est, ut variantes ex codice MS. in Bibliotheca ejusdem Collegii reposito lectiones colligerentur. Alter codex MS., quo adjuti sumus, est vetustus ille et insignis, qui in publica Academiæ Basileensis Bibliotheca exstat, cui eum clarissimus vir Basilius Amerbachius (a cujus nomine Amerbachianum appellamus) legato dedit anno Dom. MDXCIII. quo inter alia, Balsamonis simul et Zonaræ in Canones commentaria, nitido et vetusto caractere descripta, continentur, sed Zonara perpetuo Balsamoni præmisso. Hujus elegantis

codicis usum-fructum honoratissimi illius Academiae proceres ad hanc editionem adornandam permiserunt nobis exhibendum per manum et industriam doctissimi viri Domini Joannis Rodolphi Wetstenii, Filii, qui tanta fide, tanta diligentia, MS. istum codicem cum Parisiensibus Balsamonis et Zonaræ editionibus contulit, ut pares ei gratias referre nequaquam possimus; neque nos solos, verum et omnes omnino juris canonici studiosos hoc singulari ipsius officio sibi in æternum devinctos habebit. Omnes enim variantes lectiones exquisitissime collegit, et multa insuper antiqua in Canones scholia e codice isto excrispsit, quæ nec in Balsamonis, nec Zonaræ commentariis, nec alio, quantum scimus, codice habentur. Hoc sane dolendum est, quod nescio quo fato accuratæ istæ collectiones, per biennium fere in itinere hærentes serius ad manus nostras pervenerunt, quam ut dicta scholia ipsi operis hujus corpori suis in locis interseri poterant. Ne quis tamen de iis omnino hic desideratis conquereretur, ea omnia, Latine etiam a nobis versa, annotationibus inseruimus, ad eosdem relata Canones, quibus in Codice Amerbachiano adscripta sunt. Ex variantibus autem lectionibus pro comperto habemus, Codicem istum Amerbachianum cum Bodleiano nostro plerumque convenire, etiam ubi Parisiensis editio ab utroque discrepat: adeo ut inter innumeras illas, quas clarissimus vir, MS. Amerbachianum cum Parisiensibus codicibus conferens, varias collegit lectiones, raro admodum ulla, notatu saltem digna, occurrat, quæ a codice nostro hic impresso dissidet. Quod idem et de Codice Etoniensi dicendum est. Namque inter tres hosce codices optime convenit; quemadmodum in annotationibus multoties observare licet, ubi tres hosce codices se invicem confirmantes sæpe producimus. Inter eos autem et Parisiensem editionem multum discriminis passim occurrit, et idcirco, etiamsi Latinam Gentiani Herveti versionem, quoad ejus fieri potuit, retinere eniteremur, eam tamen quamplurimis in locis immutare coacti sumus, ut Græco eam textui a nobis edito adaptaremus. Et ubi Gentianus Hervetus sensum alicujus loci, quod sæpe accidit, male intellexit, vel saltem non bene expressit, nos versionem ejus emendavimus, et emendationis istiusmodi rationem in annotationibus ut plurimum reddidimus.

XXII. Hactenus de Balsamone, et eruditus ejus in Canones commentariis. Sequitur Zonaras, qui sub Alexio Joanne Comneno floruit, et summos in Imperio Orientali honores gessit: nam magnus Drungarius Viglæ, et protoa-secretarius fuit, sive primus a secretis. Post aliquot autem annos secularium pertæsus negotiorum ad monasticam vitam secessit, quam transigens, multa scripsit, quibus posteros sibi obligatos tenet. Primo enim universalem conscripsit historiam a mundo condito usque ad Alexii Comneni Imperatoris, sub quo vixit, obitum, hoc est, usque ad annum Domini MCXVIII. Elegantem etiam orationem composuit, quæ inscribitur, Ἰωάννου τοῦ Ζωναρᾶ τοῦ γεγονότος μεγάλου Δρουγγαρίου τῆς Βίγλας καὶ πρωτοασηκρητῆς λόγος πρὸς τοὺς τὴν φυσικὴν τῆς γονῆς ἐκροὴν μίασμα ἠγουμένους. *Joannis Zonaræ, magni quondam Drungarii Viglæ, et primi a secretis oratio ad eos, qui naturalem seminis effluxum immunditiam existimant.*

Exstat in Juris Græco-Romani lib. v. Quinetiam majorum jussu et amicorum suasu compulsus, canonico Græcorum juri interpretando egregiam operam navavit, quod eruditum opus a se conscriptum sic inscripsit, Ἐξήγησις τῶν ἱερῶν καὶ θείων κανόνων τῶν τε ἀγίων καὶ σεπτῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν ἱερῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, ἀλλὰ μὴν καὶ τῶν τοπικῶν, ἤτοι μερικῶν, καὶ λοιπῶν ἀγίων πατέρων, πονηθεῖσα Ἰωάννη μοναχῷ τῷ Ζωναρᾶ, τῷ γεγονότι μεγάλῳ Δρουγγαρίῳ τῆς Βίγλης, καὶ πρωτοασηκρητῆς. *Expositio sacrorum divinatorumque Canonum tam sanctorum et venerandorum Apostolorum, quam sacrarum Œcumenicarum Synodorum, sed et localium sive particularium, reliquorumque sanctorum Patrum, elaborata per Joannem Zonaram Monachum, qui fuit olim magnus Drungarius Viglæ, et primus a secretis.* Ipsi autem operi hanc præfationem præmisit, quam suo loco prætermisam hic apponere visum est. Ἡ δὴ λωσις τῶν λόγων σου φωτιεῖ καὶ συνετιεῖ νηπίους, πρὸς τὸν Θεὸν φησιν ὁ προφήτης, καὶ θεοπάτωρ Δαβιδ. Λόγους δὲ τοῦ Θεοῦ εἰκότως ἄν τις καὶ τὰ τῶν θείων Ἀποστόλων καὶ πατέρων λογίσαιτο διατάγματα, ἐπεὶ τῷ θείῳ Πνεύματι ἐνηχούμενοι ἐκεῖνοι ταυτὶ διετάξαντο. Εἴ τις οὖν ποιήσαιτο τὴν τῶν ἱερῶν κανόνων σαφήνεια, καὶ τὸν τούτων νοῦν ἀναπτύξας δηλώσειε, φωτιεῖ τοὺς δι' ἀπλότητα καὶ ἀπλαστίαν ἡθῶν νηπιάζοντας, καὶ μὴ πεφυκότας τοῦ βάθους ἐξικνεῖσθαι τῶν κανόνων τῶν ἱερῶν. Διὰ ταῦτά μοι ἐγχειρητέον τῷ ἔργῳ, ὡς εἰς ὠφέλεια ἴσως ἐσομένῳ πολλοῖς, καὶ ὡς

[Tom. i. p. 351.]

[Pp. 1, 2. Paris. 1618.]

δύναμις ἐκάστη διαταγῇ τῶν ἱερῶν Ἀποστόλων, καὶ σεπτῶν πατέρων, μᾶλλον μέντοι, ὡς ἂν δοίη Θεὸς, ἰδιάζουσας ποιητέον καὶ συντεταγμένην ἐξήγησιν. Μὴ τις δὲ μοι καταγοίη προπέτειαν· οὐ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ τῷ πονήματι ἐγγειρῶ, ἀλλὰ παρακληθεὶς ὑπέκυψα, καὶ τῷ πόνῳ δέδωκα ἑμαυτὸν, ἵνα μὴ δι' ἀνηκούαν κατακριθῶ. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis; hæc Deo dicit propheta et divinus pater David. Porro Dei sermones merito quis et probabiliter dixerit esse divinorum Apostolorum Patrumque præceptiones, quia divino ipsi afflati doctique Spiritu hoc instituerunt. Si quis igitur elucidationem sacrorum Canonum fecerit, eorundemque sententiam reserans declararit, his quidem certe lumen intulerit, qui per simplicitatem morumque ruditatem sunt velut infantes, haud dum satis apti in sacrorum Canonum profunditatem penetrare. Propterea mihi sumendum fuit hoc opus in manus, ut usui fortasse futurum multis, ut etiam pro mea virili sit unaquæque sacrorum Apostolorum Patrumque venerandorum dispositio nota, maxime quidem, prout dederit Ipse Deus, peculiarem compendiosamque faciens enarrationem. Nullus autem me condemnet insolentiæ vel temeritatis. Nec enim mea sponte labori manus admolior; sed rogatus obsecundavi, negotioque me dedi, ne propter inobedientiam coarguerer.*

XXIII. In hisce autem scholiis in Canones componendis, Zonaræ aliud atque Balsamoni propositum fuit. Hic enim civilis æque ac canonici juris consultissimus utriusque concordiam persequitur, apparentes discrepantias componit, et canonicas quæstiones a se motas multoties solvit. At Zonaras e contra ipsis Canonum verbis et sensui interpretandis stricte adhæret, raro admodum ad civiles leges digrediens. Hinc fit, quod Balsamon totum Zonaræ commentarium totidem nonnunquam verbis transcribat; superfluum nimirum judicans alia Zonaræ dictis addere, cum nihil in tali Canone occurrat, de quo ex legibus politicis et imperialibus constitutionibus disputatio instituat, hoc est, nihil quod ad suum propositum pertineat. Subinde etiam Zonaræ interpretationem celato nomine perstringit; neque ullibi ejus mentionem facit, præterquam in commentariis ad Epistolam canonicam Sancti Athanasii ad Ammum, ubi eum vocat ὑπερφυστατον Ζωναρᾶν, summe excellentissimum illum Zonaram, eumque dictam Epistolam σοφῶς καὶ ὑπερδεξιῶς,

καὶ ὡς οὐκ ἄν τις κρείττονως, *sapienter et peraptissime, atque ita ut nemo melius*, interpretatum esse affirmat.

XXIV. Quinetiam Matthæus Blastares Zonaræ scholia subinde citat, nomine etiam ejus nonnunquam iis præfixo, ut lit. E. cap. xi.: *Ei μήπου τις εἴποι, ὁ ὑπερφυῆς δὲ τοῦτό φησι* [P. 114, F.] *Zωναρᾶς, Ne forte dixerit quispiam, insignis autem hoc dicit Zonaras*, scilicet in Synodi Chalcedonensis Can. XXVIII. [Pan. Can. tom. i. p. 146, D.]

Alias raro invenimus hæc Zonaræ commentaria ab antiquiori aliquo laudata; nisi quod Anonymus quidam a Leone Allatio citatus hæc de iis habeat: *Τελευταῖος δὲ πάντων καὶ ὁ θαυμαστός Ζωναρᾶς μοναχὸς Ἰωάννης τοὺς θεῖους καὶ ἱεροὺς κανόνας τῶν ἁγίων καὶ πανευφύμων Ἀποστόλων, καὶ τῶν ἑπτὰ ἁγίων οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ πάντων τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν σαφέστατα καὶ εὐλαβεστάτα ἐξηγησάμενος, καὶ οὐδαμοῦ τὸν Πάπαν ὡς ὀρθόδοξον ἀνόμασεν, μᾶλλον δὲ καὶ τῷ ἀναθέματι καθυπέβαλεν τοὺς τὰ ὄρια πατέρων σαλεύοντας, καὶ ἀθέτησιν ποιοῦντας τῶν θεῶν κανόνων.* *Omniū vero postremus, et admirabilis ille Joannes Zonaras monachus divinos sacrosque Canones sanctorum et perillustrium Apostolorum, et septem sanctarum Œcumenicarum Synodorum, et omnium sanctorum Patrum nostrorum clarissime et piissime interpretatus, nullo in loco Papam orthodoxum vocavit; sed eos potius, qui terminos Patrum transmovent, et sacros Canones pervertunt, anathemati subjecit.* Ex quo tamen uno testimonio satis abunde constat, quanti hæc Canonum expositio a Joanne Zonara elaborata apud Græcos suos æstimata fuerit.

XXV. Quod ad priores horum Zonaræ in Canones commentariorum editiones spectat, primo quidem scholia ejus in Canones Apostolorum sola Latine versa et in lucem emissa sunt an. Dom. MDLVIII. per Joannem Quintinum, in Academia Parisiensi juris canonici tunc temporis Professorem. Postea Antonius Salmatia commentarios ejus etiam in Canones Conciliorum Latine versos edidit Mediolani, anno Dom. MDCXVIII. Latinæ cujus versioni Typographus Parisiensis Græcum etiam textum, ex codice MS. in Bibliotheca regis Christianissimi erutum, addidit, et evulgavit Lutetiæ Parisiorum, anno Dom. MDCXVIII. Sed adhuc desiderata erant commentaria ejus in canonicas sanctorum Patrum Epistolas, quæ propterea ibidem im-

pressa sunt una cum S. Gregorii Neocæsariensis sive Thaumaturgi, Macarii Ægyptii, et Basilii [A.D.] MDCXXII. Adeo ut omnia Zonaræ in Canones commentaria, ante hanc nostram eorum editionem Oxoniensem, simul nuspiam prodierint. Ad hanc autem exornandam editionem, non modo variantibus lectionibus ex codice Henrici II. insignibus ornato, et ex altero illo Augusti Gallandi in Parisiensi foro advocati, in supplemento ad Parisiensem editionem collectis, usi sumus, verumetiam consultum ivimus antiquum MS. codicem in Bibliotheca nostra Bodleiana, quo omnes habentur Apostolorum Canones una cum Zonaræ et Balsamonis commentariis iis annexis. Summo autem ornamento huic nostræ editioni fuit Codex ille Amerbachianus ante commemoratus, ex quo variantes lectiones, per universa Zonaræ non secus ac Balsamonis commentaria, clarissimus vir Jo. Rod. Wetstenius supradictus nobiscum communicare dignatus est. Quibus omnibus codicibus summa diligentia et fidelitate inter se collatis, perfecta tandem et completa Joannis Zonaræ in omnes Apostolorum, Conciliorum, et Patrum Canones commentaria, una cum prioribus Latinis versionibus, sed innumeris in locis emendatis, et Græco textui longe accommodatioribus edimus.

XXVI. Post Balsamonis et Zonaræ commentaria, Epitome cujusque Canonis, et Alexii Aristeni in eandem scholia hoc opere exhibentur. Quantum primo ad Canonum epitomen spectat, ea partim in Bibliotheca juris canonici veteris edita est, idque sub ipsius Alexii Aristeni nomine, perinde nimirum ac si is Epitomes istius auctor fuisset. Sed multa sunt, quæ isti opinioni refragantur. Eadem enim Epitome, licet alio Conciliorum ordine observato, etiam Symeoni Logothetæ in eadem Bibliotheca attribuitur. At veri prorsus dissimile est, ut ambo Canones in Epitomen redigentes in eadem verba conspirarent. Nec video quidem, quo jure hæc Epitome utrivis eorum adscribatur. Sane Alexio Aristeno adscribi nequit, quippe qui eam nonnunquam redarguit, et auctorem ejus, quicumque demum is fuerit, Canonem non recte intellexisse asserit, ut in scholiis ejus ad epitomen Canonis Apostolici LXXV. dicit, Ὁ τὸν παρόντα συνοψίσας κανόνα οὐ καλῶς τοῦτον ἐνόησε, *Qui synopsis præsentis*

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. pp.
673-709.]

[Ibid. pp.
710-748.]

[Pan. Can.
tom. i. p. 49,
F.]

Canonis fecit, eum non bene intellexit. Et ad epitomen undevicesimi Canonis Synodi Ancyranæ, ait, 'Ο γοῦν συν- οψίσας τὸν παρόντα κανόνα τὸν μὲν ἐν πλάτει κείμενον ἀφορισμὸν τῶν διγάμων τῷ ἀθετοῦντι τὴν παρθενίαν παρέδραμε, *Qui hujus itaque Canonis synopsis fecit, digamorum segregationem in latitudine positam in eum, qui cælibatus professionem irritam fecit, trans- tulit.* Adeo ut sole meridiano clarius elucescat, Alexium Aristenum hujus Canonum Epitomes auctorem non fuisse.

[Pan. Can. tom. i. p. 397, A.]

XXVII. Quisnam itaque epitomes hujus sive abbreviationis Canonum auctor fuit, minus compertum habemus. Hoc saltem constare videtur, quod ea diu ante Aristenum memoriæ sublevandæ causa confecta fuit, atque adeo ut nonnunquam totius cujusvis Canonis vicem suppleret, ejusque loco citaretur. Cujus rei illustre habemus exemplum in Nicolai Hydruntini (qui sub Alexio Angelo floruit) scholio ex Leone Allatio superius citato, quod sic incipit, Σχόλιον

Νικολάου Ἰδρουῦντος, περὶ Κελεστίνου καὶ Κελεστίου παπῶν Ῥώμης. 'Ο εὐρίσκων ἐν τῷ τέλει τοῦ τετάρτου κανόνος τῆς ἐν Ἐφέσῳ ἁγίας συνόδου, Οἵτινες τῶν κληρικῶν Κελεστίνῳ ἢ Νεστορίῳ συμφρονήσωσιν καθαιρετέοι, μὴ ἀναγινωσκέτω Κελεστίνῳ μετὰ τοῦ ν'· ἀλλὰ Κελεστίνῳ χωρὶς τοῦ ν'· ὁ γὰρ Κελεστίνος ἅγιος ἦν καὶ ὀρθόδοξος πάπας Ῥώμης, ὁ δὲ Κελεστίνος ἦν αἰρετικός. *Scholium Nicolai Hydruntini de Celestino et Celestio Papis Romanis. Qui offendit in fine quarti Canonis sanctæ Ephesinæ Synodi ' Clerici, qui Celestino sive Nestorio consenserint, deponendi,' ne legat Celestino cum ' n,' sed Celestio sine ' n.' Namque Celestinus sanctus erat et orthodoxus Papa Romæ, Celestius autem hæreticus.* Ista enim verba, Οἵ τινες τῶν κληρικῶν Κελεστίνῳ ἢ Νεστορίῳ συμφρονήσωσιν, καθαιρετέοι, in ipso quarto Canone Synodi Ephesinæ non inveniuntur; sed in epitome istius Canonis, quam hic exhibemus, totidem verbis leguntur; nisi quod pro οἱ τινες in nostro Codice levissima mutatione scribatur εἴ τινες. Unde palam est ipsam epitomen hic citari, idque sub nomine totius Canonis. Adeo ut hæc Canonum synopsis legis vicem iis supplevisse videatur, quibus integri Canones haud præsto essent. Et hinc, ni fallor, est, quod nunc Alexii Aristeni, nunc Symeonis Logothetæ, et aliquando forsitan aliorum nomina sibi inscripta habeat, a quibus ad privatum usum descripta fuit. Vel forsitan quod Symeon Logotheta, non minus quam Alexius Aristenus, scholia in eam edidit, quæ

[De Perp. Cons. Eccles. Occid. et Orient. lib. i. cap. 21, sect. 3, col. 333.]

[Pan. Can. tom. i. p. 101, E.]

modo perierunt. Et nos enim Aristeni nomen ad epitomen eo tantum nomine præfiximus, quod ille eam interpretatus est.

XXVIII. Istam autem antiquam Canonum abbreviationem olim factam fuisse, ex eo constat, quod Alexius Aristenus tantum operæ et laboris in ea interpretanda consumpserit. Neque enim in re nihili se tam diu exercuisse censendus est. Nec parum huic pro antiqua hujus epitomes auctoritate argumento exinde accrescit, quod Aristenus eam scholiis illustrare dignatus est, etiam post divulgata erudita illa Joannis Zonaræ in integros Canones commentaria. Aristenus enim Zonara posterior claruit, sed anterior Balsamone, vel saltem eadem ætate. Balsamon enim eum commemoravit in sua sexti Canonis Apostolici interpretatione, ubi ait,

[Pan. Can.
tom. i. p. 4,
D.]

"Ὅτι καὶ τὸν ὑπέριμον ἐκεῖνον καὶ μέγαν οἰκονόμον, τὸν Ἀριστηνὸν διὰ τριακονθήμερων ἐπιφωνημάτων τριῶν ἐπεφωνήσατο ἡ ἁγία συνόδος ἀποσχέσθαι τοῦ δικαιοδοτικοῦ ὄφφικίου. *Nam et incomparabilem illum, et magnum œconomum Aristenum tribus publicis XXX. dierum edictis a juris dicendi officio cessare jussit sancta Synodus.* Ubi etiam observes, quanto hic officio in Ecclesia Constantinopolitana functus est, cum magnus in ea œconomus fuerit; item quanto eum elogio Balsamon ornat, ὑπέριμον appellans; quam honorificam ejus mentionem idem Balsamon etiam in scholiis suis ad Synodi Trullanæ Canonem

[Ibid. p. 199,
E.]

XXXVII. facit, his verbis, Προεβάλετο γὰρ τὸν τοιοῦτον κανόνα ὁ ὑπέριμος ἐκεῖνος κῦρος Ἀλέξιος ὁ Ἀριστηνὸς κατὰ τοῦ ἁγιωτάτου ἐκείνου πατριάρχου Ἱεροσολύμων κῦρου Νικηφόρου. *Hunc enim Canonem incomparabilis ille Dominus Alexius Aristenus contra sanctissimum illum Patriarcham Hierosolymitanum Nicephorum protulit.* Ubi obiter etiam observatum velim, quantum in jure canonico interpretando nomen Alexius Aristenus tunc dierum habebat, cum consultus esset, et in isto jure contra Patriarcham responderet. Ex istis insuper verbis colligere est, quibus temporibus ille floruit. Namque Nicephorus ille Hierosolymitanus, contra quem Aristenus istum Canonem protulit, Synodo interfuit Constantinopoli celebratæ anno mundi VIMDCLXXIV., sive Christi MCLXVI. ut ex subscriptionibus patet, quas Leo Allatius edidit. Is erat annus Manuelis Comneni XXIII., cujus Imperatoris jussu Balsamon sua in Canones commentaria

De Perp.
Consens.
Eecl. Occid.
et Orient.
lib. ii. cap.
12, [col. 690.]

aggressus est; ut e supradictis liquet. Sub eodem igitur Imperatore Aristenum etiam claruisse certum est; etiamsi Leo Allatius, tractatu de ætate et interstitiis in collatione ordinum etiam apud Græcos servandis, eum jussu Joannis Comneni, qui Manuelem proximus in imperio præcessit, Nomocanonem suum edidisse asseruerit.

[P. 51.
Romæ, 1638.]

XXIX. Porro hæc Alexii Aristeni in dictam Canonum synopsis commentaria, in Codice MS. quem edimus, sic inscripta sunt, Νομοκάνονον σὺν Θεῷ ἐρμηνευθὲν παρὰ τοῦ θεοφιλεστάτου Νομοφύλακος κυρίου Ἀλεξίου τοῦ Ἀριστηνοῦ, *Nomocanonum, Deo adsistente, interpretatum per Deo carissimum Nomophylacem Dominum Alexium Aristenum.* Ubi primo observare licet, hanc ipsam Canonum in epitomen contractorum collectionem Νομοκάνονον vocari: quo nomine etiam integrorum Canonum collectio sæpe nuncupatur. Nemo, fateor, inficias eat, quin veteres istiusmodi solos libros, quibus νόμοι καὶ κανόνες, leges civiles, et Canones ecclesiastici simul collecti sunt, νομοκανόνας appellarint; quemadmodum Joannes Antiochenus librum istum, quo Canones solos in quinquaginta titulos digessit, simpliciter συναγωγὴν τῶν κανόνων vocavit; istum autem, quo Canonibus ecclesiasticis leges imperatorias et civiles adjunxit, Νομοκανόνα nuncupavit. Et ob eandem etiam rationem Photii Nomocanon nomen istud sortitus est: quem Balsamon in præfatione ad eundem etiam Νομοκάνονον appellat. Verum enimvero quævis integrorum Canonum collectio Νομοκάνονον etiam nonnunquam audit; quod miror ab ullo unquam denegatum fuisse, cum hæc vox in isto sensu ab ipso Balsamone sæpe usurpetur; ut in Nomocan. Phot. tit. i. cap. 9, ait, Αὐτὸς ἐπέμεινε λέγων, μὴ δίκαιον εἶναι κεραίαν ἀθετηθῆναι ἐκ τῶν ἐν τῷ Νομοκανόνῳ γεγραμμένων, τῷ ὡς θεογράφους πλάκας παρὰ τῆ ἐκκλησίᾳ λογιζομένῳ. *Ipse perstitit dicens, non æquum esse, ut vel apex aboleretur ex iis, quæ in Nomocanono scripta sunt, quod instar divinarum tabularum ab Ecclesia reputatur.* Ubi Νομοκάνονον corpus Canonum ecclesiasticorum aperte significat, quemadmodum et in ejusdem Balsamonis scholiis ad Synodi Trullanæ Canonem I. dicentis, Τὰ μὲν νεύγραφα νομοκάνονα, ὡς μὴ ἔχοντα καὶ ὑπογραφὰς τῶν ἐχθεμένων τὰς συνόδους βασιλέων καὶ πατέρων, παρέδραμον· ἐψηλάφησα δὲ παλαιόγραφα νομοκάνονα. Et sic passim alibi; ut nihil certius esse possit, quam ipsas Canonum collectiones νομοκάνονα vocitari. Hoc

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. pp.
499 et 603.]

[Ibid. p. 814.]

[Ibid. p. 830.]

[Pan. Can.
tom. i. p. 154,
B.]

autem nomen etiam synopsi Canonum ab Alexio Aristeno interpretatæ inscriptum est, ut ex titulo superius citato constat, quod prius expositam nostram de hac Canonum epitome sententiam egregie confirmat; cum hæc eodem nomine, quo ipsa integrorum Canonum collectio, *Νομοκάνονον* scilicet, appelletur: nimirum quod totum jus canonicum in ea, non secus atque in ipsis Canonibus, exhiberi persuasum esset. Hoc itaque Nomocanonum Alexius Aristenus interpretatus est, qui in inscriptione *θεοφιλέστατος Νομοφύλαξ* nominatur, quem etiam magnum œconomum aliquando fuisse, Balsamonis verba superius laudata fidem faciunt.

XXX. Hæc Aristeni in Nomocanonum abbreviatum scholia non memini ab antiquiori quopiam scriptore commemorata esse vel laudata; nisi quod scholiastes in Codice Amerbachiano nonnulla ex iis mutuatus esse, et Balsamon ea nonnunquam citasse videatur, ut in Annotationibus subinde observatum est. Ex recentioribus, Gilbertus Genebrardus libro de Trinitate Alexium Aristenum citat, eumque Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ fuisse affirmat.⁵ Leo Allatius hæc scholia sæpe laudat, sed ex Bibliotheca Vaticana; nunquam enim antehac edita fuerunt. Ad hanc autem nostram eorum editionem perpoliendam quatuor usus Codicibus MSS., quorum unum nobiscum communicavit clarissimus vir Joannes Pearson SS. Theologiæ professor Margareticus in Universitate Cantabrigiensi, qui in Bibliotheca Collegii SS. Trinitatis, cui ipse præfectus est in eadem Universitate, Codicem istum nitide exaratum inveniens, eundem nobis Latine vertendum concedere dignatus est, et sic primam huic edendo operi occasionem præbuit. Iste autem Codex e longe vetustiori in Bibliotheca Bodleiana Oxoniæ exscriptus fuerat, quem propterea sæpe consulere necessum habuimus. Quin et alium suppeditavit insignissimus vir Thomas Brown, SS. Theologiæ professor, et capellæ regiæ Windesoriæ præbendarius. Cum opus autem

[E. g. De
Perp. Cons.
lib. i. cap. 13,
sect. 2, col.
201, sect. 3,
col. 204.]

⁵ ["Alexius Aristenus, diaconus Constantinopolitanus in fragmentis, quæ penes me habeo, ex ipsius libro, qui inscribitur, *Συνοπτικός τῶν ὅλων κανόνων, τῶν ἐκτεθέντων παρὰ τῶν ἁγίων ἔξ ἐνοῦθων, καὶ τῶν μεταξὺ τῶν αὐτῶν το-*

πικῶν." Gilb. Genebrardus, in *Expos. Symb. Athan.* (pp. 18, 19,) e libro iii. de Trinit. excerpta, et Psalmis Davidis ab ipso editis subijuncta. Lugd. 1607.]

pene ad umbilicum perductum fuerit, alius in supradicta Bibliotheca Bodleiana inventus est Codex MS. eleganti et vetusto caractere exaratus; e quo nonnulla excerpta sunt, quæ in aliis Codicibus desiderantur, ac proinde post canonicas Epistolas, ad quas pertinent, in secundo tomo eduntur. [Pan. Can. tom. ii. p. 189.] Eorum autem collectionem pariter atque versionem viro multis nominibus honorando D. Joanni Fell, S. T. P., Ecclesiæ Cathedralis Christi Decano in Universitate Oxoniensi debemus, qui ad uberiores hujus operis ornatum curavit, ut illud opus a docto quodam viro in eadem Academia perficeretur. Sed et eidem etiam præclara eruditione et insigni pietate viro accuratam totius hujusce operis editionem respublica canonica acceptam referat, quippe cujus solius cura atque consilio in omnibus adhibito accurate adeo et polite prodit.

XXXI. Hactenus de tribus istis eruditis egimus scholias; quorum commentaria singulis fere Canonibus annectuntur. Porro juxta fidem in specimine hujus operis antehac datam, Arabicam Josephi Ægyptii in quatuor prima Œcumenica Concilia eorumque Canones Paraphrasin, ad calcem primi tomi, qui totus ex Conciliorum Canonibus constat, adjecimus. Quisnam primo iste Josephus fuerit, et quando scripserit, ex præfatione ad MS. istum Codicem in Bibliotheca Bodleiana, ex quo istam ejus paraphrasin hausimus, abunde constat. Ipsam præfationem, si voles, tota sic se habet, [Cod. Roe. 26.]

كان صبرورة التلميذ الحقير في عبيد السيد المشيخ المتجسد من العذري مسطرة يوسف الشهر بالطبيب ابن المرحوم المشيخ التاج قسبسا علي كنيسة ستنا السيدة العذري الركبة والدة الكلمة الخالقة الازلية الكاثوليكي بمصر المحروسة في سنة ستة الاف وتسعمائة وستة وصار المذكور ابروطس علي الكنيسة المذكورة يوم الاربعاء المبارك رابع عشر ايلول وهو عيد رفع عون الصليب الكريم سنة ستة الاف وثمان مائة وتسعة وتسعون لكون العالم الموافق لسابع عشر توت سنة الف ومائة وسبعة للشهدا الابرار الموافق لثالث شوال سنة اثني وتسعون وسبعمائة لسني الهجرة وكانت الشرطونية علي يد الاب الاقدس الطوباني الروحاني كبير مرقص بابا وبظربرك مدينة العظمى الاسكندرية وسائر الديار المصرية في كنيسة الملك ميخائيل الكاثوليكي بمصر والمسول من الرب

[Vide Cod. fol. 19.]

لانه المسيح بكل لسان الممجد في كل صقع ومكان
 الذي اتا الي خلاص جنس البشر ان يعيننا علي حفظ
 وصاياه المخلصة ولعمل بما يرضي الثالث الاقدس وبوقتنا عن
 ميامنه في اليوم العظيم المرهوب ويسمعنا ذلك الصوت الفرح
 القايل نعالوا يا مباركى ابي رثوا الملك المعد لكم من
 قبل انشا العالم يكون ذلك امين بشفاعه ستنا السيدة
 العذرى البتول وجميع القديسين اصحاب العمل المقبول
Humillimus e Domini Christi ex Virgine Incarnati servus discipulus, scriba ejus, Josephus Alshaher Biltabib, filius Almarchum Almashiki Allagi, constitutus fuit presbyter super Catholicam Ecclesiam dominæ nostræ, dominæ Virginis immaculatæ, æterni Verbi Creatoris genitricis, in Ægypto custoditam anno sexies millesimo nongentesimo sexto. Et factus fuerat idem πρῶτος super dictam Ecclesiam feria quarta benedicta decima quarta die mensis Elul, quo festum exaltationis ligni crucis honorabilis celebratur, anno sexies millesimo octingentesimo nonagesimo nono a mundo condito; qui coincidit cum decimo septimo die mensis Thoth, anno millesimo centesimo septimo sanctorum martyrum; qui convenit itidem tertio diei mensis Shawal, anno septingentesimo nonagesimo secundo annorum Hegiræ. Ordinatio autem ejus celebrata fuit per sanctissimum, beatum, et spiritualem patrem dominum Marcum Papam, et Patriarcham magnæ civitatis Alexandriæ, et omnium Ægypti locorum habitabilium, in Catholica Ecclesia Angeli Michaelis in Ægypto. Et rogatum est a Domino Deo omni lingua laudato, et in omni regione locoque honorato, qui ad genus humanum servandum venit, ut nos adjuvet ad custodienda præcepta Ipsius salutifera, et ad ea facienda quæ Sacrosanctæ Trinitati grata sunt, et statuat nos ad dextram Ejus, in magno illo et terribili die, et nos exaudire faciat lætam istam vocem dicentem, 'Venite, O benedicti a Patre Meo, hæreditario jure possidete regnum vobis paratum ante mundi creationem.' Sic revera fiat per intercessionem dominæ nostræ, dominæ immaculatæ Virginis, et omnium sanctorum, qui accepta opera perfecerunt. Amen. Et gloria sit Deo in secula seculorum. Ex hac præfatione apertissime conficitur, qua ætate Josephus, sacerdos Ægyptiacus, Arabicorum Canonum collector et paraphrastes, vixit: ea namque certissimis temporum

characterismis hic definitur. Se enim presbyterum ordinatum dicit anno mundi VIMDCCCCVI., hoc est Christi MCCCXCVIII. Antea autem constitutus fuerat *ابروطس* *πρωτος* ejusdem Ecclesiæ, quemadmodum et Balsamon *πρωτος των Βλαχερνων* fuit. Josephus autem se in hoc officio constitutum asserit anno mundi conditi VIMDCCCXCIX. Aufer VMDVIII. et residuus fiet annus Christi MCCCXCI., qui tamen, juxta hunc atque alios nonnullos Arabicos pariter atque Græcos scriptores, a Kal. Septembribus anno præcedenti, sive MCCCXC., computandus est, non autem Romanorum more a Kalendis Januariis. Hoc præmisso omnia optime hic correspondent. Dicit enim se decimo quarto die mensis Elul constitutum fuisse, eamque quartam fuisse feriam. Mensis Elul in anno Syriaco una cum Septembri Juliano init. Anno autem Christi MCCCXC. cyclus solis erat XXVII. Ergo litera dominicalis B., Character XIV. diei Septembris in Calendario Juliano est E. Ea itaque quarta erat feria. Isto etiam die festum exaltationis crucis quotannis celebratur; ut recte hic asseritur. Porro hunc diem et annum mundi coincidere dicit cum XVII. die Thoth, anno MCVII. sanctorum Martyrum sive æræ Diocletianæ. Ad MCVII. adde CCXXXIII., quo anno a Christi nativitate expleto ista æra cœpit, et habebis itidem annum Christi MCCCXC. Neomenia Thoth in anno Actiaco sive Ægyptiaco fixo hic usurpato in Augusti XXIX. perpetuo incidit. Ergo XVII. dies Thoth in anno isto Ægyptiaco idem est atque XIV. Septembris in anno Juliano. Denique Neomenia Muharram anno Hegiræ DCCXCII., juxta methodum a nobis alibi traditam, incidit in Decembris XX. anno Dom. MCCCLXXXIX. Ergo Neomenia Shawal iniit XII. die Septembris anno MCCCXC., ac proinde tertius dies mensis Shawal anno Hegiræ DCCXCII. cum XIV. Septembris anno Domini MCCCXC. recte coincidit. Cum omnes igitur hi temporum characteres a Josepho Ægyptio de sua in supradicto officio constitutione collati exacte adeo inter se convenient, nihil apertius esse potest, quam eum in isto constitutum fuisse anno Domini MCCCXC., ac propterea trecentis abhinc annis plus minus claruisse.

[Bever.
Inst. Chron.
lib. i. cap. 17,
sect. 11, pp.
73-79.]

XXXII. Hic itaque Josephus Sacerdos Ægyptiacus omnes

propemodum Canones ab Ecclesia Græca receptos Arabico idiomate παραφραστικῶς interpretatus est; idque in magno satis volumine MS., quod ex Oriente allatum in Bibliotheca Bodleiana repositum habemus. Ex eo nos quatuor prima selegimus Concilia Œcumenica, Nicænum I., Constantinopolitanum I., Ephesinum, et Chalcedonense, quæ sola a Justiniano confirmata sunt; et quicquid Josephus de iis ex Arabum et Ægyptiorum sententia dixit, hoc opere divulgamus: nisi quod is præter viginti istos Synodi Nicænae Canones, quos solos Ecclesia Græca semper agnovit, alios, nescio quos, alio in loco eidem Concilio adscribat, de quibus in Annotationibus disputamus. Hic interim observes, Concilium Chalcedonense, et Canones ab eo sancitos, in isthoc libro comprehendi: unde perspicuum redditur Ægyptios secus atque Æthiopes sive Abissinos istud etiam Concilium admisisse, licet communis ipsorum Patriarcha Dioscorus injuste, ut iis visum est, ab eo condemnatus fuerit.

[Annot. ad
Pan. Can. p.
212, tom. ii.
ad fin.]

XXXIII. Cum hic autem Josephus iis vixerit diebus, quibus literæ, in Ægypto saltem, incultæ jacuerunt, et doctrina raro admodum inventa est, etiamsi is suis fortasse doctissimus visus fuerit, quæ tamen scripsit, nobis Europæis, feliciori solo et doctiori prognatis ætate, non minus quam alia nonnulla scripta Arabica, jejuna videantur, præcipue cum sensus nonnunquam perturbatus sit, et vix sibi cohærens; eadem subinde bis terve repetantur; Canones ad alienum aliquando detorqueantur sensum, et nihil subtilitatis, eloquentiæ parum ullibi appareat. Siquidem autem hæc ipsa paraphrasis, sive collectio Canonum, a doctissimis viris laudata fuerit, et a multis avide expetita, tanquam si veteris Ecclesiæ legibus multum lucis allatura esset; ne quid celare aut dissimulare videremur, quod divinis hisce studiis profuturum hucusque creditum est, hanc saltem paraphraseos istius partem, qualis qualis est, publicare visum est; ex qua rectius de tota judicium feratur. Nec sane nulli inserviet usui. Primo enim receptus in Ægypto Canonum ejusque Concilii numerus ex ea innotescet: ubi etiam de vera alicujus Canonis lectione ambigitur, quomodo is in Codice Græco, ex quo hæc paraphrasis tralata est, lectus fuit, ex eadem conjiciatur. Nonnulli etiam Ecclesiæ Alexandrinæ ritus, una cum doctrina, nimis antehac nobis

incomperti, ex eadem eliciantur, ut juxta quos Canones sæpe interpretatur. Ex hac etiam paraphrasi videre est, quo sensu quatuor istarum universalium Synodorum decreta ab eadem Ecclesia, istis saltem diebus, intellecta sunt. Quanto denique simplicior atque illiteratior videatur hæc paraphrasis, tanto clarius ex ea elucescit, quæ fides octoginta istis Arabicis Canonibus Synodo Nicænæ adscriptis adhibenda est, qui ex Ægypto primum allati sunt, qua omnis eruditio multis ante annis expulsa fuit; adeo ut ipsi etiam sacerdotes plurimum ignorarent, quid sincerum quidve adulterinum esset; quibus propterea non mirum est, si fictitii isti Canones pro genuinis Synodi Nicænæ decretis subdole obtrusi fuerunt. Hisce itaque perpensis, candidos lectores æquiori erga hanc nostram paraphraseos istius editionem animo futuros speramus. Quod idem et erga Latinam nostram versionem ab iis implorandum est. Stylus enim, quo Josephus utitur, cum recentior sit, quam quo scripta Arabica antehac edita fuerunt, a reliquorum Arabum idiomate, a vulgatis grammaticorum regulis, et a veteris linguæ puritate subinde discedit. Unde sensus nonnunquam obscurior, et, nobis saltem, eum Latine exprimere conantibus, perplexior redditur, præsertim cum aliud non præsto esset exemplar, quo errata graphica corrigerentur.

XXXIV. Adhuc, ne quid rei canonicæ studiosis in hoc opere desideraretur, secundo illius tomo celebre illud, a multis recentioribus laudatum, a nonnullis promissum, sed a nemine antehac editum, Alphabeticum Matthæi Monachi, sive Blastaris, Syntagma adjunctum est, quod ab ipso auctore sic inscribitur; *Σύνταγμα κατὰ στοιχεῖον τῶν ἐμπεριειλημμένων ἀπασῶν ὑποθέσεων τοῖς ἱεροῖς καὶ θείοις κανόσι πονηθέν τε ἅμα καὶ συντεθέν τῷ ἐν ἱερομονάχοις ἐλαχίστῳ Ματθαίῳ τῷ Βλαστάρῃ.* [Pan. Can. tom. ii.] *Syntagma Alphabeticum rerum omnium, quæ in sacris divinisque Canonibus comprehenduntur, elaboratum pariter et compositum per minimum ex Hieromonachis Matthæum Blastarem.* Ex qua inscriptione constat, eum Hieromonachum fuisse, hoc est, monachum consecratum, vel sacerdotem in monasterio aliquo ordinatum. Quando scripserit, ipse disertis verbis testatus est, lit. II. cap. 7, ubi ad cyclum lunæ inveniendum ait, *κείσθω δὲ τὸ ἐφ' ἡμῶν ἡωμῆ',* *statuatur* [P. 206, B.] *præsens hic annus VIMDCCCXLIII.* Et paulo post, de

[Pan. Can.
tom. ii. p.
206, F.]

cyclo solis inveniendo, ait, 'Ωσαύτως και ἐπὶ τοῦ ἡλίου κρέτησον ταῖς χερσὶ τὸ τρέχον ἀρτιῶς, ἡωμὴ ἔτος, *Similiter et de sole annum jam currentem VIMDCCCXLIII. digitis computa. Aufer VMDVIII. et reliquus fit annus æræ Dionysianæ MCCCXXXV., quo propterea anno a Christi nativitate currente, Matthæus Blastares ista scribebat. Unde lucem mutuatur obscurus alioquin locus in præfatione ad idem opus, ubi ait, 'Ὡς ἂν δὲ μὴ και ὁ χρόνος λανθάνων εἴη τοῦς ἐντυγχάνοντας, ὅς ὑπ' αὐγὰς ἡλίου τὰ τῆς πραγματείας προσήνεγκε ταυτησί, μετὰ τὴν ἐξαπλὴν αὔθις ἑκατοντάδα τρίτον και τεσσαρακοστὸν ἔτος τὴν φερόν ἀτεχνῶς ἐμέτρει τοῦ χρόνου. Porro ne tempus quoque, quod hoc opus in lucem solarem protulit, lectores lateat, post sextuplicem rursus centuriam, annus quadragesimus tertius temporis cursum exacte emensus est. Cum primus, fateor, in hæc verba inciderem, mentem auctoris haud statim assecutus sum: sed recolens postea eum ante definiisse annos quibus singulæ, universales saltem, Synodi celebratæ fuerant, eum hoc in loco ad istos annos respectum habuisse deprehendi. Ultimum autem Concilium, cujus celebrandi tempus indicat, est Nicænum secundum, quod habitum dicit anno mundi VIMCCXCVI., et multis deinde interjectis, opus suum emissum asserit post sex alias centurias et annos XLIII., sive post annos DCXLIII. Sin hi addantur ad VIMCCXCVI. annus emerget mundi VIMDCCCXXXIX., Christi MCCCXXXI. Ex locis autem supra citatis colligere est, in isto numero VIMCCXCVI. ad DCXLIII. addendo, numeros denarios et monadicos, puta XCVI., omittendos esse: his enim omissis, et DCXLIII. ad VIMCC. additis, prior numerus exacte colligetur, nimirum VIMDCCCXLIII. Unde palam est ipsam etiam præfationem isto mundi anno juxta civilem Græcorum computum conscriptam esse, sive anno Christi MCCCXXXV.*

[In sect.
De Synodo
sub Photio
habita.]

XXXV. Egregium hoc Matthæi Blastaris, (cujus quæstiones et causas matrimoniales Joannes Leunclavius in Juris Græco-Romani lib. viii. edidit) Syntagma in lucem hic emissum est, ex duobus optimæ notæ codicibus MS., quorum unum vetustum satis et eleganter scriptum Bibliotheca Bodleiana, alterum vir spectatissimus D. Isaacus Vossius, celebre cujus nomen per omnium ora volitat, pro summa, qua pollet, humanitate, et flagranti in rempublicam lite-

[Tom. i. pp.
471-518.]



rariam, de qua tota optime meritus est, amore, ex sua ipsius instructissima Bibliotheca suppeditavit. Hi itaque duo MSS. codices inter se collati sunt, et quicquid in uno defuit, ex altero suppletum est; adeo ut ambo hic in lucem prodeant. Quod autem ad Latinam spectat versionem, nos eruditam tantum præfationem Latinam fecimus, ipsum operis corpus a doctis quibusdam viris Oxoniensibus translatum est. Ab iisdem etiam tractatus iste Matthæi Blastaris syntagmati appensus, de Synodo quæ Photium restituit, ex MS. Bodleiano erutus est, et Latine versus, de quo nonnihil dicendum restat.

XXXVI. Iste tractatus ut titulus ostendit, ex Becci operibus excerptus est. Joannes iste Beccus, Michaelis Palæologo imperante, Chartophylax erat magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ut testatur Nicephorus Gregoras, qui de eo hæc habet, 'Εν τούτοις μέντοι τοῖς καιροῖς τῆς μεγάλης ἦν

ἐκκλησίας Χαρτοφύλαξ ὄνομα Βέκκος, συνετὸς ἀνὴρ ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ λόγου καὶ παιδείας τρέφειμος· τοσοῦτοις δὲ καὶ παρὰ τῆς φύσεως

Nic. Greg.
Hist. Rom.
lib. v. [cap. 2,
sect. 5, p. 65,
B.]

συγκεκροτημένοις χαρίσμασιν, ὅσοις τῶν τότε ἀνθρώπων οὐδεὶς. *His temporibus magnæ Ecclesiæ Chartophylax erat nomine Beccus, excellenti vir ingenio, et in doctrina studiis ab ineunte versatus ætate, præterea tantis naturæ dotibus ornatus, quantis nullus alius istius ætatis.* Postea ab eodem Imperatore ad patriarchatum Constantinopolitanum evector est, ut idem historicus tradidit his verbis, Δι' ἃ δὴ καὶ ἐπὶ τῶν πατριαρχικῶν ἀναβεβηκῶς

θρόνον, πάντα ἦν αὐτὸς τῷ βασιλεῖ, καὶ γλῶττα, καὶ χεῖρ, καὶ κάλαμος γραμματέως ὀξυγράφου, καὶ λέγων, καὶ γράφων, καὶ δογματίζων. *Quamobrem patriarchica sede conscensa Imperatori unus fuit omnia, et lingua, et manus, et celeris scriptoris calamus, et dicendo, et scribendo, et dogmata statuendo.* Postquam autem octo in patriarchico isto throno annos sedisset, dignitate depositus, et in exilium missus, in carcere diem obiit, Pachymeres tradidit, dicens, Θνήσκει δὲ καὶ Ἰωάννης ὁ εἰς

Greg. ibid.
[sect. 7, p. 66,
A.]

πατριάρχην χρηματίσας ὁ Βέκκος, ἐν τῇ κατὰ τὸ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου φρούριον εἰρηκτῇ. *Moritur vero et Joannes Beccus Patriarcha dictus, in carcere, qui in sancti Gregorii arce est.* Vita autem sic defunctus est sub Andronico Seniore, qui imperium invasit anno Christi MCCLXXXIII. Hic multa conscripsit, sed nihil adhuc editum est, præter epigraphas ejus in sententias SS. Patrum de processione Spiritus Sancti, et sen-

πατριάρχην χρηματίσας ὁ Βέκκος, ἐν τῇ κατὰ τὸ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου φρούριον εἰρηκτῇ. *Moritur vero et Joannes Beccus Patriarcha dictus, in carcere, qui in sancti Gregorii arce est.* Vita autem sic defunctus est sub Andronico Seniore, qui imperium invasit anno Christi MCCLXXXIII. Hic multa conscripsit, sed nihil adhuc editum est, præter epigraphas ejus in sententias SS. Patrum de processione Spiritus Sancti, et sen-

Pach. Hist.
[Andronic.
lib. iii. cap.
29, p. 153, B.]

tentias sanctorum Patrum de eodem argumento ab eo collectas, quas Petrus Arcudius Corcyræus Romæ edidit. Ut alia ejus scripta hactenus ἀνέκδοτα omittam, unum confecit librum, inscriptum *περὶ τῆς ἐνώσεως καὶ εἰρήνης τῶν τῆς παλαιᾶς καὶ νέας Ῥώμης ἐκκλησιῶν*, *De unione et pace veteris et novæ Romæ ecclesiarum*; et alterum de eodem argumento inscriptum, *περὶ τῆς αὐτῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης, τὸ τοῦ σκανδάλου ἀλόγιστον καὶ ἐκ μόνης ἱστορίας ἀποδεικνύοντος*, *De eadem ecclesiastica pace, ex ipsa historia sola scandalī absurditas demonstratur*. Hic autem liber in MS. Bibliothecæ Vaticanæ sic incipit, Ἦν ἂν μακάριον ἀληθῶς εἶγε τοῦ εὐαγγελικοῦ κηρύγματος. In hoc summum inter Joannem VIII. Papam Romanum et Photium Constantinopolitanum consensum persequitur, in ea præsertim celebranda Synodo, quæ Photium in sedem suam Constantinopolitanam restituit. Cum ex hoc igitur erudito Becci Patriarchæ Constantinopolitani scripto non nemo olim ea excerpisset, quæ ad dictam Synodum pertinent, excerpta ista sic inscripsit, *Περὶ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου, ἣτις ἀποκατέστησε Φώτιον τὸν ἁγιώτατον Πατριάρχην εἰς τὸν θρόνον Κωνσταντινουπόλεως, καὶ διέλυσε τὰ σκάνδαλα τῶν δύο ἐκκλησιῶν, τῆς παλαιᾶς καὶ νέας Ῥώμης, ἀπὸ τοῦ λόγου τοῦ Βέκκου, οὗ ἡ ἀρχὴ, Ἦν ἂν μακάριον*. *De sancta et Œcumenica Synodo, quæ Photium sanctissimum Patriarcham in sedem Constantinopolitanam restituit, et duarum Ecclesiarum, veteris scilicet et novæ Romæ, scandala dissolvit; ex Becci oratione, cujus initium est, Ἦν ἂν μακάριον*. Cum Acta igitur hujus Synodi nondum edita, sed ab omnibus desiderata fuerint, dicta autem excerpta, sic inscripta, ex Becci scriptis in Bibliotheca Bodleiana inventa sunt, in quibus magna pars Actorum continetur, eadem publicare visum est, præsertim cum hæc ea sit Synodus, a qua Canones isti sub Photio constituti sunt, quos etiam hoc opere cum commentariis edimus. Quæ hic autem de ista Synodo dicta sunt egregie cum iis conveniunt, quæ Baronius ad annum DCCCLXXIX. ex Codicibus Vaticano et Columnensi de eodem Concilio scripsit.

[Pan. Can. tom. ii. ad fin. Matth. Blast. pp. 273-307.]

[Auct. Laud. Gr. 26.]

[Tom. x. coll. 635, 636.]

XXXVII. Ad calcem denique totius operis Annotationes subjunximus; in quibus quid præstitimus, vel saltem præstare conati sumus, paucis expediemus. Primo enim nobis minime propositum fuit in singulos Canones, eorumque Scholia, commentarios edere, quod operæ nobis pretium haud

visum est. Ac proinde istiusmodi tantummodo locis, quæ obscuriora visa sunt, quæ perperam ab aliis intellecta, aut majoris momenti, et frequentioris in ecclesiasticis discutiendis controversiis usus, dilucidandis, vindicandis, et ad genuinum ipsorum sensum restituendis, totam, qualis qualis fuit, operam locavimus. Hinc etiam variantes passim lectiones ex Codicibus, tam MSS. quam impressis, adnotavimus. Alia etiam quamplurima scholia, quæ, ut neque ad Balsamonis, nec Zonaræ, nec Aristeni *ἐπιμνηστικῆς* pertinentia, in ipso operis corpore consulto prætermissa sunt, ex MSS. Bodleianis et Amerbachiano, ad suos quæque Canones inter Annotationes apposimus. Quicquid etiam scholiastes in Constantini Harmenopuli epitomen Canonum conscripserunt, ad locum itidem quodque suum congesimus. Adeo ut nihil a Græcis quibuslibet in hoc canonici ipsorum juris corpus conscriptum, ad notitiam nostram pervenit, quod non in hoc unico opere collectum exhibetur. Ut hæc autem omnia, quæ in pluribus Codicibus manu exaratis et impressis dispersa hucusque latuerunt, in unum hoc corpus tandem aliquando colligerentur, et publici juris fierent, omnes bonarum literarum, et rei præsertim canonicæ studiosi celebri illi Bibliopolæ Londinensi Roberto Scott singulares debent gratias, quippe qui nec sumptui pepercit, nec labori, quo canonicum hoc opus instructissimum, quoad ejus fieri potuit, et accuratissimum in lucem prodiret.

XXXVIII. Quænam ecclesiasticæ leges hoc opere contineantur, quando et a quibus eæ sancitæ fuerunt; quinam eruditi viri scholia in easdem ediderunt, et e quibus denique Codicibus ista scholia in hunc librum simul collecta sunt, ex iis quæ hucusque commentati sumus cuivis palam est. Adeo ut nihil aliud hic modo præmittendum superesse videatur, quam ut debita cum honoris præfatione commemorem promptissimam celeberrimæ Universitatis Oxoniensis in cœptis nostris promovendis benevolentiam; speciatim insignissimi viri Dni. Petri Mews, L.L. Doctoris, Decani Roffensis, Collegii D. Jo. Bapt. Oxon. Præsidis, et Universitatis Vicecancellarii opem et patrocinium; atque etiam exteri posterique certiores fiant, e quam celebri prelo typographico in publicam hoc opus lucem emissum est. Enimvero pauci abhinc anni elapsi sunt, ex quo Reverendissimus noster in

Christo Pater, et Dominus, D. Gilbertus, Divina Providentia Archiepiscopus Cantuariensis, et totius Angliæ Primas et Metropolitanus, pro ardenti ipsius in Deum pietate, summo in literatos amore, et constanti in Academiam nostram Oxoniensem benevolentia, ex sua solius munificentia celeberrimum illud fundavit pariter atque extruxit Theatrum, quod de honorando ipsius cognomine Sheldonianum appellari meruit. Intra hoc illustre admodum ædificium, præter amplissimum illius sinum publicis celebrandis comitiis destinatum, spatia quædam circumcirca relinquuntur, operibus typographicis affabre accommodata. Quæcunque autem Chalcographi, per æneos suos literarum typos ex innumeris repositoriorum loculamentis celerrima manu raptos, ibi composuerunt, e prelis subtus ordine dispositis in charta subdita exprimuntur. Adeo ut unum illud Œcumenicum evasurum sit Theatrum, utpote non huic solum genti, sed universo terrarum orbi pulcherrima literarum linguarumque omnium spectacula exhibiturum. Plurima sane jamdudum promissa sunt, multa propediem exitura, quæ qualia futura sunt, ex hoc ipso opere, tanquam ex pede Hercules, non inepte conjiciatur. Cum hoc enim, quod primum, tantæ saltem molis, ex eo prodiit, et illustrissimo propterea illius Fundatori, summa Æterni Numinis in Ecclesiam Suam benignitate adhuc superstiti, dedicatur, vere canonicum sit opus, sacrasque illas exhibeat leges, quibus Ecclesia primitiva administrata est; haud inani spe ducimur, reliqua omnia, quæ, Deo adsistente, cumulatissime ex eo quotannis exitura sunt, ejusdem fore generis, ut prorsus canonica, veteris et Catholicæ Ecclesiæ decretis et disciplinæ consentanea, tanto denique Fundatore, et sanctissimi Præsulis benefacto dignissima audiant; illudque tale per omnia secula maneat Theatrum, ut Deus ex eo gloriam, Evangelium fidem, Fides stabilimentum, Ecclesia pacem, artes liberales atque scientiæ complementum, et omnes denique, quotquot exortæ fuerint, controversiæ ultimum finem consequantur. Quod faxit Deus Opt. Max. etiam atque etiam orat

GUILIELMUS BEVEREGIUS.

PRÆFATIO

AD

ANNOTATIONES IN CANONES APOSTOLICOS.

DE NUMERO ET AUCTORITATE CANONUM APOSTOLICORUM.

I. NOTAS ac observationes in hosce, qui sub Apostolorum nomine multis retro seculis in Ecclesia Christiana militarunt, non minus quam in Synodorum Patrumque Canones a Græcis receptos, eorumque interpretes, edituri; prius de omnibus, quam de singulis, disserere, et quo tandem jure veteres hi Canones gloriosum illum titulum, *Κανόνες τῶν Ἀποστόλων*, meruisse censeantur, explicare necessarium duximus. Hoc ut effectum demus, duas præcipue quæstiones discutiamus oportet; quarum prima est de Canonum horum numero, de auctoritate et antiquitate altera; quas ambas paucis expedire moliemur.

II. Quod ad numerum attinet, primo tenendum est, quod etiamsi complures antiquiorum Patrum de Canonibus hisce sæpius meminerint, nihil tamen certi de antiquitus recepto eorum numero e quopiam elicere possumus, usque ad quingentesimum plus minus a Christo nato annum. Inter Decretales fateor, Romanorum Pontificum Epistolas, una circumfertur Zephyrini (qui ad sedem Romanam proventus est anno Chr. CXCVIII.) ad Episcopos omnes Sicilienses, in qua dictum est, *Septuaginta enim Apostoli sententias præ-* [Conc. tom. I. col. 604, E.]
fixerunt. Quomodo etiam Hincmarus Remensis legit in lib. de var. c. Eccl. c. 18.¹ At Ivo Carnotensis in Decr.

¹ [Hic liber a Turriano (pro Can. inter Hincmari opera a Sirmondo Ap. lib. i. cap. 15, p. 57,) laudatus, edita non exstat. Haud tamen id-

[P. 119.
Paris. 1647.]

par. iv. c. 107, et auctor Panormiæ sive Pannomiæ, lib. ii. cap. 105, [p. 128] et Gratianus, [Decr. par. i.] distinct. xvi. cap. 2, [col. 58] pro 'septuaginta' legunt 'sexaginta.' Gregorius Presbyter autem in Polycarpi sui lib. iii. tit. 20^e quinquaginta citat, ut observant Romani quoque juris canonici correctores sub Gregorio XIII., ad distinct. xvi. c. 2.

[P. 38, Col.
1631.]
Conc. [Binii]
tom. i. part. i.
[p. 81; et
Conc. Labb.
et Coss. tom.
i. col. 604,
E.]

Et Severinus Binius, qui hanc inter alias epistolas decretales edidit, ad 'septuaginta' in margine notat, '*alias sexaginta, alias quinquaginta;*' ut ex tanta lectionum varietate nihil certi concludi possit. Et præterea nec multum refert, quot Canones sive sententiæ in dicta Epistola recenseantur ut ab Apostolis præfixæ, cum hæc una sit ex iis epistolis, de quibus ipse Bellarminus ait, *Aliquos errores in has epistolas irrepsisse non negaverim, nec indubitatas esse affirmare audeam.* Et Baronius ex multis eas suspectas reddi epistolas affirmat ad an. DCCCLXV., et aciem argumentorum, quæ ex hisce epistolis petuntur, aliorum

Bellarmin. de
Rom. Pontif.
lib. ii. cap.
14. [tom. i. p.
566.]
[Tom. x. coll.
325, 326.]

[Tom. ii.
coll. 17, 18.]
De Concord.
Sacerd. et
Imp. lib. iii.
cap. 5, [sect.
1, p. 142.]

objectionibus retusam videri posse ad an. CII. Unde doctissimus ille Petrus de Marca liberum esse venerandos Pontificum titulos epistolis istis detrahere affirmat, et supposititias esse probat, et idcirco ab earum citatione cautus abstinet. Cæterum, quod non prætereundum est, idem ille Petrus de Marca ad numerum Canonum horum adstruendum alium laudat librum, συναγωγήν τῶν κανόνων appellatum, sub nomine Theodreti Cyrensis, qui ante tempus a nobis præstitutum claruit; sed eruditissimo viro imposuit Codex MS. in Bibliotheca Regia, quem solum, ni fallor, viderat, titulum præ se ferens, Θεοδορητου ἐπισκόπου Κύρρου. Verum Christophorus Justellus alios codices MSS. citat, unum qui Ἰωάννου πρεσβυτέρου Ἀντιοχείας, alterum qui

Ibid. cap. 2,
[sect. 4, p.
131.]

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. p.
496.]

circo audiendus est Dallæus, qui *Turrianum hæc vel Hincmaro ipsum prudentem scientemque affinxisse, vel certe ex falsis et interpolatis codicibus descripsisse*, credit, (Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 2, p. 433.) Sirmondus enim sese omnia conguessisse Hincmari opera nec spondere sibi nec sperare audet, ut ipse in Præfatione loquitur, et multa forsitan Hincmari Opuscula in Bibliothecis adhuc latent.]

² [“ Verum in hoc eodem campo alii etiam gravissimi viri (quorum libri, partim in publicis, partim in privatis bibliothecis manuscripti habentur,) Cresconius, Anselmus, Deus-dedit Cardinalis, Gregorius Presbyter, qui volumen suum Polycarpum inscripsit, alique nonnulli præclare se exercuerunt, suamque operam probaverunt.”—Præf. ad Lectorem, apud Corp. Jur. Civ. jussu Greg. XIII. emend. Col. 1631.]

Ἰωάννου ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως nomen præfert, Jo. videlicet Scholastici, qui primo presbyter Antiochenus, et deinde Episcopus Constantinopolitanus fuit; et codicem præterea nostrum Oxoniensem, cujus titulus est, *Συναγωγή κανόνων ἐκκλησιαστικῶν, κ. τ. λ.*, et postea Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ Σχολαστικοῦ εἰς τὸν νομοκανόνα πρόλογος. E quibus satis, ut opinor, patet Theodoretum non fuisse collectionis istius auctorem, sed Jo. Scholasticum sive Antiochenum, qui post annum prædictum floruit, uti mox ostendemus. Hoc autem lectorem obiter admonendum duxi, ut si forsitan, inter doctissimum illud Petri de Marca opus legendum, in collectionem hanc ab eo laudatam inciderit, eandem esse sciat, quam Christophorus Justellus sub Joannis Antiocheni nomine edidit.

III. At quingentesimo circiter æræ Christianæ anno, ipse primus æræ istius conditor Dionysius Exiguus Codicem Canonum Ecclesiæ Orientalis e Græca in Latinam linguam quam accuratissime transferebat, cui etiam Latinam suam Canonum quinquaginta sub Apostolorum nomine versionem præfigebat. Tempus, quo antiqua hæc Canonum interpretatio in lucem prodiit, ex duabus ipsius Dionysii epistolis erui potuerit; quarum una est ad Petronium Episcopum, quam Dionysius Petavius e MSS. edidit ad calcem operis de Doctrina Temporum. In uno exemplari, quo usus est Petavius, hæc scripta sunt, *In præsentī namque tertiā indictio est, consulatu Probi junioris tertius decimus circulus decemnovalis decimus lunaris est*; e quibus constat annum, quo et paschalem suum cyclum instituit, et hanc epistolam conscripsit, fuisse annum æræ vulgaris DXXV., utpote Philoxeno et Probo Coss. indict. III. aureo numero XIII. In hac autem Epistola Dionysius Exiguus citat Canonem LXXIX. totius Codicis, *qui primus est Antiocheni Concilii*, ut ipsius verbis utar, et quidem juxta suam ipsius interpretationem; unde liquet versionem hanc elaboratam esse, ac proinde quinquaginta Apostolorum Canones editos ante an. DXXV. Sed accuratius adhuc tempus colligere licebit ex Epistola ipsius ad Julianum presbyterum tituli sanctæ Anastasiæ, Pontificum Romanorum decretis ab eo collectis præfixa, et ex MSS. Christophori Justelli edita. In hac

[Pet. de
Doct. Temp.
tom. II. p.
890, A.]

[Ibid. tom. II.
p. 875, D.]

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. i. p.
183; et Conc.
tom. i. col. 3,
A.]

[Conc. tom.
iv. coll. 1312,
seq. et 1333,
seq.]

Cassiod.
Divin. Lect.
cap. xxiii.
[Bibl. Max.
Pat. tom. xi.
p. 1282, F;
et Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. i. p. 99.]

Conc. Gall.
tom. i. [p.
233.]
Conc. Bin.
tom. iii. part.
1, pp. 367 et
368; [et
Conc. Labb.
et Coss. tom.
vi. coll. 1507,
C, 1508, D,
1509, E, 1511,
C, E.]
Gratian.
distinct. xx.
cap. 1.

enim Epistola Dionysius se in Decretorum collectione eodem modo processisse scribit, *quo dudum, de Græco sermone Patrum transferens Canones ordinarat*. Ergo Canonum versio prius facta est, quam hæc epistola scripta, quæ tamen data est ad Julianum presbyterum tituli S. Anastasiæ, qui interfuit Synodis Romanis primæ et quartæ sub Symmacho habitis, quarum illa Kal. Mart. anno CCCXCIX. post consulatum Paulini; hæc sub VIII. Id. Novemb. anno DII., Avieno juniore consulatum gerente, celebrata est; nulla vero postea illius occurrit mentio. Unde plusquam verisimile cuipiam videatur, hanc Apostolicorum L. aliorumque Canonum versionem quinto exeunte seculo, vel saltem ineunte sexto, hoc est, anno circiter quingentesimo, divulgatam esse.

IV. Non citius autem edita est hæc Dionysiana Canonum interpretatio, quam ab Ecclesia Romana recepta, quod Cassiodorus ejusdem ætatis scriptor abunde testatur, de Dionysio hæc scribens; *Qui petitus a Stephano Episcopo Salonitano ex Græcis exemplaribus Canones ecclesiasticos, moribus suis, ut erat planus atque disertus, magnæ eloquentiæ luce composuit: quos hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur*. Et ab eo usque tempore per totum propemodum Occidentem hi quinquaginta Canones, iique soli, Apostolorum titulo dignati sunt, et inter reliquos Conciliorum Canones a Dionysio versos observati. Hinc est, quod Joannes Secundus sede Romana potitus anno DXXXII., in causa Contumeliosi Regensis Episcopi, inter alios citat Can. Apost. XXV. et XXIX., idque ex interpretatione Dionysiana, in Epistola ad Cæsarium Arelatensem data. Et Zacharias Papa, dignitatem istam assecutus anno DCCXLI., plures Canones ex eadem versione laudat in Epistola ad Pipinum Regem et Episcopos Francorum. Et Leo IV. Papa anno DCCCXLVII. *Quibus autem, inquit, in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis, sunt Canones Apostolorum, Nicænorum, etc.*,³ juxta Dionysianam versionem, qua Apostolici L. soli numerantur. Anastasius Bibliothecarius, in Præfatione ad VII. Synodum

³ [" Simul cum Canonibus, quibus in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis, id est Apostolorum," etc.—Grat.

Decret. Part. i. dist. 20, cap. 1, col. 84.]

ad Joannem VIII. Papam Romanum an. DCCLXXXVII., scribit Stephanum prædecessorem ejus L. solos Apostolorum Canones recipiendos synodice promulgasse. Verba ejus sunt, *Et certe de Apostolorum Canonibus liquido novimus, quoniam his quidam facile non præbuere consensum. Sed et predecessor vester beatissimus Papa Stephanus non ex his plusquam quinquaginta [recipiendos] synodice promulgavit.* Et Humbertus Sylvæ candidæ Episcopus, in Disputatione de Jejunio Sabbati contra Nicetam Pectoratum an. MLIV. hæc habet: *Et hoc asserere conaris ex Apocryphis libris et Canonibus pari sententia sanctorum Patrum repudiatis; nam Clementis librum [liber, Bibl. Pat.], id est Petri Apostoli Itinerarium et Canones Apostolorum numeraverunt [numerantur, Bibl. Pat.] inter Apocrypha, exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt orthodoxæ fidei [regulis orthodoxis, Bibl. Pat.] adjungenda.* Unde liquet quinquaginta Apostolorum Canones approbatos, reliquos tunc temporis repudiatos esse. Hinc Urbanus Secundus iisdem fere temporibus in epistola Præposito S. Juventii destinata, *sciendum vero, inquit, quod Canones Apostolorum, quorum auctoritate Orientalis, et ex parte Romana utitur Ecclesia, etc.* Nimirum illa plures, hæc L. solos admittit. Et Gratianus anno MCXLV. *Apostolorum (vero) Canones, qui per Clementem Pontificem Romanum, sicut quidam asserunt, dicuntur esse translati, sunt quinquaginta.* Quinetiam in veteri Canonum codice, quem Wigornienti Ecclesiæ Dunstanus, Archiepiscopus Cantuariensis, contulit, L. soli Apostolorum Canones describuntur, ut observat Jacobus Armachanus in Proleg. ad Polycarpi, et Ignatii Epistolas. Nec omittendum est Cresconium, Episcopum Africanum, tam in breviario canonico, quam in collectione Canonum, L. solos sub Apostolorum nomine laudare, idque ex interpretatione Dionysiana, et Isidorum quoque, sive Hispalensem, sive Mercatorem, Setubensem Episcopum, juxta Chronicon Juliani Toletani⁴ (incertum enim est quisnam istius collectionis auctor fuit, quæ sub Isidori nomine cir-

[Conc. tom. vii. col. 30, C.]

Gratian. dist. xvi. cap. 3, [col. 58, sub nomine Leonis Patris IX.; et Bibl. Max. Pat. tom. xviii. p. 411, F.]

[Ab Alex. II. citata] apud Gratian. dist. xxxii. cap. 6, [col. 155.]

Dist. xvi. Præf. [col. 58.]

[Cot. Pat. Ap. tom. ii. part. 2, p. 196.]

[Apud Just. Bibl. Jur. Can. tom. i. p. 456, et App. p. xxxiii.]

[Pp. 91, 92. Paris. 1628.]

⁴ [“ Si fides habenda esset Chronico Juliani Toletani a viro clarissimo Laurentio Ramiresio Parisiis edito, non laborandum esset de collectionis auc-

tore. Etenim juxta Chronici illius fidem, Isidorus Mercator, Episcopus Setubensis, ope monachi cujusdam compilationi operam dedisse dicitur, et

cumfertur) de L. solis Apostolicis meminisse, quos etiam ut a Dionysio translatos citat, etiamsi in reliquis Conciliorum Canonibus antiquam versionem retineat. E quibus omnibus inter se collatis probe constat L. solos sub Apostolorum nomine per multa secula in Ecclesia Romana receptos esse, eosque ex Dionysiana versione. Hinc est, quod Codex Canonum Ecclesiæ Romanæ anno MDXXXV., a Jo. Wendelstino editus L. solos Apostolorum Canones exhibeat; et quod in primo Conciliorum tomo, impresso Coloniae anno MDXXX., L. soli Apostolorum Canones recenseantur, etiamsi in editione Petri Crabbe, et aliis posterioribus plures numerentur.

De Concord.
lib. iij. cap. 2,
[sect. 7, p.
132.]

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. i. p.
101; et Conc.
tom. i. col. 1,
B.]

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. p.
501.]

V. Dionysius igitur Exiguus L. solos Apostolorum Canones e Græco transtulit; utrum autem plures in Codice quo usus est exstiterint necne, incertum est. Petrus de Marca cæteros ab eo consulto omissos opinatur, *præsertim cum Can. LXVI. ingratus Romanis auribus [futurus] esset.* Sed vero nobis dissimile videtur, ut partem tantam Codicis transferret, reliquamque omitteret, ne Romanis displiceret, cum ipse in præfatione etiam L. a se versis, *plurimos consensum non præbuisse facilem affirmet*, et propterea Romanis æque ac aliis liberum esset eos admittere vel repudiare. Utrum autem in exemplari, quod transtulit Dionysius, plures quam quinquaginta fuerunt Canones necne, non tanti est momenti, ut litem moveret, præcipue cum, etiamsi Codex, quem ipse vertit, plures non habuerit, ejus tamen æqualis exemplar nactus est, quod LXXXV. Canones Apostolicos continuit; Joannes viz. Scholasticus, primo Antiochiæ presbyter, (unde et Antiochenus dicitur) postea vero ad thronum Constantinopolitanum a Justiniano (sub quo et Dionysius claruit) imperatore promotus. Hic enim in præfatione ad Canonum Collectionem, quam, ut antea notatum est, Marca sub Theodoreti nomine laudat, disertis verbis ait, *Οἱ μὲν ἅγιοι τοῦ Κυρίου μαθηταὶ καὶ Ἀπόστολοι ὀγδοήκοντα*

obiisse anno DCCCXV. Verum quia Chronicum illud apud eruditos viros suspitione non caret, satius est Hincmari testimonio hæerere, qui non Mercatori Setubensi Episcopo, sed Isidoro

Hispalensi, ætate sua, collectionem tributam fuisse testatur."—De Marca, de Concord. Sacerd. et Imp. lib. iij. cap. 5, sect. 2.]

πάντε διὰ Κλήμεντος κανόνας ἐξέθεντο, unde constat Canones Apostolorum LXXXV. in Oriente iisdem etiam temporibus obtinuisse, quibus Dionysius L. solos Latine vertebat. Hanc suam Canonum collectionem Jo. Antiochenus (sub isto enim nomine editus est) in L. titulos distribuit, quibus Canones hosce Apost. LXXXV. inter alios Conciliorum commiscet; adeo ut hi LXXXV. Apostolici una cum Synodalibus ab eo commemoratis Codicem Canonum Ecclesiæ Orientalis tunc etiam dierum constituerent. Et hinc est, quod in Concilio Trullano anno DCLXXXI. celebrato, Can. II. Canones LXXXV., τῶν ἀγίων καὶ ἐνδόξων Ἀποστόλων synodali auctoritate confirmantur. Et ab hoc demum tempore Ecclesia Orientalis religiosissime, si quos alios, hos LXXXV. Apostolorum Canones observarunt. Et quicumque ex iis Jus Canonicum tractarunt, nec plures nec pauciores recensent. Photius Patriarcha C.P. in Nomocanone, Alexius Aristenus, Jo. Zonaras, Theodorus Balsamon, Simeon magister et Logotheta, Arsenius Monachus, Constantinus Harmenopulus in Epitome Canonum,⁵ et Matthæus Blastares in Syntagmate, et quotquot præterea Græci juri canonico operam dederunt, in prædicto LXXXV. Canonum Apostolicorum numero unanimes consentiunt. At in Arabica Canonum collectione numerus ad LXXXI. reducitur, ut ex ipso etiam titulo patet, quem ex MS. Bibliothecæ Bodleianæ transcriptum huc transferre non pigebit, هذه القوانين التي وضعها الرسل القديسين والتلاميذ الاطهار التي تدعي التطلسات التي اجتمعت عليها الكواريون ورتبوها بتأييد الروح القدس بعلبة صهيون التي اخبر بها اكلبمنتس تلميذ بطروس الرسول وعدتها احد وثمانون قانونا

Hi sunt Canones, quos sancti Apostoli, purique discipuli composuerunt, quique Tituli cognominantur, ad quos constituendos congregati sunt Apostoli, eosque Spiritus Sancti ope in Summo Sionis ordinarunt, quos Clemens Petri Apostoli discipulus enuntiavit. Et numerus eorum est octoginta unus. Eodem quoque modo in plerisque Latinis horum Canonum editionibus non LXXXV., sed LXXXIV. numerantur, duodecimo nimirum et decimo tertio in unum conjunctis.

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. pp.
499-602.]

[Pan. Can.
tom. i. p. 158,
C.]

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. pp.
673-1140.]

[Præf. p. 4,
C. Pan. Can.
tom. ii.]

⁵ [In Præf. apud Leunc. Jus Græco-Rom. lib. i. tom. i. ad init.]

- in varias abitur partes. Nam Joannes Damascenus non referre videatur solum, ut Alphonsus de Castro modeste nimis loquitur, sed revera in canonicorum Sacræ Scripturæ librorum numerum eos refert; recensitum enim a se canonicorum librorum catalogum, nulla facta distinctione, sic claudit, Παύλου Ἀποστόλου ἐπιστολαὶ δεκατέσσαρες· Ἀποκάλυψις Ἰωάννου εὐαγγελιστοῦ· κανόνες τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος. Quod tamen inconsulte nimis ab eo factum recte monet Baronius ad an. CII. Sixtus Senensis S. Athanasium quoque eos inter hagiographa recensuisse scribit; *Canonum Apostolicorum*, inquit, *auctoritas est recepta et indubitata, Athanasius enim inter hagiographa eos numerat.* Sixtum fide implicita sequuntur Bellarminus, lib. de Scriptoribus Eccles. in Clemente, [p. 31,] et Possevinus in Apparatu Sacro. At in Synopsi, quam citant, Athanasii, nulla occurrit Canonum Apostolicorum mentio, nisi forsitan sub generali Κλημεντίων nomine, quæ tamen Athanasius non inter hagiographa sed Apocrypha recenset; et Eusebius nihil e Clementinis a veteribus approbatum asserit, præter Epistolam primam ad Corinthios. Porro Concilium Trullanum hosce Canones non quidem inter canonicos Scripturæ libros, sed tamen inter reliquos ab Ecclesia recipiendos Canones confirmat, idque sub ipsorum Apostolorum nomine. Et hinc est quod Græcorum plurimi Synodi istius auctoritate inducti, non L. solos priores, sed et universos LXXXV. ab ipsis Apostolis vel compositos vel saltem Clementi dictatos asserant. Unde Balsamon in istum Canonem eos, qui L. solos recipiunt, perstringens, ait, Τοῦ παρόντος κανόνος μέμνησο διηνεκῶς, ἐπιστομίσεις γὰρ δι' αὐτοῦ τοὺς λέγοντας μὴ ἐκτεθῆναι παρὰ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων κανόνας πέ. Eadem propemodum habes in Matthæi Blastaris Præf. ad Syntagma. Nec defuerunt a Latinis, qui hosce Canones ipsis Apostolis acceptos retulerunt. *Apostolorum Canones certo sunt Apostolorum*, inquit Lindanus. *Istos Canones ab Apostolis constitutos, a beatoque Clemente conscriptos esse, multis et certis argumentis adducor,*
- Adv. Hær. lib. ii. cap. 20.⁶
- Damasc. de Fide Orthod. lib. iv. cap. 17. [Op. tom. i. p. 284, C.]
- [Tom. ii. col. 16.]
- Sixt. Sen. Bibl. Sanct. lib. ii. [p. 63, B, in Clem.]
- [Sub Clem. tom. i. p. 367.]
- [S. Athan. Syn. S. Scrip. cap. lxxvi. Op. tom. ii. p. 202, A, B.]
- Euseb. Hist. Eccles. lib. iii. cap. 38, [p. 134.]
- Can. Tr. ii. [Pan. Can. tom. i. p. 158, C.]
- [Ibid. p. 159, A.]
- [P. 4, F. Pan. Can. tom. ii.]
- In Chronol. Præf. Panopl. [lib. i.]

⁶ [Hic locus nobis summa cura investigantibus haud comparuit. In alio autem loco ita de hac re loquitur Alphonsus: "Quapropter beatus Damascenus, in quarto libro de Fide Or-

thodoxa, recensito canonico librorum catalogo, continuo post subjungit, et Canones Apostolorum per Clementem."—Adv. Hær. lib. i. cap. 2, col. 11, E. Paris. 1571.]

ut credam, inquit Lambertus Gruterus. *Illos in Concilio Hierosolymitano, Act. xv. ab Apostolis conditos esse, ac proinde immerito pro Apocryphis a quibusdam censori affirmat Salmeron. Franciscus Turrianus peculiarem edidit tractatum, quo probare nititur omnes hosce Canones ab Apostolis compositos esse, idque in Concilio Hierosolymitano. Cui subscribit et Lorinus in Act. Apost. cap. xv., [v. 29,] necnon Onuphrius in Catalogo Platinae praefixo. Hanc denique et Josephi Aegyptii Arabici Canonum collectoris sententiam fuisse, titulus ante citatus indicat.*

In Praef. Oper. Clement. [De Canonibus,] tom. xii. tract. 41, [p. 301.]

[Vide supra, tom. i. p. xxviii.]

[P. 662, col. 2, E.]

[Platina de Vitis Pontif.]

VII. Alii e contra hosce Canones dubios et suppositios esse et Apostolis falso adscriptos prodiderunt, iique e Graecis pariter ac e Latinis. Photius enim in Praefatione ad Nomocanonem a Christophoro Justello ex MS. Bibliothecae Oxoniensis edita olim observavit, Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοὺς λεγομένους τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, εἰ καὶ τινες αὐτοὺς ἀμφιβόλους διὰ τινὰς αἰτίας ἠγήσαντο. Et post eum Matthæus Blastares, Οὐκ ἀγνοῶ δὲ ὡς τινες τῶν ἀρχαίων ἀμφιβόλους τοὺς κανόνας τούτους ἠγήσαντο. Et ipse quidem Photius unus ex iis fuisse videtur: utpote qui Canones etiam a se collectos recensens, non dicit, οἱ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων κανόνες, sed οἱ λεγόμενοι τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος κανόνες πέντε. Sic etiam Dionysius Exiguus in praefatione ad Codicem Canonum Ecclesiasticorum, *In principio itaque Canones, inquit, qui dicuntur Apostolorum de Graeco transtulimus, quibus quia plurimi consensum non praebuere facilem, hoc ipsum vestram nolimus ignorare sanctitatem. Et Isidorus in sua praefatione, Propter eorum auctoritatem caeteris Conciliis praeposuimus [praeposimus, Grat.] Canones, qui dicuntur [esse, Grat.] Apostolorum, licet a quibusdam Apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt. Ita quidem citatur a Gratiano; at capite primo ejusdem distinctionis haec etiam ex Isidoro laudantur, Canones qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum praebuerunt, pro eo quod ab haereticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in iis utilia inveniantur, tamen ab auctoritate Canonica atque Apostolica earum gesta constat esse remota, atque inter Apocrypha deputata. In utroque fortasse loco respectum habuit ad Gelasium Papam, et LXX. Episcopus in Synodo sub eo celebrata congregatos an. CCCXCIV.,*

[Just. Bibl. Jur. Can. tom. ii. p. 790.]

[Praef. ad Syntag. p. 4. E. Pan. Can. tom. ii.]

[Just. Bibl. Jur. Can. tom. ii. p. 793.]

[Ibid. tom. i. p. 101; et Conc. tom. i. col. 1, B.]

[Conc. tom. i. col. 5, C.]

Dist. xvi. cap. 4, [col. 59.]

[Ibid. cap. i. col. 58.]

Apud Grat.
Dist. xv. cap.
3, [col. 56 ;
et Conc. tom.
iv. col. 1265,
B.]
[Opus. xxxiii.
(lv. capit.)
adv. Hinc.
Laud. cap.
24. Op. tom.
ii. p. 474.]

[Ibid. p. 473.]

[Vide Just.
Bibl. Jur.
Can. tom. i.
p. 448, seq.
et App. p. vii.
seq.]

[Pan. Can.
tom. i. p. 138,
C, D.]

[Annot. ad
Pan. Can.
p. 28.]

[Can. Ephes.
viii. Pan.
Can. tom. i.
p. 104, C ;
et Conc. tom.
iii. col. 802.]

qui authenticos ab apocryphis libros discernentes dicunt, *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus*. At Hincmarus Remensis, *B. Gelasium in Catalogo qui libri in Ecclesia recipiantur, de his Apostolorum Canonibus penitus tacuisse, nec inter Apocrypha eos misisse*, scribit; adeo ut in Codice, quo Hincmarus anno circiter DCCCLX. usus est, verba ante citata omissa videantur. Ipse autem Hincmarus eodem in loco præmiserat, *Cæterum iidem Canones, qui vocantur Apostolorum, non ab ipsis Apostolis conscripti esse creduntur*. In eadem sententia Fulgentius quoque Ferrandus et Martinus Bracarenensis fuisse videntur, ex eo quod nec ille in breviatione, nec hic in collectione Canonum hosce laudare dignentur.

VIII. Ut nos inter duas has extremas latitantem opiniones ipsam investigemus veritatem, et summam, quoad ejus fieri potest, Canonum horum antiquitatem, iisque debitam exinde pendentem auctoritatem inveniamus, antiquiora S. Patrum, qui annum prædictum quingentesimum præcesserunt, volumina consulamus, et quæ ex iis in adversaria nostra de Canonibus hisce conguessimus testimonia depromamus necesse est. Telam autem a Chalcedonensi, sive quarta generali, Synodo exorsi, usque ad ipsa tempora, quibus hi Canones nobis constituti videntur, hoc est ad prima prope modum Ecclesiæ recens natæ incunabula, eam gradatim ascendendo protrahere moliemur. Patres igitur in prædicta Synodo Chalcedone celebrata anno Dom. CCCCLI. congregati Can. XXII. decernunt, *Non licere clericis post mortem Episcopi res, quæ ad ipsum pertinent, diripere, καθὼς καὶ τοῖς παλαι κανόνισιν ἀπηγόρευται*. At vero nullos alios hac Synodo vetustiores Canones invenire est hoc prohibentes, præter Apostolicos, quorum quadragesimo cautum est, ne, mortuo Episcopo, rerum ecclesiasticarum occasione quæ propria fuerant Episcopi interciderent, sive diriperentur. Videsis notas in dictum XL. Can. Apost. Synodus porro Ephesina, sive Œcumenica tertia, anno CCCXXXI. habita, decretum edidit, quo asseruit, Episcopum Antiochenum in Cypro ordinare, quæ extra suos esset limites, esse *πράγμα παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικούς θεσμούς καὶ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων Ἀποστόλων καινοπομούμενον*, viz. præter Can. Apost. XXXIV. et XXXV. Exstat hoc decretum in Actis Concil. Ephes. part. ii. act. 7.

In nonnullis, fateor, editionibus pro Ἀποστόλων legitur πατέρων, quod tamen tantidem est. Quinetiam in isto quoque libello, quem Rheginus tunc temporis Synodo offerebat, hoc contra Apostolicos Canones esse traditur. Adhæc Arcadio tertium, et Honorio secundum Coss., hoc est anno CCCXCIV. celebratum est Concilium provinciale Constantinopoli de Agapio et Bagadio utroque Episcopatum Bostræ sibi vindicante, in quo Nectarius Constantinopolitanus et reliqui Patres decernebant Episcopum accusatum non nisi Synodi et provinciæ Episcoporum sententia deponendum esse, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο, viz. Can. Apost. LXXIV. Hæc exstant ad calcem primi tomi hujusce operis. Hisce temporibus celebrata est Synodus Carthaginiensis, cujus Can. LIII. Aurelius Episcopus dixit, ὁ ἀρχαῖος τυπὸς φυλαχθήσεται, ut tres Episcopi Episcopum ordinent, viz. Can. Apost. I.; et Balsamon quidem τυπὸν per κανόνα interpretatur; et dictum Apost. Can. ita antiquitus intellectum esse, ut tres ad minimum Episcopi ordinent Episcopum, in notis ad Aristenii istius Canonis interpretationem ostendimus. Hinc ad secundam universalem transeamus Synodum Constantinopoli habitam anno CCCLXXXI. Patres in hac Synodo convocati ad Damasum, Ambrosium, aliosque Romæ tunc temporis congregatos epistolam mittebant, qua inter alia dicunt, παλαιὸς τε, ὡς ἴστε, θεσμὸς κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ πατέρων ὄρος, nimirum ut Antistites una cum finitimis (modo ipsis visum fuerit) Episcopis ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum provinciis ordinent. At nulla Synodo Nicæna antiquior lex exstitit, quæ hoc constituit, præter Can. Apost. XIV. [leg. XXXIV.] et XV. [leg. XXXV.] Exstat hæc Epistola ad finem Actorum Concilii C.P., et apud Theodoretum. Hisce diebus Evagrius sedem Antiochenam occupabat a Paulino decessore solo, et jam decedente, ordinatus, quod παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν θεσμόν, imo παρὰ πολλοὺς κανόνας factum observat Theodoretus; viz. contra Can. Apost. I. et LXXVI., quorum iste non nisi a duobus vel tribus Episcopum ordinari mandat, hic Episcopum quem vult sui loco ordinare prohibet. Hisce etiam temporibus Basilius ille Magnus clarebat, qui in prima Epistola ad Amphiloichium, Can. III., ait, διότι ἀρχαῖος ἐστὶ κανὼν, ut qui gradu exciderunt huic soli punishmentis modo subjiciantur,

[Cone. tom. iii. col. 788.]

[Pan. Can. tom. i. p. 679, B.]

[Ibid. p. 576, D.]

[Ibid. p. 577, A.]

[Annot. ad Pan. Can. p. 11. Pan. Can. tom. ii. ad fin.]

[Cone. tom. ii. col. 963, E.]

[Vide supra, tom. i. pp. 137, 138.]

[Hist. Eccles. lib. v. cap. 9, [pp. 203-207.]

[Ibid. cap. 23, [p. 224.]

[Pan. Can. tom. ii. p. 53, A; et S. Basil. Ep. 188. Op. tom. iii. p. 271, B.]

viz. Can. Apost. XXV. Idem quoque Canone XII. dicit, τὸς διγάμους παντελῶς ὁ κανὼν τῆς ὑπηρεσίας ἀπέκλεισε, ubi Balsamon observat per κανόνα indigitari Can. Apost. XVII. Idem observatur et a Matthæo Monacho in matrimonialibus, cap. περὶ διγάμων, et recte quidem, siquidem nullus alius de ea re Canon exstabat. Præterea anno Dom. CCCXLI. habita est Synodus Antiochiæ: plerique autem Canonum ab hac Synodo editorum eadem quæ Apostolici, et nonnunquam iisdem verbis, decernunt, ut nihil certius esse potest, quam vel Antiochenos ex Apostolicis vel Apostolicos ex Antiochenis transcriptos esse, ut cuivis conferenti patebit. At vero Antiochenos ex Apostolicis, non e contra, traductos esse, probe constat ex Can. Antioch. IX., quo statutum est reliquos Episcopos nihil magni momenti facere, sine Primo sive Metropolitanò, κατὰ τὸν ἀρχαῖον κριτήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα, viz. juxta Apost. Can. XXXIV., eadem omnino decernentem. Unde Patres Antiochenos Canones Apost. vidisse, omnesque suos, qui cum Apostolicis conveniunt, ex iisdem transtulisse, eosque sua demum auctoritate confirmasse luculenter patet. Hisce diebus celebratissimus ille Athanasius ad ubique Orthodoxos epistolam conscripsit, in qua conqueritur Georgium [Gregorium], natione Cappadocem, per vim, judicumque extraneorum opem thronum Alexandrinum invasisse; et protinus subjungit, Τοῦτο δὲ ἐκκλησιαστικούς θεσμούς παραλύσει [παραλύει,] viz. Can. Apost. XXIX. et XXX. Ut vero Imperiali quoque auctoritate veteres hi Canones corroborentur, iisdem diebus Eusebius Cæsareæ Episcopus ad thronum Antiochenum cleri populi-que suffragiis electus est, ille autem antiquis hisce Canonibus religiose insistens suam relinquere, et ad aliam sedem migrare renuit, quam ob rem Constantinus Magnus Imperator literas ad eum dabat, quibus eum commendat, quod τὰς τε ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ καὶ τὸν ἀποστολικὸν κανόνα καὶ τῆς ἐκκλησίας φυλάττειν ἔγνωκεν, et aliam epistolam ad Synodum Antiochiæ tunc temporis habitam mittebat, qua Episcopos in ea congregatos certiores facit, literas Eusebii de ea re ad se missas τῷ ἐκκλησιαστικῷ θεσμῷ consentire;⁷ et in prædictis itidem

[Pan. Can. tom. ii. p. 69, D; et S. Bas. Ep. 188. Op. tom. iii. p. 275, C.]
[Apud Leunc. Jus Græco-Rom. lib. viii. tom. i. p. 494.]

[Pan. Can. tom. i. p. 438, C.]

[Athanas. Ency. ad Episc. Ep. sect. 2. Op. tom. i. p. 112, E.]

Euseb. de Vit. Const. lib. iii. cap. 61, [p. 618.]

⁷ [Τὰ γινὼν Εὐσεβίου γράμματα τὸν ἱφαίνιστο.—Euseb. de Vit. Const. lib. iii. cap. 62, p. 619.]

literis ad Eusebium datis, hæc ab eo gesta, τῇ ἀποστολικῇ [Euseb. de Vit. Const. lib. iii. cap. 61, p. 618.] παραδόσει σύμφωνα esse scribit. Hunc autem Apostolicum Canonem, hanc ecclesiasticam legem, hanc denique Apostolicam traditionem nihil aliud esse quam Can. Apost. XIV. extra dubium est. Quinetiam Alexander Episcopus Alexandrinus ad Alexandrum Episcopum C.P. scribens, Episcopos aliquos, qui eos quos ipse excommunicaverat in communionem recepissent, criminatur, Τῷ μήτε ἀποστολικὸν κανόνα τοῦτο συγχωρεῖν, viz. Can. Apost. XII., XIII., et XVI. Hæc Epistola scripta est ante Synodum primam Œcumenicam Nicææ habitam, cui postea idem Alexander interfuit: quapropter nec totam Synodum hi Canones latuisse censeantur, nec quidem latebant, ut ex ipsis Canonibus ab ea constitutis palam est: enimvero in secundo Canone sancti Patres affirmant, ut, qui a vita gentili ad fidem nuper accesserunt, baptizentur, et ad episcopatum protinus promoveantur, esse παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικόν, viz. contra Can. Apost. LXXX., et Canone quinto de excommunicatis decernunt, ut valeat sententia κατὰ τὸν κανόνα διαγορεύοντα, *Juxta Canonem qui pronunciat eos qui ab aliis excommunicantur ab aliis non recipiendos esse.* Hic autem est Can. Apost. XII. Et quidem, ut semel dicam, sacratissimum hoc Concilium in plerisque statutis suis ad Canones Apostolicos respexisse, et non tam novos procudisse, quam antiquos hosce confirmasse videntur, vel etiam et explicasse; quod egregie probetur ex Can. X., quo decernitur ut quicumque lapsi sunt et postea vel per ignorantiam, vel scientibus iis qui promoverunt, promoti sunt, hoc non præjudicat τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ, nam cogniti deponentur. Nimirum Canon Apost. LXII. præcipit, ut clericus qui lapsus est deponatur, sed de iis qui post lapsum ordinati sunt, nihil expresse statuit. Patres itaque Nicæni Canonem istum ita intelligendum consentiunt, ut ii etiam, qui prius lapsi sunt et deinde ordinati, deponantur, ut pœnam ab ecclesiastico isto Canone constitutam non effugiant, etiam si lapsus ordinationem præcesserit. Si altius adhuc ascendamus, ipse quoque Cyprianus, (si modo tractatus de Ablutione pedum ei recte adscribatur), anno circiter CCL., *nam baptismum, inquit, repeti ecclesiasticæ prohibent regulæ*, viz. Can. Apost. XLVII. Ipse denique Tertullianus ad Canones hosce respectum

Theodoret.
Hist. Eccles.
lib. i. cap. 4,
[p. 11.]

[Pan. Can.
tom. i. p. 60,
A.]

[Ibid. p. 64,
A.]

[Ibid. p. 71,
B.]

De Ablut.
Ped. [Arnold.
Carnot. Op.
p. 44; ad fin.
Op. 8. Cyp.]

Tertull. de
Jejun. adv.
Psych. cap.
xiii. [p. 552,
A.]

habuisse videtur, ubi ait, *Aguntur præcepta* (sic enim Pamelius legendum censet non *præterea*, quod aliis visum) *per Græcias illas certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis per quæ et altiora quæque in commune tractantur. Ut talia enim Concilia haberentur nusquam tunc temporis præceptum legimus præterquam Canone Apost. XXXVII. Ubi etiam dicit, Ad hæreticos vetamur accedere, Canonem Apostolicum XLV., quo cum hæreticis comprecari, vel LXV., quo hæreticorum synagogam ingredi vetitum est, indigitasse videtur.*

Tertull. de
Præscript.
adv. Hæret.
cap. xii. [p.
206, C.]

IX. Priusquam ulterius progrediamur, non abs re erit ex prædictis veterum testimoniis hæc duo observare. 1. Hosce Canones sub variis nominibus antiquitus cognitos fuisse, ut qui a Synodo Chalcedonensi appellantur *οἱ πάλαι κανόνες*, a Constantinopolitana Synodo *οἱ παλαιοὶ θεσμοί*, a Synodo Antiochena et S. Basilio *ἀρχαῖοι κανόνες*, a Synodo Nicæna, Ephesina, Antiochena, et ab Athanasio *ἐκκλησιαστικοὶ θεσμοί*, a Cypriano *ecclesiasticæ regulæ*, a Synodo C.P., a Constantino et Alexandro *ἀποστολικοὶ κανόνες*, nunquam tamen *κανόνες τῶν Ἀποστόλων*, præterquam in decreto Ephesino, ubi etiam pro *Ἀποστόλων* nonnunquam *πατέρων*, et fortasse rectius, legitur, a Constantino vocantur et *ἀποστολικαὶ παραδόσεις*, et a Concilio Nicæno simpliciter *κανόνες*. 2. Non L. solos sed plures antiquis hisce Patribus innotuisse, utpote quod Synodus C. P. provincialis Canonem LXXIV., Nicæna LXII. et LXXX., et Theodoretus Canonem LXXVI. laudet: adeo ut XXXV. posteriores ejusdem antiquitatis ac L. priores non immerito censeantur.

X. Hisce sic præmissis, nostram de Canonum horum antiquitate ac origine sententiam paucis aperiemus. Quamquam enim eos vel ab ipsis Apostolis conscriptos esse, vel Clementi tanquam amanuensi dictatos affirmare non ausim, nec cum Damasceno eos inter canonicos Sacrarum Scripturarum libros recensendos judicarem; nullus tamen dubito, quin a viris Apostolicis, hoc est, secundo labente et ineunte tertio a Christi nativitate seculo constituti passim deinceps innotuerint. Hoc enim non ex eo tantum liquet, quod quarto demum currente seculo pro antiquis habiti fuerunt, sed exinde præcipue, quod secunda tertiaque fluente a Verbo Incarnato centuria, omnes, vel plerosque saltem (a quibus et de cæteris facile est conjecturam facere) in Ecclesia Chris-

tiana obtinuisse, ex Clemente Alexandrino, Origene, Tertulliano, aliisque ejusdem ætatis scriptoribus et ecclesiasticis historiis abunde constet. Exempli gratia, Can. VII. de die celebrandi Paschatis, Can. XVII. de digamis non ordinandis, Can. XXXI. de clericis seorsim collectas agentibus, Can. XLVII. de baptismo non repetendo et de hæreticorum baptismate non admittendo, Can. L. de trina in baptismo immersione, Can. LXI. de fidelibus lapsis non ordinandis, Can. VI. et LXXXI. de clericis seculares curas suscipientibus; sic etiam Canones de Conciliis habendis, de Quadragesima, feria quarta, et Parasceve jejunanda, etc., ut in Canonibus explicandis fusius ostensuri sumus. Hæc enim, et hujusmodi, quæ Sacris in Scripturis expresse non præcipiuntur, in Ecclesiam primitivam et tantum non Apostolicam furtim et fortuito irrepsisse non censenda sunt, sed e præviis potius decretis sive Canonibus, iisque non a privato quopiam homine, sed a multis qui in unum congregati in utramque partem deliberarunt, constitutis, vulgares in usus primo recepta fuisse.

XI. Et quidem nonnullos ex hisce Canonibus a Conciliis tunc dierum celebratis editos fuisse, nemo inficias eat. Septimus enim Canon de paschalis celebritatis tempore a Conciliis Romano, Palæstino, Pontico, Gallico, Osroeno, aliisque constitutus est, anno circiter CXCVIII. Sic Cyprianus asserit antecessores suos de clericis seculares curas suscipientibus decretum edidisse, juxta Can. VI. et LXXXI. Sed summa observatione dignum est, quod illi ipsi Canones, de quibus tot motæ sunt controversiæ, viz., XLVI. de hæreticorum baptismo non approbando, et XLVII. de baptizandis iis qui ab hæreticis impuro baptismo polluti sunt, longe ante Cypriani tempora in Synodo sub Agrippino habitati statuti sunt, ut ex ipso Cypriano patet, dicente, *Apud nos autem non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, et longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint.* Hujus Concilii meminit et in Epistola ad Quintum. Quo quidem anno celebratum est hoc Concilium nondum constat. Baronius conjicit in annum CCXVII. At siquidem *multis annis et longa ætate* ante Cyprianum habitum fuerit, antierius

Euseb. Hist. Eccles. lib. v. cap. 23, [pp. 242, 243.]

Cyprian. in Epist. [i. Fell., lxvi. Pamel.] ad Presbyt. et Diac. et Plebem Furnis consist. [pp. 1-3.]

Epist. [lxxiii.] ad Jubalan. [p. 199.]

[Epist. lxxi. p. 193.]

[Tom. ii. col. 351.]

[Cap. xxxvii.
p. 215, C, et
de Bapt. cap.
xv. p. 230,
A.]

Hincm.
Rem. Opusc.
[xxxiii. adv.
Hincm. Lau-
dun.] cap. 24.
[Op. tom. ii.
p. 473.]

nobis fuisse videtur, præsertim cum et ipsum Tertullianum eadem sensisse, ex libro de Præscript. adv. Hæret. constet. Cum pro comperto autem habeamus tres hosce Canones, qui inter Apostolicos numerantur, a primitivis, ut ita loquar, Conciliis constitutos esse, idem et de reliquis statuendum censeo: nimirum quod a Synodis, quæ variis et temporibus et locis convenerant, editi sunt hi Canones, et tertio demum corrente seculo in unum corpus collecti. Hoc et Hincmarus Remensis olim sensisse videtur, *Canones, inquit, qui vocantur Apostolorum, antequam Episcopi Concilia libere inciperent celebrare, a devotis quibusque collecti.* Prius itaque quam Concilia libere celebrata sunt, hi Canones et editi fuerunt, et collecti. Quemadmodum autem nihil certi de primis Canonum Ecclesiæ universæ collectoribus, nec de priscae istius Latinæ editionis a Justello editæ auctore constat; sic etiam nec certi aliquid vel de tempore vel loco, quo collecti sunt hi Canones Apostolici, determinare possumus.

XII. Petrus de Marca, ex eo quod Firmilianus et Cyprianus cum Stephano Romano de hæreticorum Baptismo disputantes de hisce Canonibus non meminerunt, de utroque tam tempore quam loco conjecturam facit; collectos videlicet et Apostolorum titulo cohonestatos fuisse anno CCLVIII., idque in Concilio quodam Iconiensi.⁶ Verum a prædictis patet Cyprianum, etiamsi non sub Apostolorum nomine, antiquum tamen laudasse Canonem, ad suam de Baptismo

⁶ [“ Nihil opportunius accidere poterat hac disputatione ad citandos in testimonium Canones Apostolicos, si ea tempestate compacta fuisset collectio, qua hodie utimur. . . . Itaque a silentio Firmiliani colligere licet, incognitos ea ætate Orientalibus fuisse Canones Apostolicos. Quid si hæc contentio collectionis hujus occasionem præbuerit; et, ut Romanæ Ecclesiæ traditio et auctoritas a Stephano prolata objecto veluti clypeo repelleretur, huic collectioni (quæ antiquæ disciplinæ in Oriente vigentis capita omnia, imo vero et sacramentorum ritum complectitur) Constitutionum Apostolicarum, et Canonum a Clemente Romano

editorum nomen inscriptum fuerit? Commodum accidit, ut frequentes Orientalium Ecclesiarum Episcopi Iconium convenirent anno CCLVIII. ad controversiam illam de baptismo hæreticorum dirimendam, ubi eadem sententia constituta est, quam Apostolici Canones XLVI. et XLVII. exhibent. . . . Quare in eam conjecturam facile adducor, ut existimem decretum Iconiensis Concilii transcriptum in eam collectionem, quæ tunc consarcinata est, et augusto Clementis Romani nomine ornata in publicum prodiit.”—Pet. de Marca, de Concord. Sac. et Imp. lib. iii. cap. 2, sect. 5, pp. 131, 132.]

adstruendam sententiam : et ipse quoque Firmilianus istud decretum non constitutum sed confirmatum fuisse in dicto Concilio Iconii celebrato affirmat.⁹ Quis autem sibi persuadeat, Cyprianum, Firmilianum, aliosque Ecclesiæ Primitivæ præsules Apostolorum nomen hisce Canonibus imponere voluisse, quorum aliquos saltem a decessoribus suis constitutos agnoscunt? Cæterum et aliud quoque occurrit, quod hanc conjecturam veri quam dissimillimam esse arguit. Firmilianus nimirum in dicta Epistola ad Cyprianum Romanos *circa celebrandos dies Paschæ* errare affirmat. At [Ibid. p. 220.] Romani celebritatem istam, ut cuique notum est, juxta Can. Apost. VII. perpetuo peregerunt. Quocirca Firmilianus haud dubie hosce Canones tanquam Apostolicos Romanis obtrudere non voluit, utpote quibus Romanorum de Pascha sententiam confirmari, suam autem condemnari novit. Quinetiam nec huic sententiæ suffragatur, sed refragatur potius Can. XXXVII., quo mentio fit mensis Hyperberetæi. Cum enim Hyperberetæus unus sit ex Asianorum mensibus, quos Pascha, secus ac Canone VII. statutum est, celebrasse neminem latet, idem contra istam conjecturam recurrit argumentum, nec Iconii videlicet, nec alibi in Asia proprie sic dicta collectos esse. Quin potius ex duobus hisce Canonibus, viz. VII. et XXXVII., nostra sententia, quod diversis in locis constituti sunt hi Canones, egregie confirmatur. Enimvero Canonem XXXVII. a Conciliis Asianis decretum esse dictum mensis Hyperberetæi nomen apertissime demonstrat, at Canonem VII. ab iisdem statutum non fuisse, perpetua eorum a Polycarpo, imo quidem ab ipso, ut asseruerunt, Joanne recepta Paschatis celebratio luculenter arguit.

XIII. Ut autem a variis Conciliis editi sunt hi Canones, sic et a diversis quoque viris nobis collecti videntur, quorum hi plures, illi pauciores collegerunt : unde prædicta in numero discrepantia orta est : non secus ac in Conciliorum

⁹ [“ Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, convenientibus ex Galatia, et Cilicia, et cæteris proximis regionibus, confirmavimus tenendum contra hæreticos

firmiter et vindicandum, cum a quibusdam de ista re dubitaretur.”—Firmil. ad Cyprian. Cyprian. Epist. lxxv. p. 221.]

postea Canonibus accidisse patet. Antiquus enim Canonum Conciliorum Codex Chalcedonensibus terminatus fuit, quibus postea Trullani, Carthaginenses, alique quamplurimi sunt adjecti: et ipse Codex Canonum a Dionysio Exiguo Latine versus, longe plures continet, quam a primo interprete translati sunt, Apostolicos, viz. et Africanos; ut non mirum cuiquam videatur, primitivarum Synodorum Canones ab his L., ab aliis LXXXV., collectos esse. Canones autem sic a se collectos, alii ecclesiasticos, Apostolicos alii nominarunt: non quod ab ipsis Apostolis conscriptos crederent, quos ipsi a Conciliis decretos collegerant, sed quod doctrinæ et traditionibus Apostolicis consonos, et a viris saltem Apostolicis constitutos esse persuasum habuerint. Sic enim et Tertullianus eos, qui proximo post Apostolos claruerunt seculo, Apostolicos appellat. Hinc evenit ut in citatis veterum de hisce Canonibus testimoniis, nunc ecclesiastici, nunc Apostolici nuncupentur: et quod alii postea Apostolicorum nomine decepti ab ipsis Apostolis definitos arbitrarentur.

De Præscript.
adv. Hær.
cap. 32, [p.
213, B, C.]

XIV. Ut ut est, ex prædictis facile adducor ut credam universam propemodum Ecclesiæ primitivæ disciplinam per hosce Canones administratam fuisse. Quapropter quemadmodum Canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsarienses, etc. Codex Canonum Ecclesiæ universæ; et Canones Carthaginenses, Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ vocitantur: sic et hi, qui Apostolorum dicuntur Canones, ut ab Ecclesia Primitiva constituti et collecti, Codex Canonum Ecclesiæ Primitivæ meritissimo jure nuncupantur.

XV. Ad hanc nostram de Canonibus Apostolicis vulgo dictis sententiam quam proxime accedit doctissimus ille Episcopus Aurelianensis Albaspinæus, præsertim ubi vetustam hanc Canonum collectionem nihil aliud esse contendit, quam *Breviarium et Epitomen privatorum Conciliorum et rerum ab Episcopis privatis sancitarum, qui Ecclesias Græcas ante Concilium Nicænum administrarunt*. Sed Joannes Dallæus, in tertio libro de Pseudepigraphis Apostolicis, postquam deliram Turriani, hos Canones ab ipsis Apostolis constitutos fuisse asserentis, opinionem viginti capitulis non minus erudite quam fuse everterat, vicesimo primo tandem capite dictam etiam Albaspinæi sententiam refellere conatur.

Albasp.
Observ. lib. I.
Obs. 13, [pp.
87, 88.]

Quoniam autem nonnulla ex iis, quæ contra Albaspinæum profert, argumentis nostræ etiam sententiæ repugnare videntur, ea paucis, ut loci ratio postulat, discutiemus.

XVI. Primo itaque Dallæus hos Canones non ante Synodum Nicænam sancitos esse, ex ipsa eorum materia probare nititur, nimirum, quod Can. LXXXV. tres Maccabaici, et octo Constitutionum Apostolicarum libri inter canonicos recenseantur. Sic enim argumentatur, *Quis enim, quæso, vetustiorum, non dico Latinorum, sed et Græcorum Patrum tertium librum Maccabaicum in sacrum Veteris Testamenti, vel Clementinarum Constitutionum octo volumina, in Novi Canonem ante hujus sylloges Patrem retulerat?* Respondeo, primo quod ad libros Maccabaicos spectat, in antiquissima Græca Canonum collectione a Jo. Antiocheno elaborata, tit. L., ubi hic Canon exstat, nulla omnino librorum Maccabaicorum mentio occurrit, ut etiam in annotationibus ad dictum Canonem LXXXV. observamus: ac proinde isti in recentioribus horum Canonum editionibus alia quam primorum conditorum manu inserti videntur. Quid autem si concedamus tres Maccabaicos libros dicto Canoni ab initio insertos fuisse? Hoccine probando esset, hos Canones nec ante Concilium Nicænum constitutos esse? Nihil minus. Verumenimvero in antiquo illo Romano versionis τῶν ὁ. MS. ante mille ducentos annos exarato, tres Maccabaici, ut cuique notum est, inter reliquos Veteris Testamenti libros recensentur. Nec in eo solo, sed et in alio illo, dictum Vaticanum Codicem annis æquante saltem, si non superante MS., per Cyrillum Lucarem Alexandria Constantinopolim translatum ad Carolum I. piæ memoriæ misso, et in Regia Bibliotheca adhuc asservato, tertius Maccabaicorum reliquis Veteris Testamenti libris subnectitur, et quidem sub hoc titulo, iisdem quibus totus liber literis, hoc est, uncialibus sic scripto ΜΑΚΚΑΒΑΙΩΝ ΛΟΓΟΣ Γ'. Quibus etiam suffragantur, non tantum editiones Veneta et Complutensis, sed et versio antiqua Syriaca, qua sic inscribitur, טוב ספרא רתלתא דמקביא, *Item liber tertius Maccabæorum.* Cum autem multa sint, quæ evincunt dictos Codices proximo saltem alterove post consessum Nicænum, si non eodem, seculo exaratos esse, veri prorsus dissimillimum est, ut dicti tres Maccabaici inter canonicos Veteris Testamenti libros in iisdem recenserentur,

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 21, p. 671.]

[Just. Bibl. Jur. Can. tom. ii. p. 601.]

Apud Euseb.
Hist. Eccles.
lib. vi. cap.
25, [p. 290.]

nisi ante illam Synodum in eorum censum alicubi relati fuissent. Quinetiam ipse Origenes, qui non tantum ante Concilium Nicænum, sed et iisdem, quibus nos Canones hosce collectos fuisse contendimus, diebus claruit, tres Maccabæorum reliquis Sacræ Scripturæ libris non obscure subjungere videtur. Is enim in expositione primi Psalmi postquam viginti duos Veteris Testamenti libros juxta Hebræos recensuisset, protinus hæc addit, "Εξω δὲ τούτων ἐστὶ τὰ Μακκαβαϊκὰ, ἃπερ ἐπιγέγραπται Σαρβηθ σαρβανὲ ἔλ· quæ Valesius sic vertit, *Extra horum censum sunt libri Maccabæorum, qui inscribuntur Sarbeth sarbane el* (hoc est, שרביט סרבני אל, *sceptrum rebellium Dei*, vel etiam, שרביט שר בני אל, *sceptrum principis filiorum Dei*.) Hic enim cum juxta Valesianam etiam versionem vox βιβλία intelligatur, τὰ Μακκαβαϊκὰ, ut pluralis, non dualis numeri, tres minimum Maccabæorum libros designare necesse est. Verum et quomodocunque ista Origenis verba intelligantur, aperte saltem ex iis, ut etiam ex Tertulliani, Clementis Alexandrini, aliorumque ejusdem ætatis eos passim laudantium, scriptis conficitur, aliquot Maccabæorum libros viginti duobus Hebraicis tunc temporis subjunctos esse, et nonnullis quidem in locis duos, in aliis tres: nam Canon Scripturæ nondum exacte determinatus erat, sed hi plures, illi pauciores libros canonicos numerabant; adeo ut, inter omnes vetustiores rerum ecclesiasticarum scriptores, vix duos in eodem canonicorum librorum numero consentientes reperias. Quocirca hoc argumentum contra Dallæum potius retorqueri possit. Hinc enim constat hos Canones prius conditos fuisse, quam exactus canonicorum librorum numerus constitutus est; imo priusquam Maccabaicorum errores detecti fuerant; hoc est, ante Synodum Nicænam. Omnes enim Græci Patres qui post istam Synodum claruerunt, Athanasius, Amphilocheus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Concilii Laodicensis Antistites, etc. canonicos Sacræ Scripturæ libros censentes, Maccabaicos prorsus omittunt, ut quos revera Apocryphos esse istis temporibus clarissime constabat. Adeo ut extra dubium sit, hunc Canonem, quo tres libri Maccabaici inter canonicos referuntur, ante dictos Patres, ac idcirco ante Nicænam quoque Synodum constitutum fuisse, siquidem deinceps tanquam Apocryphi a Græcis Patribus rejecti sunt.

XVII. Deinde quod ad octo Clementinarum Constitutionum volumina spectat, Dallæus ex iis contra antiquitatem horum Canonum perinde disputat, ac si quæ hodie sub Apostolicarum Constitutionum nomine circumferuntur, eædem cum illis essent, quibus istud nomen hoc Apostolico Canone scriptum est. Verum luce clarius est, et ipse etiam Dallæus agnoscit probatque, hodiernas Constitutiones a Turriano editas longe alias esse, ac diversas ab iis quæ Epiphanius temporibus exstabant; nam plurima loca ab Epiphano ex Apostolorum Constitutionibus laudata, in vulgatis nullibi inveniuntur: et sæpe etiam Epiphaniæ contraria ac Turrianiæ Constitutiones præcipiunt, ut, ante Dallæum, clarissimi viri, Dionysius Petavius¹ et Jacobus Armachanus, observarunt. Ultimus autem Apostolicorum Canon haud dubie non de hodiernis sed antiquissimis illis Constitutionibus intelligendus est, quæ ab Epiphano citantur.² Has

De Pseud. Apost. lib. i. cap. 2, [pp. 32-50.]

autem ipso etiam Epiphano longe vetustiores esse, exinde patet, quod etiamsi ab hæreticis ad suas adstruendas opiniones sæpe productæ fuerint, Epiphanius tamen eas nullibi novitatis, aut imposturæ arguit, sed e contra librum istum οὐκ ἀδόκιμον, non improbandum esse agnoscit, mox etiam in ejus laudes hæc subjiciens, Πᾶσα γὰρ ἐν αὐτῇ κανονικῇ τάξει ἐμφέρεται, καὶ οὐδὲν παρακεχαραγμένον τῆς πίστεως, (οὐδὲ τῆς ὁμολογίας,) οὐδὲ τῆς ἐκκλησιαστικῆς διοικήσεως, καὶ κανόνος, καὶ πίστεως.

[Proleg. ad Ign. cap. 7. Cot. Pat. Ap. tom. ii. par. ii. pp. 198-200.]

Epiph. Hær. lxx. [Audian. num. 10. Op. tom. i. p. 822, A, B.]

Et propterea testimonia ab Audianis ex dicto Constitutionum libro citata non rejicit protinus ut invalida, sed verba aliter interpretatur.³ Quod firmo nobis est argumento, Constitutiones illas ab Epiphano laudatas summæ tunc temporis in Ecclesia auctoritatis fuisse; usque adeo ut non mirum cuiquam videatur, quod Canone ante dicto canonicis Scripturis adjectæ sint. Quod et plenius adhuc ex eodem Epiphanius loco confirmatur, ut quo hæc etiam occurrunt, Εἰς τοῦτο μὲν οἱ αὐτοὶ Αὐδιανοὶ παραφέρουσι τὴν τῶν Ἀποστόλων διάταξιν, οἷσαν μὲν τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, ἀλλ' οὐκ ἀδόκιμον, Audiani vero

[Ibid.]

[Ibid. p. 822, A.]

¹ [In Animad. ad Hær. lxx. Audian. num. 10. Epiph. Op. tom. ii. par. ii. pp. 290, 291.]

² Hær. xlv. [Severian. Op. tom. i. p. 390, A;] lxx. [Audian. num. 10. Op. tom. i. p. 822, A;] lxxv. [Aerian. num. 6. Op. tom. i. p. 910, B;]

lxxx. [Massal. num. 7. Op. tom. i. p. 1073, C,] et passim alibi.

³ [Τὸ δὲ ῥητὸν, ἀφ' οὗ λαμβάνοντες περὶ τοῦ Πάσχα κακῶς παρερμηνεύουσιν οἱ προσηγμένοι, καὶ ἀγνοοῦντες ἰτίως ὑπολαμβάνουσιν. — Epiph. Hær. lxx. Audian. num. 10. Op. tom. i. p. 822, B.]

ad institutum suum quandam ex Apostolorum Constitutione auctoritatem accommodant: qui liber tametsi dubiæ apud multos fidei sit, non est tamen improbandus. Apud multos itaque dubiæ erat fidei, non apud omnes; et idcirco nec Epiphanius temporibus deerant, qui has Constitutiones vere Apostolicas, uti vocabantur, esse credebant. Hoc autem a majoribus suis traditum proculdubio acceperant, quos idem censisse nemo inficias eat. At Epiphanius eodem scripsit seculo quo celebrata est Nicææ Synodus: unde necessario consequitur, aliquos etiam ante Synodum has Constitutiones ipsis Apostolis, quorum nomen præ se ferebant, acceptas retulisse; a quibus propterea non mirum est si inter reliqua Apostolorum scripta recensitæ sunt: quo quidem jure non opus est hic disputemus; satis enim causæ nostræ consulitur, si Constitutiones dicto Canone inter canonicos libros numeratæ ante Synodum Nicænam Apostolicæ auctoritatis ullibi habitæ fuerunt. Hinc enim clarissime colligitur, nihil ponderis argumento ex Constitutionibus petito inesse, siquidem ante dictum Concilium hæ Constitutiones non existerunt tantummodo, sed ipsis etiam Apostolis a nonnullis adscriptæ sunt, a quibus in Novi Testamenti Canonem referri poterant, et quidem longe facilius quam postea, cum earum auctoritas paulatim decrescere cœpit.

XVIII. Hic autem mirari subit, qua tandem ratione Dallæus Clementinarum tantum Constitutionum hic meminit, non item duarum Clementis Epistolarum ad Corinthios, quippe quæ in Novi Testamenti Canonem hic referuntur, æque ac Constitutiones Apostolicæ. Sed caute sibi causæque a se susceptæ hic egit doctissimus vir, quem latere non potuit sententiam suam ex dictis Epistolis everti potius quam confirmari. Eusebius enim testatur primam Clementis Epistolam ad Corinthios, non suis tantum temporibus, sed et diu antea in plerisque Ecclesiis publice lectam fuisse, *Ταύτην δὲ καὶ ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις ἐπὶ τοῦ κοινοῦ δεδημοσιευμένην πάλαι τε καὶ καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς ἔγνωμεν.* In autem ipsis Concilii Nicæni temporibus claruit. Quocirca ante dictum Concilium hæc Epistola, non secus ac canonici libri, in plerisque Ecclesiis publice lecta est, a quibus propterea inter canonicos libros facile numerari potuit. Ut autem quinto demum, eoque adulto, post Christum Incarnatum seculo, quo Dallæus

Euseb. Hist.
Eccl. lib. iii.
cap. 16, [p.
108.]

hos Canones confictos asserit, cum omnes Ecclesiæ publica hujus Epistolæ lectione diu supersederant, et Canon Scripturæ sine illa ubique constitutus est, ut istis, inquam, diebus hæc Epistola in canonicorum librorum censum relata esset, omnem nobis fidem superare videtur. Adhæc altera Clementis ad Corinthios Epistola, ipsis etiam Eusebii et D. Hieronymi temporibus non perinde recepta est ac prior, sed reprobata. Et idcirco ineptissimus sit impostor necesse est, et immane hominis monstrum, qui postea librum ab omnibus reprobatum in canonicorum numerum obtrudere ausus esset. Sane qui mentis compos est, et nullo partium studio distractus, vix citius hanc Epistolam in sacrum Scripturæ Canonem hic relatam legat, quam exinde protinus concludet, hos Canones istis diebus collectos esse, quibus hæc Epistola nondum spuria et supposititia esse deprehenderetur, sed genuinus et legitimus haberetur viri illius Apostolici Clementis Romani partus: hoc est, longe antequam Patres Nicææ convocati sunt: nimirum secundo tertiove currente seculo, quo canonici Novi Testamenti libri nondum ubique determinati erant, sed a nonnullis Ecclesiis plures, ab aliis pauciores sub isto nomine recepti sunt. Quo factum est, ut in dicto Canone nonnulli libri pro canonicis habeantur, qui ab aliis rejecti sunt, viz. tres Maccabaici, Constitutiones Apostolicæ, et duæ Clementis Epistolæ; et e contra, alii hic rejiciuntur, qui ab aliis pro canonicis habiti fuerunt, viz. Epistola S. Judæ, et Apocalypsis D. Joannis. Quod tamen antiquitati horum Canonum nequaquam adversatur, sed eam potius egregie confirmat. Cæterum nec tacendum est, dictas Clementis Epistolas in vetustissimo illo Codice Regio supra commemorato, ex quo Græce primum editæ sunt, ambas una cum Novi Fœderis libris eadem perantiqua manu exaratas et compactas esse. Hinc enim clare saltem elucescit, olim non defuisse, qui has Epistolas canonicis Novi Testamenti libris subjunxerunt, juxta quod supradicto Canone constitutum est.

XIX. Hactenus expendimus quæ Dallæus, ex ipsa horum Canonum materia, contra veram ipsorum antiquitatem a nobis assertam opposuit. Superest, ut ea etiam discutiamus, quæ ex eorum forma objecit; juxta quam Albaspinæus hunc Codicem dicit, *Breviarium esse ac Epitomen ecclesiasticorum*

Euseb. Hist. Eccles. lib. iii. cap. 38, [p. 134.] Hieron. [de Viris Illust. cap. xv. Op. tom. ii. col. 839.]

[Albasp. Obs. lib. i. Obs. 13, pp. 87, 88.]

ante Nicænam Synodum apud Græcos decretorum. Nos eundem Codicem Canonum Ecclesiæ Primitivæ jure merito nuncupari posse affirmamus. Contra hanc sententiam Dallæus sic disputat: *Si res ita se haberet, omnino hanc syllogem Codici Canonum Ecclesiæ universalis ejus auctores inseruissent, imo primo Codicis loco posuissent, velut a viris Apostolicis exortum, et ipsa antiquissimi temporis vetustate venerabile monumentum.* Verum hanc objectionem æque facile est refellere ac recitare. Primo enim Codex Canonum Ecclesiæ universæ a Canonibus Nicænis incipit, nec quoslibet antea constitutos Canones complectitur, præter Ancyranos et Neocæsarienses, quos etiam a Concilio Nicæno confirmatos fuisse Acta Concilii Florentini sessione septima testantur. Cum auctori itaque dicti Codicis propositum fuerit eos solos Canones colligere, qui vel a Nicæna Synodo confirmati sunt, vel post eam constituti, limites sibi præscriptos transiliisset, si vetustiores hosce Canones multis antea annis sancitos interseruisset. Et præterea, hic Codex Canonum Ecclesiæ primitivæ diu in Ecclesia seorsim jam obtinuerat, ac proinde non opus erat, ut Canones in eo comprehensi de novo colligerentur, multo minus ut antiquus iste Codex novo conjungeretur, qui non eo nomine compositus fuit, ut antiquam, sed tantum ut præsentem Ecclesiæ disciplinam exhiberet, eam nimirum, quæ a Conciliis nuper celebratis constituta est. Quod etiam in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ observare licet, ut quo nec unum a decretis, quæ sub Cypriano aliisque vetustioribus Africæ Conciliis divulgata fuerant, continetur, (etiamsi juxta Dallæi argumentum ea omnia primo in loco ob venerabilem antiquitatem poni debuissent) sed ea tantum, quibus ecclesiastica disciplina iis, quibus collectus est iste Codex, diebus administrabatur. E quibus patet, quam frustra interroget Dallæus, quare Apostolici, æque ac Antiocheni Canones, Codici Canonum Ecclesiæ universæ non inserti sunt. Antiocheni enim ad præsentem Ecclesiæ statum pertinebant; non item Apostolici, qui Ecclesiæ continuis fere persecutionum procellis jactatæ, et ecclesiasticis quæ iis temporibus emergebant negotiis accommodati sunt.

XX. His itaque missis, ad alia doctissimi viri argumenta properemus. *Tum si quis, inquit, exstisset hujusmodi*

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 21, p. 672.]

[Cone. tom. xiii. col. 122, A.]

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 21, p.]

*Codex, cur nunquam eum diserte ac nominatim memorant Ancyrani, Nicæni, Neocæsarienses, Antiocheni, alique Patres? Respondeo; Primus Codex Canonum Ecclesiæ universæ collectus fuit, ut cuique notum est, ante Concilium Ephesinum; a quo tamen nuspian memoratur: et dic, sodes, hincce sequitur dictum Codicem tunc temporis non exstitisse, quod ab eo Concilio non laudatur? Deinde palam est ex iis, quæ supra diximus, Concilium provinciale C. P. anno Dom. CCCXCIV. habitum τῶς ἀποστολικῶς κανόνας diserte ac nominatim memorare. Quinetiam Constantinus Magnus, et Alexander Alexandrinus, et Rheginus Episcopus Cypri in Concilio Ephesino eos nominatim memorant, ut et alii etiam sub aliis nominibus, ut ante observatum est, quos inter Patres Nicæni ac Antiocheni recensentur; nam hos ipse etiam Dallæus alibi confitetur antiquas quasdam regulas sive Canones commemorasse a vetustioribus Synodis vel Episcopis constitutos, quique vel [De Pseud. lib. iii. cap. 8, p. 517.] *in una provincia, vel in pluribus, vel in omnibus observabantur*, ut ipse ait. Sed contendit, fateor, ibidem has regulas a Patribus Nicænis et Antiochenis commemoratas non nostros esse Canones Apostolicos, sed alios, nescio quos, nec ipse quidem statuit, sed tantum ait; *Facile enim, ut quivis videt*, [P. 518.] *fieri potest, ut his idem quod illis aliis, quas ex Nicæno Ancyranoque et Neocæsariensi Conciliis attulimus, acciderit, nimirum ut ea perierint vel Synodorum vel Patrum Acta atque Codices, ex quibus a veteribus citabantur. Quidni autem nos dicamus, fieri potest, ut non perierint? Vel potius, quidni vix fieri potest, ut perierint? Sane vix veri cuivis simile videatur, ut antiqui adeo ac venerandi Ecclesiæ Canones a tantis Patribus toties citati perirent: præcipue si verum est, quod ipse fatetur, eos, videlicet, vel in una provincia, vel in pluribus, vel in omnibus observatos fuisse. Cum autem Dallæus nihil aliud habuerit, quo hos Canones a Patribus Nicænis et Antiochenis commemoratos non fuisse probaret, nisi quod ‘fieri potest,’ ut alii essent Canones, sed perierint, et siquidem quæ ab illis citantur, in hisce Apostolicis Canonibus, et in nullis aliis, diserte continentur, nos pro concessio et comperto assumamus, hos eosdem esse Canones, qui a dictis Patribus commemorantur. Nec video qua tandem ratione quispiam in re tam antiqua pariter ac**

obscura majorem certitudinem, aut dilucidiora requirat argumenta.

[Dall. de
Pseud. lib. iii.
cap. 21, p.
673.]

XXI. Sed audiamus Dallæum interrogativum hoc argumentum ulterius sic prosequentem. *Cur, inquit, non interdum aliquem ex istius Codicis Canonibus, indicato ac nominato numero, sub quo in eo positus exstat, citarunt ac laudarunt? Verbi gratia, hoc modo, Decernit Canon Apostolorum primus, vel tricesimus, vel quinquagesimus, etc. Sicuti a Patribus Chalcedonensibus in Codice Ecclesiæ universalis usurpatum est, quo scilicet ejus Codicis Canonem quartum, octogesimum tertium, quartumque, et nonagesimum quintum, sextumque, his disertis numeris laudasse ac descripsisse nuper demonstravimus?* Interrogativo huic argumento nos id genus responsum reddemus. Dic enim, Si Codex Canonum Ecclesiæ universæ ante Concilium Ephesinum collectus fuit, (quod omnes fatentur) cur nec ab isto Concilio, nec ab alio quovis ante Chalcedonense, aliqui ex eo Canones indicato ac nominato numero citantur? Quid etiam si Patres Chalcedonenses dictum Codicem nusquam ita laudassent, hocce argumento esset, eum tunc temporis non exstitisse? Quid etiam si Acta Concilii Chalcedonensis periissent, istum quoque Codicem una periisse necesse est? Sane nec Concilium Chalcedonense supradictum Codicem Canonum Ecclesiæ universæ in Canonibus suis, sed tantum in Actis citat. Nihil autem a Conciliis Ancyrano, Neocæsariensi, Antiocheno, etc. hodie fere exstat, præter Canones, in quibus Canones Ecclesiæ primitivæ æque diserte citantur, ac Ecclesiæ universæ in Chalcedonensibus. Quod si Acta dictorum Conciliorum, non minus quam Chalcedonensis, etiamnum exstarent, in iis forsitan antiquissimum hunc Codicem indicato ac nominato Canonum numero laudatum inveniremus, non secus ac Canones Ecclesiæ universæ in Actis Chalcedonensibus.

[Ibid. pp.
673, 674.]

XXII. Ultimum suum argumentum, sed ejusdem generis, Dallæus his verbis exprimit, *Denique hunc Apostolicum Codicem (si is vere tum fuisset habitus pro breviario) quis Gelasium sapientissimum, ut ferunt, Antistitem, quis Episcopus Romani Concilii septuaginta, inter Apocrypha procul ab ecclesiasticis libris rejecturos fuisse crediderit?* Respondeo primo, Incertum est, utrum hæc verba, *Liber Canonum*

Apostolorum Apocryphus, in Gelasii decreto, ut ab ipso et LXX. Episcopis edito, lecta fuerit, necne. Namque Hincmarus Remensis Gelasium in dicto decreto, *De his Apostolorum Canonibus penitus tacuisse, nec inter Apocrypha eos misisse*, scribit, quod et antea observatum est. Sed deinde, si concedamus hunc librum inter Apocryphos a Gelasio rejectum esse, nihil exinde conficietur, præterquam eundem a Romana Ecclesia tunc temporis non receptum fuisse, et Apostolorum nomen ei falso impositum. Ut recte enim observat vir Cl. Petrus de Marca, *Variæ sunt classes Apocryphorum in notitia Gelasii, ut observarunt viri eruditi, cum non tantum figmenta hæreticorum veniant in hunc censum, sed etiam opuscula tractatorum, in quibus sunt nævi quidam. Apocryphus ergo dicetur, juxta mentem Gelasii, liber horum Canonum, quod in judiciis non obtineat auctoritatem, et Apostolorum nomen falso præferat*. Et ipse quidem nullus dubito, nec cuivis, ut opinor, dubium esse potest, quin, si Apostolorum nomen hisce Canonibus nunquam inscriptum fuisset, sed ecclesiastici tantum Canones, ut olim, sic perpetuo appellati essent, nec Gelasius eos inter Apocryphos recensisset, nec Dallæus venerandam eorum antiquitatem tot verbis unquam oppugnasset. Quam invalidis autem hac in re, argumentis dicam an interrogatiunculis usus est, abunde, ni fallor, e præmissis patet; usque adeo ut satis mirari nequeam, quo tandem fato talia tanto viro exciderunt.

XXIII. Alia, fateor, nonnulla Dallæus eodem in capite de hisce Canonibus congressit, quæ tamen non ad nostram sed Albaspinæi sententiam spectant; quibus itaque jure prætermissis, unum adhuc superesse videtur, ut ipsius videlicet Dallæi de tempore, quo collecti sunt hi Canones, sententiam paucis expendamus. Hanc ipse profert eodem capite, his verbis conceptam: *Denique si de tempore quærat, quo pseudapostolica illa et Apocrypha Canonum collectio facta et edita primum fuerit, apparet ex iis, quæ hactenus disputata sunt, eam neque ante quintum seculum adultum innotuisse, et quinto exeunte jam exstitisse, publicarique cæptam esse*. Priorem hujus sententiæ suæ partem, qua hanc collectionem non ante quintum seculum adultum innotuisse statuit, non probare tantum, sed et demonstrare sibi videtur. Dicit enim: *Prius demonstrat universale omnium, qui ante annum*

Opusc.
[xxxiii. (lv.
cap.) adv.
Hinc. Laud.
cap. 24. Op.
tom. ii. p.
474.]

De Concord.
[Sacerd. et
Imp.] lib. iii.
cap. 2, sect. 7,
[p. 132.]

[Dall. de
Pseud. lib. iiii.
cap. 21.] p.
685.

[Ibid. pp.
685, 686.]

Dom. CCCCLI. vixerunt, de ea silentium; quod abunde supra demonstratum est. Neque enim credibile est nullam ejus mentionem, si exstisset, facturos fuisse Eusebium, Hieronymum, et alios illorum temporum eruditissimos scriptores, qui etiam ea, quæ Apocrypha judicabant, præcipue quæ Apostolis efficta erant, diligenter persequi, et refellere solent. Huic demonstrationi, ut vocat, multa occurrunt quæ opponi possunt. Summatim dicimus; Primo falsum esse, quod hic pro concessio sumit, omnes nimirum, qui ante annum Dom. CCCCLI. vixerunt, de hac collectione siluisse, multo magis eum hoc abunde demonstrasse, ut ex iis, quæ superius disputavimus, apparet. Deinde, si illud verum esset, minime probaret, nedum demonstraret hos Canones ante annum CCCCLI. non exstisse. Neque enim Eusebius, nec Hieronymus, nec alii, quos scimus, ejusdem ætatis cum utrovis scriptores, Canones Ancyranos aut Neocæsarienses commemorarunt, quos tamen ante dictum annum constitutos esse ac divulgatos, inter omnes convenit. Ultimo, etiamsi Eusebius, Hieronymus, aliique eruditissimi scriptores ea, quæ Apocrypha judicabant, præcipue quæ Apostolis afficta erant, diligenter persequi ac refellere consueti sunt; non tamen necesse est, ut de his etiam Canonibus meminerint. Nam nullus Turrianus, nullus Bovius adhuc exortus erat, qui eos ipsis Apostolis affingebat. Et quid illis opus erat opinionem oppugnare, quæ nullos adhuc propugnatores habebat? vel probare hos Canones Apostolis falso adscriptos esse, cum nemo illud assereret? Vel de iis omnino meminisse, cum jam in desuetudinem abiissent, et alii eorum loco, generalium Synodorum auctoritate, substituti fuissent?

XXIV. Posteriores sententiæ suæ partem, videlicet quod quinto demum exeunte seculo exstabat, et publicari cœpit, Dallæus sic probat, *Posterius vero ex Gelasii decreto an. Dom. CCCXCIV. facto patet, in quo scilicet ea collectio damnata est. Ergo paucis ante illud tempus annis, ab homine hæretico Græci generis, consarcinatam fuisse probabile est. En hominis astutiam, qui, ut hos Canones, una cum genuinis etiam Ignatii Epistolis, piperi et scombris devoveret, eos vix citius collectos esse quam damnatos asserit. Si idem autem Gelasii decretum, quod hic citat, debita, cum hæc*

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 21, p. 686.]

scriberet, diligentia consulisset, etiam Arnobii, Africani, Lactantii, et ipsius quoque Tertulliani opuscula in eo damnata invenisset. Ergone autem ea etiam paucis tantum ante illud tempus annis consarcinata fuisse probabile est? Sane si ingenue, et omni, ut par est, amoto præjudicio, hos Canones tractasset, eos potius ex hoc ipso Gelasii decreto multis ante illud tempus annis collectos fuisse asseruisset, utpote qui istis etiam diebus adeo vetusti erant, ut Canones Apostolorum appellati essent. Neque enim credibile est, ut quingentis propemodum post Apostolos annis ipsum eorum nomen libro alicui inscriberetur, qui non multis saltem ante illud tempus annis conscriptus fuerat.

XXV. Nec tantum infirma sunt, quibus suam hanc tueri sententiam Dallæus nititur, argumenta, verum et firmissimis refellitur. Enimvero hos Canones non ante quintum seculum, idque adultum, confictos fuisse sentit. At primo eos a Patribus, qui ante illud tempus, sive ante annum Dom. CCCCL., claruerunt, sæpius commemoratos esse superius ostendimus. Deinde quingentesimo plus minus anno Dionysius Exiguus eos a Græco in Latinum sermonem vertit, et quidem sub Apostolorum nomine; unde non conjicitur tantum, sed palam efficitur, Dionysium Exiguum a Dallæi opinione quam plurimum abhorruisse, Canonesque a se Latino idiomate donatos non nuper consarcinatos cum Dallæo censuisse, sed multis retro seculis constitutos. Si eos enim paucis tantum ante suam ætatem annis confictos fuisse judicasset, nec generalium a se collectis Synodorum Canonibus præponere, nedum Apostolorum nomen iis inscribere ausus esset. Ex eo autem, quod et hos aliis quibuscunque Canonibus præfigit, eosque Apostolicos etiam vocat, quid apertius esse potest, quam ipsum Dionysium, aliosque ejusdem ætatis, in ea fuisse sententia, quod hi Canones non ab recenti memoria, vel quinquaginta tantum ante illud tempus annis, sed aliquot potius seculis antea collecti fuerant; usque adeo ut nondum pro certo habebant, utrum ipsis Apostolis merito non adscriberentur. Sed regerat forsitan nonnemo, ipsum etiam Dionysium Exiguum in præfatione sua ad Stephanum dixisse, *plurimos hisce Canonibus* [Conc. tom. i. col. 1, B; et Just. Bib. Jur. Can. tom. i. p. 101.] *consensum non præbuisse facilem.* Fateor equidem. Sed ex eo quod *plurimos* dixit, satis apparet nonnullos etiam istis

temporibus facilem iis consensum præbuisse; quibus itaque persuasum erat eos ab ipsis etiam Apostolis, ut quorum nomen præ se ferebant, decretos esse. Quam facile autem fuisset hanc ipsorum animis opinionem eradicare, si, juxta Dallæi hariolationem, etiam hominum tunc viventium memoria a nescio quo impostore consarcinati fuissent. Sed digna sunt quæ etiam observentur proxima in eadem præfatione ejusdem Dionysii verba. *Quamvis, inquit, postea quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus adsumpta esse videantur.* Quin quod ad eos Pontifices hic respexit Dionysius, quorum ipse decreta collegerat, nemo ambigat. Hi erant Siricius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Celestinus, Leo, Gelasius, Anastasius; qui omnes, præter duos ultimos, ante tempus a Dallæo hisce Canonibus colligendis præstitutum ad sedem Romanam provecti sunt. Cum et hos igitur quædam e constitutis suis ex hisce Canonibus assumpsisse Dionysio visum est, necessario conficitur Dionysium saltem eos credidisse non tantum dictis Pontificibus vetustiores fuisse, sed et adeo authenticos ab iis habitos, ut sua etiam decreta ex iisdem assumerent.

[Conc. tom. i. col. 1, B; et Just. Bibl. Jur. Can. tom. i. p. 101.]

[Just. Bibl. Jur. Can. tom. i. pp. 183-248.]

XXVI. Adhæc, anno DXXVII. augustissimus ille Justinianus imperare cœpit: hic autem Novella VI. hos Canones laudare videtur. *Quod quidem, inquit, certe futurum credimus, si sacri illi Canones diligenter observentur, quos nunquam satis laudati, adorationeque digni, et qui Ipsum Filium Dei conspexerunt, illique ministrarunt, Apostoli nobis reliquerunt, ac sancti Patres custodierunt, et interpretati sunt.* Hic enim ipsos LXXXV. Canones Apostolicos, quos hodie habemus, intelligendos esse ipse etiam Dallæus fatetur. Si autem hi Canones, præcedente tantum seculo, eoque adulto, ab hæretico aliquo conficti fuissent, miror nullum tunc temporis Dallæum exstitisse, qui Imperatori aurem velleret, eumque certiolem faceret, Canones ab ipso laudatos, non inter antiqua, nedum Apostolica, decreta, sed inter nuperrime consarcinata hæreticorum figmenta recensendos esse. Nemo quidem hoc Imperatori suggestit; sed omnes contrarium, hos scilicet Canones adeo antiquos fuisse, ut ipsis etiam Apostolis attribuantur, vel saltem tantæ antiquitatis pariter ac auctoritatis, ut eos ipsi etiam *sancti Patres custodierint, ac interpretati fuerint.* Ubi obiter observare

[Vide Græcam versionem apud Just. Nov. vi. p. 22. Latina in Corp. Jur. Civ. tom. ii. p. 504, aliter se habet.]

De Pseud. lib. iii. cap. 2, p. 424.

licet, quantum hæc a Dallæi sententia distent. Justinianus enim hos Canones a sanctis Patribus custoditos fuisse tradit; Dallæus autem eos consarcinatos asserit ab hæreticis proxime antecedentis seculi, et quidem adulti, qui proinde nec sancti, nec Justiniani diebus Patres, multo minus sancti Patres dici meruerint. Ex eo autem quod Justinianus hos Canones a sanctis Patribus custoditos fuisse scribit, necessario consequitur communem fuisse istius seculi sententiam, eos nonnullis retro seculis custoditos fuisse, atque idcirco pluribus constitutos. Hæc autem sententia adeo firma fixaque Imperatoris præcordiis hæsit, ut hos etiam Canones in Nomocanonem a se confirmatum, et Epiphanio Patriarchæ C.P. commendatum retulerit, ut clarissime constat, non tantum ex Arabico istius Codicis interprete in Bodleiana nostra Bibliotheca asservato, sed etiam ex ipsa ejusdem Imperatoris Epistola, ex variis ipsius Novellis efformata, ad dictum Epiphanium, quæ in primo Nomocanonis a Jo. Antiocheni elaborati titulo exstat, et ad quam supradictus Interpres respexisse videtur. In ista enim Epistola Imperator Nomocanonem constituens, omnes a quatuor primis Œcumenicis Conciliis vel constitutos, vel confirmatos Canones obtinere jubet. Priusquam autem synodales Canones confirmat, de Apostolicis eadem, quæ antea ex Novella VI. citavimus, dixerat; videlicet, Τοῦτο δὲ εἶσεσθαι πιστεύομεν, εἴπερ ἡ τῶν ἱερῶν κανόνων παρατήρησις φυλάττοιο, ἦν οἱ τε δικαίως ὑμνούμενοι, καὶ προσκυνητοὶ, καὶ αὐτοπταὶ τοῦ θεοῦ λόγου παραδεδώκασιν Ἀπόστολοι, καὶ ἅγιοι πατέρες ἐφυλαξάν τε καὶ ὑφηγήσαντο. Ubi etiam observetur velim Imperatorem Canones Apostolicos commemorare quidem, non item confirmare, propterea forsitan quod istis temporibus pro certo habebatur eos ab ipsis Apostolis constitutos fuisse, proinde Imperiali confirmatione non indigere. Eos autem tunc dierum in Nomocanonem relatos esse exinde etiam liquet, quod Joannes presbyter Antiochenus, ab eodem Justiniano ad thronum C.P. promotus, qui totum Nomocanonem in quinquaginta titulos congegessit, hos Apostolicos, et quidem LXXXV., reliquis synodalibus interserit; quod proculdubio nunquam fecisset, nisi pars Nomocanonis prius constituti essent. Quis autem Justinianum illustrissimum Imperatorem, quis doctissimos istos viros, quos ille ad ecclesiasticas pariter ac civiles colligendas leges undique

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. p.
604.]

[E. g. Tit. v.
Can. Ap. lv.
et Tit. vi.
Can. Ap.
lxxvi.]

convocaverat, quis denique Joannem Constantinopolitanum, reliquosque omnes eruditissimos Græcarum ecclesiarum Antistites, adeo vecordes, deliros, insulsos, omnium rerum ecclesiasticarum imperitos, ac negligentes fuisse, nisi unicus forsitan Dallæus, opinetur, ut Canones hosce, et quidem sub Apostolorum titulo, in ecclesiasticum suum Nomocanonem referri, et ab omnibus observari, non permetterent tantum, sed etiam præciperent, nisi certissimum illis constitisset, eos non nudiustertius, aut præcedente tantum seculo, ut hariolatur Dallæus, consarcinatos fuisse, sed tanta antiquitate venerabiles, ut si non ab ipsis Apostolis, quorum iis nomen inscriptum est, a viris saltem Apostolicis, secundo tertiove post Christum Incarnatum seculo, constituti summo jure censerentur.

XXVII. Re igitur in utramque partem perpensa, firma manet constansque illa sententia, quæ hos Canones nec ipsis cum Turriano Apostolis adscribit, nec cum Dallæo quinto demum, eoque adulto, post Christum natum seculo ab impostore, nescio quo, consarcinatos fuisse hariolatur, sed medium duas inter istas extremas tenens opiniones, eos secundo exeunte, tertiove nondum adulto seculo a primitivis Synodis constitutos, et mox etiam in corpus istud, quod jam sub manibus habemus, collectos (etiamsi nonnullis in locis postea interpolatos) fuisse statuit. Quisnam autem eos primus collegit, nihil statuere, nihil definire audeo. Si quis tamen conjecturis locus concedatur, suspicor quidem Clementem Alexandrinum tam Canonibus hisce, quam Constitutionibus, Apostolicis vulgo dictis, colligendis operam dedisse. Quibus autem conjecturis ad hoc suspicandum ductus fui, in Annotationibus ad ultimum horum Canonum indicatur.⁴

⁴ [“Cum hæc [δι' ἰμοῦ Κλήμεντος] constans ac perpetua sit in omnibus MSS. hujus loci [Can. Ap. LXXXV.] lectio, etiamsi exinde affirmare non ausim, conjicere tamen liceat, eundem fuisse, qui Canones hosce, ac qui Constitutiones Apostolicas collegit, et quidem eum Clementem nuncupatum fuisse; quem tamen alium esse ab Episcopo Romano, qui ad Corinthios

scripsit, exinde liquet, quod verbis proxime antecedentibus, ubi Clementis Epistolæ commemorantur, non dicitur ἰμοῦ Κλήμεντος, sed in genere, sine adjecto pronomine, Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. At hic, ubi de Constitutionibus agitur, pronomem etiam præficitur, καὶ αἱ διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις δι' ἰμοῦ Κλήμεντος. Si idem enim fuisset Clemens, qui Constitutiones composuit, ac

qui Epistolas, his proculdubio, non minus quam illis, pronomen istud *ἡμῶν* adjectum fuisset. Adeo ut, quicumque demum ille fuit, qui Canones hosce collegit, Constitutiones quidem a se, Epistolas autem ab alio Clemente conscriptas fuisse, perspicue satis hic ostendat. Quisnam hic Clemens alius a Romano fuerit, non facile est definire, ac proinde hoc aliis in medio relinquendum censeo. Ipse autem conjectura interim ad suspicandum ducor, Clementem Alexandrinum tam Canonibus hisce, quam Constitutionibus, Apostolicis vulgo dictis, colligendis operam dedisse. Hæc conjectura ut probabilis saltem et veri non dissimilis cuiquam videatur, rationes, quibus fundatur, paucis aperiemus. Quod primo itaque ad Canones spectat, Eusebius dictum Clementem Alexandrinum librum scripsisse testatur, cui titulus fuit, *Κανὼν ἐκκλησιαστικὸς, ἢ πρὸς τοὺς Ἰουδαίζοντας.* (Euseb. Hist. Eccles. lib. vi. cap. 13.) [pp. 271, 272.] Sic et D. Hieronymus eundem scripsisse refert, *De Canonibus ecclesiasticis, et adversum eos qui Judæorum sequuntur errorem.* (Hieron.) [de Viris Illus. cap. xxxviii. Op. tom. ii. coll. 863, 865.] Adhæc Photius inter libros ejusdem Clementis unum recenset, *πρὸς κανόνων ἐκκλησιαστικῶν.* (Phot. Bibl. cap. cxi.) [tom. i. p. 89.] At Canones hosce, qui jam Apostolici vocantur, ecclesiasticos olim dictos fuisse in præfatione ex veterum scriptorum monumentis palam fecimus; et in iis etiam quamplurima contra Judæos decernuntur. Ut credibilis sit conjectura, in dicto Clementis libro ecclesiasticos hosce Canones

primo collectos fuisse et divulgatos. Porro Eusebius quoque refert eundem Clementem Alexandrinum, in libro, quem de Pascha composuit, asseruisse, se a familiaribus suis coactum fuisse, ut traditiones, quas ab antiquioribus presbyteris acceperat, scriptas posteris mandaret. *Καὶ ἐν τῷ λόγῳ δι' αὐτοῦ τῷ περὶ τοῦ Πάσχα ἐκβικισθῆναι ὁμολόγηται πρὸς τῶν ἱταίων ἀς ἔτυχε παρὰ τῶν ἀρχαίων πρεσβυτέρων ἀκηκοῦς παραδόσεις, γραφῆ τοῖς μετὰ ταῦτα παραδοῦναι.* (Euseb. Hist. Eccl. lib. vi. cap. 13.) [p. 272.] Has traditiones a Clemente collectas easdem esse suspicor, quæ *διαταγαὶ* sive *διατάξεις* nuncupatæ sunt, quas quidem nihil aliud esse quam certam traditionum collectionem totus earum contextus arguit, et Epiphanius asserere videtur. (Hær. lxxv. [Aerian.] num. 6.) [Op. tom. i. p. 910, C.] Apostolorum autem titulo propterea insignitæ videntur, quod ipsis Apostolis per continuam traditionem acceptæ referantur. Clemens porro eas, non tantum ore tenus, sed etiam ex antiquiorum, qui propius ad Apostolorum tempora vixerunt, scriptis excerpserit, videlicet, ex Clementis, Polycarpi, et Ignatii Epistolis. Et quidem tanta est affinitas inter Constitutiones hasce et dictas Ignatii Epistolas, ut Franciscus Turrianus et Carolus Bovius in proœmiis suis ad dictas Constitutiones a se editas, exinde contendant Constitutiones Apostolicas ab ipso Ignatio lectas fuisse.¹ Cum ex ipsis autem Constitutionibus constet, eas post Ignatii tempora fuisse scriptas, earum potius consarcinatorem Ignatii Epistolas legisse merito pronunciemus. Et quidem si ipsæ Constitutiones, quas

¹ [Ὁ δὲ θεοφόρος Ἰγνάτιος καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς αὐτοῦ ἐπιστολαῖς οὐκ ὀλίγα ἐκ τῶν διατάξεων εὐρίσκειται παρεληφώς, οὐ μόνον κατὰ τὸν νοῦν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς λέξεις.—Turriani Proleg. in Const. Ap.]

“Is (Ignatius) Institutiones Clementis ita est imitatus, ut non solum earum dogmata atque præcepta expresserit, sed etiam ex iis sententias totidem verbis exscriptas transtulerit, easdem figuras, idem dicendi genus servaverit, easdem rationes in suis sententiis confirmandis, atque in alienis refutandis attulerit.” —Bovius, in Præf. ad Const. Ap. Venet. 1563.]

a Clemente Alexandrino ex traditionibus, tam ἀγράφους, quam ἰγγράφους collectas fuisse conjiciamus, hodie exstant, nullus dubito, quin hæc nostra conjectura vero adhuc similior videretur. Enimvero quæ nunc dierum in octo libris distinctæ circumferuntur, adeo sunt corruptæ ac interpolatæ, ut ab iis, quæ olim exstiterunt, quasque Epiphanius sæpe laudat, omnimodo diversæ videantur; sententiæ enim, quas Epiphanius ex Apostolorum Constitutionibus citat, in vulgatis vel nusquam reperiuntur, vel aliter quam ab eo citantur. Nonnunquam etiam et contrariæ leguntur, ut clarissimus noster Jacobus Armachanus fuse probavit, in dissertatione de Ignatii et Polycarpi Epistolis, capp. vii. viii. ix. [Cot. Pat. Ap. tom. ii. par. 2, pp. 198–205.] Et propterea Dionysius Petavius etiam confidenter asserit, *aliud fuisse Constitutionum genus, quam quibus hodie Clementis nomen inscribitur.* (Petav. in Animad. ad Epiph. Hær. lxx. [num. 10, Epiph. Op. tom. ii. par. 2,] p. 291.) Verum, ut ad alia properemus, tota hæc nostra conjectura huc summatim redit; Clemens Alexandrinus amicorum precibus impulsus traditiones huc et illuc dispersas ex antiquorum presbyterorum sive episcoporum, defunctorum quidem scriptis, et adhuc viventium sermonibus, collegit, et in unum corpus concessit, et διαταγὰς, sive διατάξεις τῶν Ἀποστόλων idcirco cognominavit, quod ab ipsis Apostolis primo traditas fuisse crederentur; quo factum est, ut posterius, ambiguo Clementis nomine de-

cepti, Clementi Romano eas attribuerent; illi nimirum, cujus duæ Epistolæ ad Corinthios illis diebus, nonnullis præsertim in locis, publice lectæ, et inter canonicas Scripturas recensitæ videntur. Cum autem Clemens Alexandrinus ecclesiasticos etiam Canones in variis Conciliis antea celebratis collegisset, ultimo eorum, sive præsentis, non tantum duas illas Epistolas a Clemente Romano conscriptas, sed et has Constitutiones a se congestas, et pro Apostolicis vulgo habitas, Concilii forsitan alicujus consensu, præcedenti canonicorum Librorum catalogo subjungebat. Ut autem sese ab altero Clemente distingueret, hac loquendi formula usus est; Κλήμειςτος ἐπιστολαὶ δύο· καὶ αἱ διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις δι' ἡμοῦ Κλήμειςτος. Et quidem, etiamsi hujus conjecturæ veritatem aliis relinquo examinandam, ipse nihilominus addam, quod, omnibus in utramque partem propensis, nihil adhuc invenire potui, quod eam incredibilem facit; sed potius stylus, quo scripsit, ætas, qua claruit, et argumenta, quæ in aliis ipsius operibus, in Pædagogo præsertim, Clemens Alexandrinus tractavit, me tantum non inducunt, ut credam, eum tam Canonum horum, quam Constitutionum, quæ Apostolicæ vulgo dicuntur, collectorem fuisse, et ut in eadem persistam opinione, usque dum alii verisimiliorem protulerint."—Bev. Annot. ad Can. Ap. lxxxv.; Annot. ad Pan. Can. p. 40, tom. ii. ad fin.]

DE

LINGUARUM ORIENTALIUM

PRÆSTANTIA, NECESSITATE, ET UTILITATE,

QUAM ET THEOLOGIS PRÆSTANT ET PHILOSOPHIS.

Cum relictis paulisper mundi illecebris, veram ipsius naturam, uti a Sapienti in physicis describitur, meram, viz. vanitatem animo volutarem, supra suprema ipsius cacumina, superbe etiamsi eminentia, usque in mundum superiorem memet elevatum ire contendo. Atque hoc idcirco quia mundum hunc sublunarem ita aspicere ut aspectum despiciat intimis præcordiis efflagitanti, inter alia et hoc memet semper persuasum habui non minimo futurum adminiculo, si in cœlestem illam beatarum animarum gloria splendentium et gaudio triumphantium choream sese supponat admissum. Nec præceps persuasio, sed et ipsa ratione suffraganti. Quis enim Divinis illis vere et continuo rutilantibus æterni solis circumcinctus radiis, apparentibus tantummodo umbratilis hujusce terræ gaudiis capiatur? Nec rationi et ipsa experientia refragatur. Huc enim mihi (quantum conceditur) pernicipibus animi alis evecto, et parvulum hujusce terrulæ globulum de ipso cœlo fastidioso oculo suspicienti, nunc terra hæc tanquam monticula, et incolæ ipsius tanquam tot formiculæ apparent irrequietæ circa illam tumultuantes: nunc autem, homines præsertim quotquot intra præcinctos ipsius limites continentur, tanquam tot miseri videntur pisciculi de proprio extracti elemento. Nec sane ultima hæc vana et inanis est status humani umbra. Ad pisciculos enim istiusmodi, ad ripas illas quas aqua non ita pridem ipsorum propria lambit alluitque jam jacentes, oculos obsecro convertas. Ecce quam caudas agitant, corpora huc et illuc

motant, hinc et inde desultantes, quasi in primum et proprium eorum habitaculum inhiarent, quum nec aquam quam haberent definire nec viam quam tenerent describere valeant. Irritos hujusmodi piscium intuearis conatus, et inanes hominum relegas labores. Hi enim fallaci dæmonis esca de felici quo creabantur allecti statu, omnes jam intendunt nervos, omnes impendunt nisus, sursum et deorsum cursitantes, ut primævo statui denuo redderentur, cum interim et naturam istius status et viam eo tendentem penitus ignorant.

Tempus erat, ingenue fateor, quo quicquid intellectus perciperet, verum, et quicquid voluntas percuperet, bonum erat: imo et tempus erat, quo nihil ad ultimam et animæ et corporis felicitatem perficiendam excogitari potuit, quod in utrumque non accumulatum. Splendidus autem hic primus felicitatis dies oh quam cito in occasum vergit, et tenebris sepelitur! Ut homo enim non citius vivit quam edit, sic et non citius edit quam moritur; non citius malum ederit quam ipse malus evaserit. Adeo ut ille non nostrum ad instar tunc temporis edendo vitam conservavit, sed mortem acquisivit. Vita ideo deperditur, et pallida mors omnes animæ facultates omniaque corporis membra protinus invadit. Intellectus spissitudine obumbratur, voluntas perversitate corrumpitur, affectiones in irregularitatem et inordinationem pertrahuntur, corpus ad matrem terram continuo avocatur, et totum illud gloriosum felicitatis lumen penitus extinguitur. Et hunc sane in modum omnibus illis bonis donisque præclarissimis, quibus, tanquam naturali satellitio, in mundum stipati prodimus, ut non citius nati quam donati, sic et non citius lapsi quam orbatu fuimus. Nec hoc tamen omne; felicitatem enim illam non tantum non habemus, sed et etiam non videmus. Felices fuisse (quod miserum est) hoc cognoscimus; at quænam et qualis erat hæc felicitas, hoc non cognoscimus. Nec et hoc adhuc totum: sed quod majus, non tantum fruitione et cognitione felicitatis primævæ spoliatur, sed et circa viam eo tendentem nos in biviiis et triviis (proh dolor!) hæsitamus. Atque hinc est, quod nescii quo nos jam convertamus ad has et illas miseri divagamur creaturas: his amissam querimus, et in illis amissam quærimus felicitatem. Ex nullis autem harum

aliquid solaminis vel certitudinis aliquid de amissa felicitate expromitur, omnes autem eandem modulantur cantilenam, לֹא בִי־הָיִי, *Non est in me.*

Job. xxviii.
14.

Ne videar autem ὑπὲρ τὰ ἰσκαμμένα πηδᾶν, et primi propositi transilire limites, prætermisissis aliis quibuscunque infortuniis quibus homo lapsus e vestigio implicatus fuerit, quid intellectui, nobilissimæ illi animæ facultati, præsertim accidit, impræsentiarum solummodo attendemus. Intellectus ideo, qui tanta plenitudine, rectitudine, et claritate non ita pridem floruit, jam omnibus miserrime denudatur. Dum homo enim vetitum fructum sensibus indulserit, intellectum spissis ignorantiae tenebris involutum dederit; adeo ut arborem scientiæ degustando (quicquid ipse sibi, aut potius Diabolus illi promiserat) hoc tantum scivit, quod antea non scivit, quod scientiam primævam amiserat et jam nihil scire potuit. Hinc, hinc est, quod in qualibet scientia attingenda, in qualibet veritate investiganda tam misere hallucinamur. Hinc est, quod etiam ea quæ multo studio et labore nobismetipsis tandem videmur scire, revera tamen penitus nescimus. Adeo ut nobis æqua et certa judicii lance jam privatis omnia in rebus humanis dubia, perplexa, incerta, suspensa, magisque verisimilia quam vera sunt. Et lippientes et caligantes nostræ naturæ oculos omnino fugit, quid alba veritatis creta, quid nigro falsitatis carbone notatur: nec videre possumus quid pro vero, quid pro falso est admittendum. Quid vero? nonne ut subtilissimus ille omnium nostræ ætatis philosophorum Coryphæus Cartesius egregie disputaverit, *Quicquid clare et distincte percipitur verum est?* Adeoque nonne propria nostra rerum perceptio sit justa satis et æqua statera, ad quam omnia vocentur, et qua expendantur et trutinentur? Esto: Fateor: Eousque tamen processerit naturæ nostræ corruptela et depravatio, ut etiam circa ea quæ percipimus adhuc in tenebris latitamus, pro certo nescientes quando aliquid clare et distincte percipimus. Quid enim? ipso etiam concedente, *de omnibus est dubitandum*, adeoque et de hac nostra perceptione, viz. an clara sit et distincta necne: nec infirmiori quam de aliis subjectis fundamento; utpote multi se res clare et distincte percepisse autumarunt, dum interim vana et inania somniarunt. Imo et nosmetipsos etiamsi claram

[Princip.
Philos. par. I.
sect. 43-45,
pp. 10, 11.
Amst. 1664.]

[Ibid. sect. I.
p. 1.]

et distinctam habuisse perceptionem aliquando putavimus, sæpissime tamen postea deceptos deprehendimus. Ubi ideo sistendum est? Ubi dubitatio hujusmodi est deponenda et actus judicii exercendus? viz. nunquam donec perceptio nostra claritate et distinctione donatur, aliter enim frustra dubitatur. Quapropter necesse est, ut clare et distincte percipiamus primam perceptionem esse claram et distinctam, prius quam de re percepta aliquid est statuendum. Quid ideo? vel judicii actus semper est suspendendus, et nunquam aliquid vel pro vero vel pro falso est admittendum; vel oportet habeamus claram et distinctam perceptionem claritatis et distinctionis prioris perceptionis. At quomodo secundam hanc perceptionem, per quam prima examinatur, esse claram et distinctam cognoscamus, nisi habeamus tertiam, eamque claram et distinctam perceptionem claritatis et distinctionis secundæ perceptionis? Adeoque prima perceptio per secundam, secunda per tertiam, tertia per quartam est examinanda, et sic perceptiones nostræ in infinitum producentur, et veritas nunquam attingetur.

Et hunc sane in modum incerta et lubrica nostra continuo nutat sententia, et licet forte fortuito veritatem cognoscamus, veritatem tamen esse non cognoscimus. Atque hinc est, quod illud, quod jam comprobamus et amplectimur, statim respuimus et repudiamus. Et nemo est, qui, etiamsi de omni philosophia ab ipso superata gloriatur, tamen non expertus est, quomodo contrariis et repugnantibus sæpissime jactitetur, æstuet, fluctuetur. Nec aliud quidem expectari potest, quin, si solis corruptæ naturæ viribus annitamur, ad sacros incorruptæ veritatis recessus nunquam penetremus.

Perplura de pendula humanarum scientiarum incertitudine, et de misera caligantium naturæ oculorum lippitudine adderentur, ut et quomodo non tantum in logicis, ethicis, physicis, metaphysicis, aliisque istiusmodi artibus et scientiis, sed etiam in ipsis mathematicis demonstrationibus, quæ tanta a plerisque indutæ statuuntur claritate et certitudine, quamplurimi Cimmeriis immersi tenebris miseri oberrarunt vagabundi. Hæc autem huic loco non ita quadrarent, et paucula hæc quæ delibata, satis ut opinor, ad nostrum facient propositum. Dum vel isthæc enim apud me tacitus revolvo, non possum non alta admiratione percelli, qua

ratione illi qui omnia tentare media, et omnem sese movere lapidem ostentant, ut latitantem invenirent veritatem, et sese tandem ad summum sapientiæ apicem attollerent, philosophiæ, lubricæ et incertæ philosophiæ, animos suos ita continuo mancipient, et divina humanioris et politioris literaturæ studia, sacrarumque linguarum, Orientalium præsertim, cognitionem, quæ sola, uti postea patebit, absconditam fere detegat veritatem, ita negligenter et despiciantur.

Non sane diffiteor, quin studia philosophica digna sunt, quibus subtilissima exerceantur ingenia. Imo quidem fateor res naturales non indignas esse quas contemplemur, etiamsi contemplationum nostrarum scopum, veritatem viz., nunquam attingeremus. Quid enim? ipsa istiusmodi rerum contemplatio (ut cuicumque in iis vel mediocriter versato abunde satis expertum est) secretam quandam voluptatem et animi complacentiam secum continuo ducit. Et quamvis ipsam veritatem assequi non possumus, modo tamen cordibus nostris infixum immotumque sedet (ut sæpe accidit) nos assecutos fuisse, et apprehensionibus nostris tanquam claris et distinctis adeoque et veris assentiamur, quod ad intimam animi complacentiam iis continuo annexam, perinde est ac si revera assecuti fuisset. Hoc tamen insuper addam, quod hujusmodi animi complacentia, utcunque tanta apparet veritate induta, falsa tamen est et erronea, utpote falso et erroneo annexa fundamento. Adeo ut qui hunc in modum sibi placent, qui hujusmodi requies et delicias animis immurmurant, mendacio assidue delectantur. Utcunque perquamplurimos videre est, qui tam alte hujusmodi contemplationibus immerguntur, ut omnia studia præter sua, hoc est philosophica, demissa et repentina, perniciousibus et sublimetendentibus suorum ingeniorum alis inepta prorsus et indigna existimant. Linguæ, clamitant, sunt tantum fores, quid nobis cum foribus, qui ipsa quærimus penetralia? Linguæ sunt tantum cortex, quid nobis cum cortice, qui ipsum intendimus nucleum? Quid vobis cum foribus? Quid vobis cum cortice? quibus intratis, et quo fracto, penetralia et nucleum attingatis.

Sed fatemur, inquit, aliquæ linguæ necessario requiruntur; at quid nobis cum Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Sa-

maritana, et istiusmodi quarum vel characteres profecto sunt monstrosi et prodigiosi? Quid hæ conducunt ad Cartesium aut Aristotelem intelligendum? Modo Græcam et Latinam ediscimus, quicquid sacris illorum mineralibus absconditur facile perfodiamus. Hi sunt duo illa et magna quidem hemisphærii philosophici luminaria. Aristoteles enim in obscura primarum ætatum nocte lumine suo mutuatio (quod viz. ab omnibus et istius et præcedentium, ut aiunt, sæculorum philosophis mutuatus est) totum hemisphærium suo modo, hoc est ad instar Phœbes illuminavit. At in splendescenti hoc nostræ ætatis die ipsum habemus Apollinem ipsum Cartesium in quemque orbis philosophici angulum radios suos evibrantem. Modo horum ideo lumine fruamur, quid alio opus est? Esto: Profundum Aristotelis admiror ingenium, et beatos subtilissimi τοῦ μακαρίτου Cartesii adoro cineres. Pace tamen tantorum dicam, et Cartesius et Aristoteles subtiles erant philosophi, sed et mortales erant homines. Non eousque adhuc ebulliverit dementia nostra, ut Aristotelis volumina Phœbi oracula habeamus, vel ut Cartesium, etiamsi Papistam, Papæ tamen, ut aiunt, infallibilis cathedra collocemus. Erant, inquam, philosophi, sed et erant etiam homines; imo et eorum humanitas in erroribus, quibus abunde scatent, sese manifestam tradit. At replicant qui dogmata sua jactitant philosophica, hisce et nosmet libentes subscribimus, hi quos laudamus erant homines, nec omnia erant veritatis flumina quæ ex eorum fontibus profluxerant. At ubi veriora? ubi veritatem citius inveniamus quam eorum libros consulendo? Mirum sane miserumque, quod vos, qui tantam, qui omnem vobis vindicatis philosophiam et rationem, hic tam alte cæcutiretis? Quid enim? nunquamne de sacro quodam codice audivistis? Nunquamne jucundus Evangelii sonus teneras aures vobis percusserit? Nunquidne sacrarum literarum auctoritas apud vos valeat? Quid? et adhuc spissis sepulti jacetis tenebris plane nescii ubi gemma hæc veritatis pretiosissima latitaret? Dicam, In sacra pagina, in sacris literis, si ullibi, est inveniri. Hæc sacra pagina est arbor illa vitæ in cujus foliis rara hæc avis nidulatur. Hæ sacræ literæ sunt non Phœbi sed Dei, non Delphica sed Divina illa oracula, quæ quicunque recte consulat, a recto veritatis tramite deviet

est impossibile. Quicquid hic invenio dictum, scio dictum a Deo vero, imo a Deo Veritate. Adeoque quicquid hic lego, digito demonstro, manum in margine depingo, 'Veritas est.' Ego, inquit Christus, sum Via et Veritas, adeoque qui [Jo. xiv. 6.] Christum de Scripturis scivit, Veritatem nescire nequit. Πᾶσα γράφη ἐστὶ θεόπνευστος, inquit Apostolus, *Omnis Scriptura* [2 Tim. iii. 16.] *est divinitus inspirata*, a Deo ab ipsa Veritate inspiratur, adeoque et ipsa nihil nisi veritatem spirat. Multa, fateor, hic invenio supra conceptum, at nihil præter veritatem. Non est versus qui non est verus, imo non est versus qui non est veritas, adeoque quot scio in Scriptura versus, tot scio veritates. At præterea, non tantum eo consulenda est Scriptura pro veritate, quia quicquid ibi scribitur est veritas, sed etiam quia Scriptura viam ostendit, ubi ipsa veritas comoratur. Ego, inquit Christus, sum Via, Veritas, et Vita; non tantum est Via et Veritas, ut antea, sed etiam est Via ad Veritatem, siquidem est Via ad Vitam, eamque æternam. Scrutemini Scripturas et scripta operemini, et vitam, ac in illa ipsam Veritatem possidebitis. Tunc autem temporis quænam est veritas quæ nobis non nuda apparebit? Ibi omnes rerum essentias et naturas in ipsa Dei essentia in ipso Archetypo visuri sumus. Ibi intellectus nostri omnibus erroribus purgati, et apprehensiones claræ et distinctæ evadent. Ibi oculos nostros vere plusquam lynceos ne atomus quidem in omnibus Veritatis misteriis latebit. Benevole Lector, aliquid tibi serio suggeram. In veram sapientiam, in Divinam rectamque philosophiam animo pruris? Profundum, ac omnis scientiæ et cognitionis capacem et impletum te efflagitas philosophum? oh Christum petas, ad cælum tendas, et tunc plura scies quam jam te scire vel in votis habeas. Tumque (crede mihi) videbis, quantæ stultitiæ (stultitiæ dicam an dementiæ?) te reum peregeris, dum Cartesianum, Aristotelem, et alios istiusmodi farinae philosophastros pro veritate scrutatus es, et Scripturas interim, quæ solæ veritatem et viam ad veritatem demonstrent, tam egregie neglexeris.

Hic autem in luto jam hærent adversarii; libentes audirent Christiani, adeoque non est ut illis quæ hactenus dicta sunt inficias irent: nec tamen in linguarum æstimum et amorem se adductos vel paterentur vel faterentur. Quo

ideo se convertant, nisi ut post multam animi perplexitatem tandem erumpentes effutiant, Quid hæc ad propositum? Quid si sacræ literæ, ideone et sacræ linguæ ad veritates indagandas conducunt? Non eo vesaniæ et infidelitatis prorupimus, ut non credamus Scripturas solas veram sapientiam humanis cerebris instillare, et illum optimum fore philosophum, qui has et studiis et vita diligentissimus sequitur. Hincne autem inferatur, et linguas aliquid ad hanc rem collaturas? Quid enim? Nonne perquamplurimi, iique linguæ Hebraicæ peritissimi, Sacrorum Bibliorum exstant translatores, quibus fidere et niti possumus? Fateor: Hoc autem jaculum (ut festinanti calamo, tanquam canis ad Nilum, hæc percurram) hoc, inquam, jaculum in vosmet facile est retorquere. Quid enim? nonne perquamplurimi Sacrorum Bibliorum exstant translatores? cuique notum est. Quum multæ ideo hujusmodi proferuntur versiones, quænam est præferenda? Hunc dissolvat nodum quicumque *ἱερογλωττοστυγής*, et linguarum Orientalium ignavus osor. Veritas aliqua de Sacris Scripturæ mineralibus est eruenda, hinc multa exhibentur instrumenta, dicat hic, quodnam est adhibendum? Multæ variæque in promptu sunt translationes, quamnam consulemus? Varias easque eruditas textus Biblici exstare versiones in propatulo, in comperto, in confesso est. Hoc autem insuper detur, quod theologi non minus differunt in interpretatione textus Biblici, quam philosophi in expositione textus Aristotelici. Omnes legis? quemnam seliges? Pagninum? Ariam Montanum? Vatablum? Osiandrum? Tremellium? Vulgatam? LXX Interpretes? Lutherum? quisnam horum est præferendus, et quisnam posthabendus? quem commendes, et quem condemnes? quomodo certum et genuinum loci alicujus sensum a quovis interprete datum ab illius in alio loco aut ab alius in illo loco notho et spurio dignoscas? Nonne necesse est, ut ad Hebræi Canonis Lydium quasi lapidem exigas? Quis etiam corruptissimam Vulgatam (quam pro authentica mandare Tridentinum illud non erubuit conciliabulum) vel ullam aliam versionem corruptione minima scaterere dicat, nisi qui de puro Hebraicæ literaturæ fonte limpidas probe degustaverit aquas? Quid pluribus? Veritatem aliquam de sacra hac testa depromere animo habes: hunc in finem

magno labore et sudore evolvis Pagninum aut Tremellium : jam attendis quid dicit textus Biblicus ? non, sed tantum quid Pagninus dicit aut Tremellius. Nescis an Deus ita locutus est in ipso textu necne, sed tantum quod Pagninus aut Tremellius ita transtulit.

Sed non mecum impræsentiarum institui omnia argumenta, quibus sacra hæc lingua propugnari potest, in arenam trahere, aut omnes objectionum hastas clypeo accipere. Summariū autem eorum quæ hactenus dicere conati sumus ad hoc tantum redit, quod nulla vel certiori vel breviori via ad summum illud veræ sapientiæ et rectæ philosophiæ cacumen, quam per jucundissimos et omnium generum fragrantissimis Divinæ sapientiæ flosculis variegatos Scripturarum campos perveniatur. Et deinde quod nemini in fertilissimos hosce campos pateat introitus, nemo amœnos ipsorum carpat flosculos, nisi qui Hebraice loquatur et sacram hanc linguam sibi habeat opitulantem. Et ex hisce claræ satis (ni fallor) aliis præferuntur faces, quibus videant sacram philologiam dominæ Philosophiæ ancillari, et qui ancillam non primam allicuit, optatos dominæ amplexus summis blanditiis nunquam impetrabit. Frustra sese optimos ostentant philosophos, qui et optimos sese non ostendant philologos, utpote qui sacras literas non intelligit, veram philosophiam nunquam calleat ; et qui sacram philologiam non callet, sacras literas nunquam intelligat.

Nec vellem ut, etiamsi brevis, hæc, in cujus nexum animum hucusque convertimus, ratiocinationis tela ad philosophiam tantum sed etiam ad theologiam extendatur. Quodcunque enim argumentum ad demonstrandam illam, quam philosophis præstant, linguarum utilitatem adducatur, idem pro earundem utilitate simul et necessitate ordine ad theologiam etiam militabit. Idque quidem a fortiori. Si enim philosopho, qui in nuda veritatum contemplatione residet, tantum linguarum usu opus est ad easdem dextre colligendas, quantum majus theologo, cujus officii ratio exigit, ut in earundem prædicationem etiam sese exerat. Si philosophus, qui proprio suo dulcis hujusce liquoris haustu contentus abit, tanta linguarum acquirendarum necessitate detinetur ad eundem de Sacra Scripturarum testa exhauriendum ; quanta majori theologo, cujus est non sibi tantum sed et

aliis etiam expromere et propinare? At quam libens in satyram hic erumperem? aut potius quam facilis oculos lacrymarum rivulos flagitarem, qui non ob ferream ætatis nostræ naturam, sed ob corruptissimam ferreæ hujusce ætatis æruginem continuo fluerent? Quot heu! quot et quantos quotidie videre est Divinas cathedras ascendentes, brachia jactantes, pulpita tundentes, perplurima lato guttore funditantes, et plausum etiam facili populo ferentes, qui interim pro certo nesciunt, an Divinæ regulæ quadrent, et sacris literis uti a Deo prolatis consonent. Hoc tantum docti sunt, quod Anglicanam translationem aut fortassis Latinam (quam tamen raro consulunt) legere (non dico intelligere) possunt, et inde statim autumant sese abunde satis doctrinæ nactos et sibi et populis spirituali eorum curæ commissis. Et hunc sane in modum, qui aliis viam ad salutem ostendere in se recipiunt, et ipsi oculis capiuntur. Quicquid de Scripturis cognoscunt non propriis sed aliorum tantum oculis hauriunt. Quid est, si hoc non est, cæcum cæcos ducere, et omnes in foveam præcipitari? Quænam sunt, si hæc non sunt, inter ultima et ridicula senescentis mundi deliria recensenda? Qui nihil de proprio e Scripturis cognoscunt, aliis Scripturas explicare suscipiunt.

Sed respondeant ipsi elingues hujusmodi sed prædicantes theologi, Quid contra Papistas, Anabaptistas, Pelagianos, Socinianos, et alios istiusmodi hæreticos et schismaticos tanta et tam aspera proferunt? Hoccine est quia opiniones eorum erroneas esse de ipsis Scripturis didicerunt? Nihil minus. Nemo enim est hæreticorum, qui Scripturam sibi etiam non vindicat et in assertionis suæ defensionem profert. Scripturam, inquam, at qualem? non puram, non incorruptam, non de ipsis fontibus exhaustam, sed translata, adeoque corruptam, turbidis rivulis inquinatam. Atque hinc est, quod multæ opiniones, etiam hæreticæ, nulla alia confutatione, quam recta et genuina textus ipsius constructione et expositione, indigent. Hincque etiam nemini mirum videatur dolendam (utpote Christianorum) Romanensium religionem tot tautisque absurditatibus confertam iri, cum, ex ingenua quidem ipsius Bellarmini confessione, *Multa celebrata fuerint Concilia, in quibus nulli aut pauci fuerint Hebrææ linguæ periti.* Et proculdubio tot hæreses in Ecclesiam

nostram nunquam irrepissent, nisi tot linguarum imperiti Scripturæ Sacræ explicationem et prædicationem suscepissent. Cum autem hæretici quicunque et clypeos et gladios de armario Scripturæ translatae ad suas sententias propugnandas et aliorum oppugnandas proferunt, unde sunt repellendi? ex aliis translationibus? quid ita? quid non ipsi suis æqualem ac alii aliis fidem darent? Dantur autem istiusmodi translationes (quarum numero est illa Romanensium) quæ quibuscunque hæresibus et favent et fundum præbent. Aut hujusmodi ideo hæresibus cedendum est et adhærendum, aut ad ipsos fontes recurrendum. Et deinde, ut hæreses non diruantur, sic nec sine Divino linguarum subsidio ipsa veritas defendatur. *Rogas, inquit Lutherus, causam cur religio nostra sic derideatur? Non alia est quam linguarum ignorantia.* Hinc enim sæpe evenit, ut plurima loca ad religionis nostræ tutelam maxime facientia non proferamus, adeoque et alia loca non ita dilucide, imo et aliquando non omnino, facientia citemus; unde fit ut non tantum nostra religio magis concussa sit et debilitata, sed et adversarii in contraria magis magisque obdurentur.

[Vide Lutherum De Constit. Scholis, Op. tom. vii. fol. 443, A. Wit 1552, seq.]

At respondeant iterum et ipsi, quid tanta opprobriorum et convitiorum stigmata Papistis inurunt, dum et ipsi pessimos Papistas agunt? Quid enim inter perquamplurima illa absurda, quibus abundat eorum religio, magis absurdum et horrendum videatur, quam eo tantum rei alicui fidem habere, quia Ecclesia dixit? Et dicant theologi nostri, quicunque sacrarum linguarum ignari, quodnam aliud fundamentum ad stabiliendam fidei doctrinam habent, quam quod Ecclesia dixit. Eo tantum Scripturæ Sacræ, aut potius translationi illi, in cujus solius lectione versantur, tam mordicus adhærent, et sententias suas ex illa ventilant, quia priores Ecclesiæ Antistites dixerunt ita transferendam, aut ipsi ita transtulerunt. Certo certius si majores nostri aliam translationem, eamque ipsa Papistarum Vulgata decies, si fieri potuit, corruptiorem edidissent, ignavi hi nostri linguarum contemptores, eodem quo illam, quam jam habemus, æstimo amplecterentur: surdo enim grave et acutum idem sonant; et cæco lux et nox idem videntur.

At nec adhuc deest oscitantibus tutum satis (ut ipsis videtur) ignorantia et socordia asylum. Quoties enim sibi

murmurantes et aliis obgannientes audire licet, Quid nos tantum temporis in linguis addiscendis conteramus, cum tanti et tam eruditi viri, et Lutherus, Junius, Erasmus, et ejusmodi, qui tam præclare de Ecclesia meruerunt hunc laborem nobis præripuerunt? Non adeo perfrictæ frontis nec inflati animi sumus, ut cogitemus nosmet tardis ingenii nostri alis sublimes istas aquilas unquam supervolatu-ros: non est ut fastu turgidi putemus crassum et obtusum nostrum ingenium doctissimos istorum labores unquam correcturum. Oh singularem modestiam et animi verecundiam! Quis sibi precibus non appeteret, Quis ad cælum laudibus non attolleret? Verisimile quidem est, quod adeo ingenue fatentur, crassum et obtusum esse eorum ingenium, et ita proculdubio manebit donec linguis politum. Non autem exinde recte inferunt linguarum studia fore superflua. Quid enim? non major voluptas et gratior animi complacentia ex ipsis fontibus quam ex rivulis hauriatur? Quid si fidei alius manu, quocunque eundum est, recto tramite perducamur, ideone et oculos eruemus? nonne major oblectatio de proprio visu quam de alieno ductu exsurgescet? *Etenim in sacris libris, inquit Martinius in Technologia, lumen et oculus quo Divina perspicimus est Hebræa lingua, cujus scientia et fructu dum te tua sponte privas, tum tibi oculos eruis quibus illa cernuntur et cognoscuntur.*

[Gram. Heb.
Τεχνολογία
Præfat. p. 16.
Rupellæ,
1590.]

At præterea etiamsi non est beatis istis animabus, cœlo (uti speramus) jam triumphantibus vel quicquam detrahimus, non est tamen ut eorum versiones pro authenticis aut ob omni errore destitutis habeamus. Nimis augusta et Divina res est nusquam in errorem prolabi. Ut doctos illos admiramur homines, sed non ut infallibiles adoramus Deos. Viros illos agnoscimus exquisite literatos, sed non prophetas immediate inspiratos. Hoc et ipsi agnoverunt, imo et ostenderunt, dum proprias versiones ad incudem toties revocarunt, et perquamplurimos errores, in quos impegerunt, et ipsi postea emendarunt. Et respondeant adversarii, Cujus de omni erudito illo veterum cœtu translatio etiam ultima recognitione adeo limata evasit, ut omnibus postfuturis otia fierent? Et deinde, quid si illi ipsa aquila oculatiores? Profecto passercula illud aliquando videat, quod acutum et volubilem aquilæ oculum plane fugit. Dies diem docet, et

quod heri doctiorem latuit, hodie rudiori innotescat. Denique nihilne ad fidei certitudinem et animi firmitatem facit, si Ipsum Deum propria sua dialecto audiamus et intelligamus nos alloquentem? Admodum incerta quidem sunt colloquia, quæ per interpretes tantummodo instituuntur. Linguarum inscii nihil de proprio ipsius Dei ore capiunt, sed per interpretem cum Deo loqui compelluntur. Quid si ideo tua qualicunque linguarum peritia, qua polles, aliorum translationes non corrigas et emendes, approbes saltem, et earum veritati et tuum adjicias calculum. Si tibi autem parum aut nihil referre videatur, an quæ aliis inculcas a te approbentur necne, modo ab aliis approbata fuerint; scias, vellem, nisi tuum etiam subeant 'Approbatum est,' etiamsi vera sint quæ dicis, ipse tamen vera non dicis. Ad veracitatem enim requiritur ut assensus voluntatis, sic et consensus intellectus. Si intellectus enim non clare et distincte percipit propositionis prolatæ veritatem, quamvis in se sit vera, tibi tamen non ita est, nec a te pro vera judicetur. Impossibile autem est, ut quicquid clare et distincte percipias vel per consequens recte judices e solis Scripturæ versionibus, siquidem necesse est, ut dubius et pendulus semper hæreas, an fideliter de textu originali transferatur. Et antequam hæc dubitatio deponatur, quomodo in actum judicii procedas? Si autem ipse propriis illisque acutis criticisque oculis ipsum textum introspecias, si versionem quam consulis non improbes, saltem approbes, atque ita illa quæ profers non tantum vera erunt, sed nec ipsorum veritas te latebit, adeoque et ipse vera proferas. Aliter autem multa doceas, aliisque præcipias, quæ ipse nescis, an sint docenda et præcipienda necne. Hisce ideo perpensis quis non obstupesceret, tot ubique Divina S.S. Theologiæ studia aggredierentur, priusquam sacram philologiam vel summis labiis tetigerunt. At oh quis audaces et temerarios hujusmodi sciolos in Divinas Cathedras se intrudentes, et mandata Dei vacuo et inani pectore effundentes siccis oculis intueatur aut intacto corde meditetur? Si hæc autem et hujusmodi serio adverterentur, sperandum sane esset nos doctiores veritatis Divinæ prædicantes et fortiores religionis nostræ defendentes in posterum habituros.

Ut autem quæ de linguarum usu dicta sunt non tantum

ad philosophiam sed etiam, idque præcipue, ad theologiam extensa, sic et paucula illa quæ hactenus de ipsis linguis delibata, non tantum de linguis Originariis, Hebraica, Chaldaica, et Græca, sed et de aliis quibuscunque Orientalibus, præsertim Syriaca, Arabica, Samaritana, et Chaldaica, in rivulis æque ac in fonte fluenti, intellecta vellem. Non enim est, ut in eorum sententiam nos conspiremus, qui linguas originarias ad cælum afferunt, at alias interim cæno conculcant, flocci et nauci faciunt. Hi sunt illi, qui matrem solummodo ambiunt, at filias negligunt et despiciunt. At quid pro se blaterant? viz. totus Scripturæ sensus in ipso textu originario continetur, quid ideo aliis linguis quam originariis opus est? Hoc et nobis in confesso est, Totus Scripturæ sensus in solis linguis Originariis tanquam in sacris mineralibus continetur; at hoc insuper detur, quod per alias linguas tanquam per tot instrumenta verior faciliorque eruatur: adeo ut quicumque ad alias linguas præter Originarias cognitionem suam non elevavit, difficilem subibit provinciam aliquem Scripturæ locum exacte et ad amussim interpretari. Hoc autem est quod nobis jam incumbit paucis demonstrandum. Quo dilucidior autem res fiat, illustriorque veritas appareat, duas has breviter ponam conclusiones.

Prima conclusio. ‘Perinde est parum ac nihil, aut non exacte ac non omnino linguam Hebraicam callere.’ Primo, fateor, aspectu mira hæc videatur assertio, et ab omni ratione aliena, audacter tamen pronuncio. Quid enim si linguam hanc sacram legam scribamve? Hoccine solum ad Scripturæ sensum in illa contentum intelligendum adjuvabit? Nequicquam: hoc et faciant typographi; quodlibet vocabulum dextre et exacte legant scribantque, dum interim ne hilum intelligant. At quid si ope alicujus translationis, ex. gr. Tremellianæ, locum aliquem exponam, hoccine ad intimum loci illius sensum indagandum aliquid conducet? Nequicquam. Hoc sane non est Tremellium per textum Biblicum, sed textum Biblicum per Tremellium examinare. Hunc autem in modum sæpe vidi (oh si nunquam posthæc visurus essem) per plures mire sibi complacentes et applaudentes, si modo videant se ita exposuisse, ut ipse Tremellius aut alius istiusmodi translator exposuit.

Proculdubio si hoc sufficeret, non opus esset linguæ Hebraicæ studio, modo Latinam aut aliam linguam, in quam sacræ literæ transferuntur, calleremus. Quid enim conducit lingua Hebraica ad Latinam intelligendam? At altius paulisper progrediamur. Quid si in linguam Hebraicam tam alte penetremus, ut aliquem Scripturæ locum sine translatoris alicujus adminiculo exponamus? Hoccine aliquas feret suppetias ad veritatem detegendam, et intimum illius loci sensum enucleandum? Iterum respondeo, Nequicquam. Nihil, inquam, locum aliquem exponere adjuvabit, nisi insuper etiam ultimas vires, intimam *ἐνέργειαν* et valentiam cujusque phrasim et vocabuli oculis plusquam aquilinis inspiciamus. In hoc enim latet præcipua sacræ hujusce linguæ excellentia, quod vocabuli cujusque emphasin aliis linguis prorsus ignotam, illisque (si ita dicam) inexplicabilem in hac dilucide videamus. Atque hinc est, quod ἀποτολμήσας assero, ‘Perinde esse parum ac nihil, aut non exacte ac non omnino linguam Hebraicam callere.’

Secunda conclusio. ‘Impossibile est, ut quis linguam Hebraicam exacte calleat, nisi qui alias linguas Orientales aliquo modo calleat.’ Hanc autem ut evictam, probatam, et stabilitam darem conclusionem, paucis demonstrare conabor, quid aliæ linguæ Orientales, Syriaca, Chaldaica, etc., ad linguam Hebraicam in ipso textu, adeoque et ad verum textus ipsius sensum intelligendum, faciunt. Tria ideo sunt ad quæ linguæ Orientales conducunt, sine quibus nec sacram linguam callere, nec Sacram Scripturam intelligere valeamus. 1. Ad textus ipsius conservationem et confirmationem. 2. Ad vocabulorum explicationem. 3. Ad phrasium et idiotismorum illustrationem. Hisce autem demonstratis, non verendum est, quin conclusionis veritati etiam ab invito fides extorqueatur. Singula ideo levi pede percurram.

Primum, inquam, ad quod linguæ Orientales conducunt, est ad textus ipsius conservationem et confirmationem. Hoc autem ut clarius elucescat, paucula præmittenda sunt de reverenda harum versionum antiquitate, de qua et fuse et docte disputat Reverendissimus noster Brianus Waltonus SS. Theol. D. in Prolegomenis suis ad Biblia Polyglotta; nos summaria tantum attingemus. Chaldaica igitur Paraphrasis (ut ab illa telam exordiar) a LXX. annorum capti-

[Proleg. xii.
pp. 81, 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, 89, 90, 91, 92, 93, 94, 95, 96, 97, 98, 99, 100, 101, 102, 103, 104, 105, 106, 107, 108, 109, 110, 111, 112, 113, 114, 115, 116, 117, 118, 119, 120, 121, 122, 123, 124, 125, 126, 127, 128, 129, 130, 131, 132, 133, 134, 135, 136, 137, 138, 139, 140, 141, 142, 143, 144, 145, 146, 147, 148, 149, 150, 151, 152, 153, 154, 155, 156, 157, 158, 159, 160, 161, 162, 163, 164, 165, 166, 167, 168, 169, 170, 171, 172, 173, 174, 175, 176, 177, 178, 179, 180, 181, 182, 183, 184, 185, 186, 187, 188, 189, 190, 191, 192, 193, 194, 195, 196, 197, 198, 199, 200, 201, 202, 203, 204, 205, 206, 207, 208, 209, 210, 211, 212, 213, 214, 215, 216, 217, 218, 219, 220, 221, 222, 223, 224, 225, 226, 227, 228, 229, 230, 231, 232, 233, 234, 235, 236, 237, 238, 239, 240, 241, 242, 243, 244, 245, 246, 247, 248, 249, 250, 251, 252, 253, 254, 255, 256, 257, 258, 259, 260, 261, 262, 263, 264, 265, 266, 267, 268, 269, 270, 271, 272, 273, 274, 275, 276, 277, 278, 279, 280, 281, 282, 283, 284, 285, 286, 287, 288, 289, 290, 291, 292, 293, 294, 295, 296, 297, 298, 299, 300, 301, 302, 303, 304, 305, 306, 307, 308, 309, 310, 311, 312, 313, 314, 315, 316, 317, 318, 319, 320, 321, 322, 323, 324, 325, 326, 327, 328, 329, 330, 331, 332, 333, 334, 335, 336, 337, 338, 339, 340, 341, 342, 343, 344, 345, 346, 347, 348, 349, 350, 351, 352, 353, 354, 355, 356, 357, 358, 359, 360, 361, 362, 363, 364, 365, 366, 367, 368, 369, 370, 371, 372, 373, 374, 375, 376, 377, 378, 379, 380, 381, 382, 383, 384, 385, 386, 387, 388, 389, 390, 391, 392, 393, 394, 395, 396, 397, 398, 399, 400, 401, 402, 403, 404, 405, 406, 407, 408, 409, 410, 411, 412, 413, 414, 415, 416, 417, 418, 419, 420, 421, 422, 423, 424, 425, 426, 427, 428, 429, 430, 431, 432, 433, 434, 435, 436, 437, 438, 439, 440, 441, 442, 443, 444, 445, 446, 447, 448, 449, 450, 451, 452, 453, 454, 455, 456, 457, 458, 459, 460, 461, 462, 463, 464, 465, 466, 467, 468, 469, 470, 471, 472, 473, 474, 475, 476, 477, 478, 479, 480, 481, 482, 483, 484, 485, 486, 487, 488, 489, 490, 491, 492, 493, 494, 495, 496, 497, 498, 499, 500, 501, 502, 503, 504, 505, 506, 507, 508, 509, 510, 511, 512, 513, 514, 515, 516, 517, 518, 519, 520, 521, 522, 523, 524, 525, 526, 527, 528, 529, 530, 531, 532, 533, 534, 535, 536, 537, 538, 539, 540, 541, 542, 543, 544, 545, 546, 547, 548, 549, 550, 551, 552, 553, 554, 555, 556, 557, 558, 559, 560, 561, 562, 563, 564, 565, 566, 567, 568, 569, 570, 571, 572, 573, 574, 575, 576, 577, 578, 579, 580, 581, 582, 583, 584, 585, 586, 587, 588, 589, 590, 591, 592, 593, 594, 595, 596, 597, 598, 599, 600, 601, 602, 603, 604, 605, 606, 607, 608, 609, 610, 611, 612, 613, 614, 615, 616, 617, 618, 619, 620, 621, 622, 623, 624, 625, 626, 627, 628, 629, 630, 631, 632, 633, 634, 635, 636, 637, 638, 639, 640, 641, 642, 643, 644, 645, 646, 647, 648, 649, 650, 651, 652, 653, 654, 655, 656, 657, 658, 659, 660, 661, 662, 663, 664, 665, 666, 667, 668, 669, 670, 671, 672, 673, 674, 675, 676, 677, 678, 679, 680, 681, 682, 683, 684, 685, 686, 687, 688, 689, 690, 691, 692, 693, 694, 695, 696, 697, 698, 699, 700, 701, 702, 703, 704, 705, 706, 707, 708, 709, 710, 711, 712, 713, 714, 715, 716, 717, 718, 719, 720, 721, 722, 723, 724, 725, 726, 727, 728, 729, 730, 731, 732, 733, 734, 735, 736, 737, 738, 739, 740, 741, 742, 743, 744, 745, 746, 747, 748, 749, 750, 751, 752, 753, 754, 755, 756, 757, 758, 759, 760, 761, 762, 763, 764, 765, 766, 767, 768, 769, 770, 771, 772, 773, 774, 775, 776, 777, 778, 779, 780, 781, 782, 783, 784, 785, 786, 787, 788, 789, 790, 791, 792, 793, 794, 795, 796, 797, 798, 799, 800, 801, 802, 803, 804, 805, 806, 807, 808, 809, 810, 811, 812, 813, 814, 815, 816, 817, 818, 819, 820, 821, 822, 823, 824, 825, 826, 827, 828, 829, 830, 831, 832, 833, 834, 835, 836, 837, 838, 839, 840, 841, 842, 843, 844, 845, 846, 847, 848, 849, 850, 851, 852, 853, 854, 855, 856, 857, 858, 859, 860, 861, 862, 863, 864, 865, 866, 867, 868, 869, 870, 871, 872, 873, 874, 875, 876, 877, 878, 879, 880, 881, 882, 883, 884, 885, 886, 887, 888, 889, 890, 891, 892, 893, 894, 895, 896, 897, 898, 899, 900, 901, 902, 903, 904, 905, 906, 907, 908, 909, 910, 911, 912, 913, 914, 915, 916, 917, 918, 919, 920, 921, 922, 923, 924, 925, 926, 927, 928, 929, 930, 931, 932, 933, 934, 935, 936, 937, 938, 939, 940, 941, 942, 943, 944, 945, 946, 947, 948, 949, 950, 951, 952, 953, 954, 955, 956, 957, 958, 959, 960, 961, 962, 963, 964, 965, 966, 967, 968, 969, 970, 971, 972, 973, 974, 975, 976, 977, 978, 979, 980, 981, 982, 983, 984, 985, 986, 987, 988, 989, 990, 991, 992, 993, 994, 995, 996, 997, 998, 999, 1000]

vitae originem suam duxisse ab omnibus reputatur. Judæi enim tunc temporis ut aliorum juga subire sic et istorum linguam addiscere coacti erant. Quo fit, ut post tanti temporis effluxum propria et vernacula oblivionis tumulo sepulta jacuit. Unde licet nonnulli eorum reducum ætate præsertim et dignitate grandiores, ut et sacerdotes et Levitæ, Hebræam vernaculam retinebant, plebis tamen et juventutis etiam in hac lingua imperitiæ et inscitæ necessario consulendum erat, ut Scripturas, viz. in templo et synagogis ut perlectas sic et intellectas iis darent. Hinc ideo tota Sacra Scriptura lingua omnibus tunc temporis tam bene nota, Chaldaica, viz. (quam in captivitate didicerant) donata fuit, quæ versio תַּרְגּוּמֵיִם, sive *Explicationes* audit. Adeoque Sacra Biblia in publicis synagogis non tantum Hebraice sed et Chaldaice Judæorum auribus infuderunt. Hoc autem facillime e loco illo, Neh. viii. 8, eliciatur, *Legebant enim librum istum legem Dei explanate, et exponendo sensum dabant intelligentiam per Scripturam ipsam.* Hunc locum ita explicant Talmudici; *Legebant in libro illo in lege Dei, is fuit textus Hebraicus: Explanate, illud fuit Targum.* At nec desunt exemplaria perquam vetusta, quibus videre est Textum Hebraicum et Paraphrasin Chaldaicam alternatim scripta, adeo ut singulis versibus Hebraicis Paraphrasis Chaldaica statim subjecta ad amussim respondet. Hujusmodi exemplar se Argentinae vidisse testatur Buxtorfius: et simile Dr. Waltonus, ipso teste, Pentateuchi MS. e Bibliotheca Westmonasteriensi habuit. E quibus clarissime inferatur Paraphrasticam hanc Chaldaicam Scripturarum explanationem ab ipsa captivitate et occasionem et ortum sumpsisse. Non autem est ut Paraphrasibus Chaldaicis Bibliis nostris insertis et manibus nostris contritis tantam vetustatem concedamus: nullum enim jam exstat Targum ante Jonathanem et Onkelosum scriptum. Duo autem illi insignes et magni nominis Rabbini, Onkelos, viz. et Jonathan Ben-Uziel, quorum primi in Pentateuchum, alterius in Prophetas jam exstant Paraphrases, coætanei erant; uterque enim tempore Hillelis seniores ante Christum annis circiter XL. floruerunt. Quod autem ad Targum in Hagiographa confectum, antiquitate aliis cedit: hoc enim vulgo inscribitur cuidam R. Josepho, qui cæcus fuisse perhibetur, quique

[In Epist. ad Hottingerum. Vid. Walton. l.c.]
[Ubi supra; sect. 6, p. 83.]

aliquot, etsi non admodum multis, post Christi tempora annis vixit. Hinc autem aliquomodo Chaldaicæ hujusce Paraphrasis antiquitatem videamus.

Quod ad Syriacam Veteris Testamenti translationem attinet, constans et perpetua viget traditio, hanc omnes post Christi tempora factas antiquitate superare. Tempore enim Thaddæi Apostoli scriptam, et ejusdem cum Syriaca Novi Testamenti Versione antiquitatis esse, communi doctorum ore affirmatur. Quid autem multa accumulem de antiquitate translationis Syriacæ Novi Testamenti? Quis enim nescit primo statim nascentis Ecclesiæ sæculo vel ab Apostolis ipsis, ut aliqui volunt, vel a discipulis suis, viris Apostolicis, confectam fuisse? Quid aliud sibi vellet incorrupta sermonis elegantia? Quid in antiqua illa et verissima Widmanstadii editione, defectus Epistolæ Petri ii., Johannis ii. iii., S. Judæ, Apocalypseos, et Accusationis Adulteræ, quæ ipsa etiam apud Chrysostomum, Theophylactum, et Nonnum desideratur; quid, inquam, nisi quod libri isti primis Ecclesiæ temporibus publico Ecclesiarum consensu non recepti erant; adeoque et hic Syrus vel nunquam vidit, vel tanquam non Canonicos repudiavit? At nec isti proculdubio prædicti libri citius Canone quam lingua Syriaca donati erant, quorum Apocalypsin Lud. De Dieu, et post eum Epistolas omnes doctissimus noster Pocockius Oxoniensis edidit, et omnes simul in Bibliis nostris Polyglottis completi exstant.

[Lugd. Bat.
1627.]
[Lugd. Bat.
1630.]

Quod autem ad Arabicam versionem spectat, nec de auctore nec de tempore aliquid certum determinari potest. Pentateuchus vero non multum variare videtur a Pentateucho R. Saadiæ, qui unus erat isque inter Gaones (ita appellabantur Scholarum Babylonie rectores) celeberrimus, qui floruit circa annum Christi DCCCCIX., unde probabilem est conjecturam facere eundem omnino esse: ut nec improbabile videtur Arabicam totius Scripturæ versionem eadem canitie decorari. Ut denique de Pentateucho Samaritano aliquid dicamus; communis est historiæ et linguæ sacræ peritorum sententia, characterem illum, quo Pentateuchus noster hodie conscribitur, eundem esse, quo Deus legem Mosi tradidit, et qui in ipsis tabulis Mosi a Deo datis exaratus erat, quoque ipsi Judæi usi sunt usque ad LXX.

annorum captivitatem, quo tempore novam linguam edocti et novum characterem linguæ illi Chaldaicæ seu Assyriacæ proprium et peculiarem didicerunt, primum Samaritanis relinquentes. Certum autem est Samaritanos eadem exemplaria cum Judæis ab initio habuisse, eaque literis antiquis Hebraicis seu Samaritanis conscripta, adeo ut etiamsi (quod tamen dubitatur) non authentica auctoritas, maxima tamen utilitas huic ascribatur. De versione autem Chaldæo-Samaritana, a quo vel quando facta sit non adeo facile est determinatu. D. Mich. de Jay in Præfatione ad Biblia Parisiensi eodem tempore quo Samaritani in eandem cum Judæis religionem consentiebant, factam fuisse arbitratur.

[Bibl. Heb. Sam. etc. Lut. Par. 1645. Præfat. (p. 7.)]

[Bibl. Polygl. Proleg. xi. sect. 9, sqq. p. 77.]

At D. Waltonus verisimilius multo ante Christum natum, non multum, viz. post Esdras et Nehemiam conflata esse judicat.

Hiscæ ideo serio exagitatis, assertio nostra ulteriori (ut opinor) probatione nequicquam indiget. Hoc enim concessio, (quod negari nequit) versiones hasce jam laudatas tam protractæ ætatis esse, ut ipsius Christi tempora vel exæquent, vel exsuperent, facile exinde easdem ad textum Biblicum conservandum et confirmandum plurimum conferre concedetur. Utpote extra omnem controversiæ aleam positum est, fontes tot ab hinc annis puriores et incorruptiores fluxisse quam ut ad nos derivantur. Tunc temporis tot scribæ non dormitarant et ab archetypo deciderant; tot invidos et hæreticos in particularium codicum corruptionem ignis infernus non inflammarat; tot dies injuriam suam non perfecerant; tot variæ lectiones in ipsum textum non irrepserant; verbo, tot commixturas et conturbationes sacra hæc lympha non persenserat, sed pura et sincera undique scaturivit. Cum ideo prædicti rivuli de fontibus purioribus derivantur, et ipsi puriores fluant necesse est; adeo ut ex hisce versionibus quomodo ipse textus priscis illis temporibus sese habuit certiores nos habeamus. Atque hinc fit, ut, si qui hæretici textum nostrum corruptionis arguant, et suum (a seipsis fortasse corruptum) pro hæresi sua plura facientem, veriores jactitent, si vetustæ hæ translationes textus nostri vestigia ad amussim premant, et eundem sensum exprimant, quis non videat textum nostrum verum, antiquum, et ab Ipso Deo traditum; eorum autem novum, falsum, a seipsis

inquinatum, unde ipsi et ipsorum textus confutentur, nos et noster abunde confirmemur? Si scribæ autem in transcribendo aut correctores in corrigendo de diligentia debita unquam remiserunt, et ab ipso textu uspiam aberrarunt, nos modo linguarum peritia induti eos corrigamus, et ipsum textum, licet non in ipso textu, in versionibus tamen, (præsertim ubi plures consentiunt) perlegamus. Exemplo uno vel altero rem totam explicem. Locus ille, Gen. iii. 15, quem Papistæ tam misere torquent et depravatum judicant, e versionibus hisce antiquis contra omnia eorum spicula fortissime munitur, stabilitur, confirmatur. Chaldæus enim הוא, Syr. ܘܫܐ, Sam. אֶזְרָא, *ille*, non מֵאָה *illa*, legit. Sic et

locus ille, Jud. xvi. 31, e quo Jacobus Gordonus Huntlæus Scotus contra textus Hebraici veritatem et puritatem militaret, e versionibus hisce abunde corroboratur. Dicit ipse, uti et M. Marinum Brixianum idem ducit testantem, olim ibi non עֶשְׂרִים, ut in codicibus nostris, sed אַרְבָּעִים שָׁנָה scriptum fuisse. At non alia opus est Jesuitæ refutatione et loci illius confirmatione, quam sola versionum antiquarum inspectione. Omnes in unum hoc conspirant. Chald.

עֶסְרִין שָׁנִין, Syr. ܘܫܐ ܥܫܪܝܢ, Arab. عِشْرِينَ سَنَةً, *viginti annis*. Perquamplurima hujusmodi loca in Sacris Scripturis passim occurrunt, quæ solidam satis confirmationem ex antiquis hisce versionibus recipiunt. Cujusmodi autem in locis per versiones hasce conservatus dicatur textus Biblicus? Istiusmodi nimirum in quos temporum injuria aut scribarum incuria menda aliqua aut errata irreperint: pleræque enim irregularium scriptionum aliorumque istiusmodi erratorum post factas hasce versiones textum occuparunt, ut 2 Sam. xviii. 12 legitur שְׁמֹרֵתִי בְּנֶעֱר בְּאַבְשָׁלוֹם.

Hic locus graviter et grammaticos et interpretes torsit, quocum, viz. verbo pronomen illud מִי cohæreat. Respondet Buxtorfius, cui Glassius aliique assensum præbent, hic esse ellipsin verbi, hunc in modum שְׁמֹרֵתִי בְּנֶעֱר בְּאַבְשָׁלוֹם, *observate quis in puerum in Absolomum, viz. יִשְׁלַח יָדוֹ, mittat manum suam seu incurrat*. At si antiquas hasce et nunquam satis consultas inspexissent versiones, non figuram sed errata-

[Non est invent. ap. Gordonii Controv. i. 9. Vid. autem Glass. Phil. Sacr. lib. i. tract. 1, sect. 15, p. 80. Jenæ, 1623.] [Arca Noe. Præfat. p. 5. Venet. 1593.]

[Vindicat Verit. Hebr. p. li. c. 8, p. 572. Basil. 1653.] [Philog. Sacra, lib. iii. tract. 3, Canon lvi. p. 381. Jenæ, 1634.]

tum, idque ex scribarum negligentia, deprehendissent. Chaldaica enim paraphrasis vertit, אַסְתַּמְרוּ לִי בְעֵינֵי לְמַה בְּאֵבְרָתְשֵׁלוֹם, *estote circumspecti mihi de puero de Absolom.* Syr. اَوْتَمِرُوا لِي بِعَيْنَيْ اَبْسَلُوم, sic et LXX., φυλάξατέ μοι, *servate, vel custodite mihi puerum Absolomum.* E quibus sole meridiano clarius elucescit textum, cum translationes hæ ex illo deductæ erant, non מִי sed לִי habuisse, et מִי pro לִי scribæ vel typographi vitio inseri. Arabica, fateor, translatio utrumque omittit, pro versionibus tamen maxime facit اِحْتَنِظُوا *curam habete Absolomis pueri.* At quidem datur et aliud præter earum antiquitatem quod versiones hoc in loco confirmat; viz. quod inter שְׂמָרוּ et מִי datur Maccaph, quæ quidem linea, si esset מִי, esset frustranea, imo vitiosa; at si esset לִי ut proculdubio semel fuit, non potuit non adesse. Sic 2 Sam. viii. 3, in primis exemplaribus verba legebantur בְּנַהַר פְּרָת in *flumine Euphratis*, sed nescio quo infortunio פְּרָת textu excidit, et nihil præter nudas vocales relinquitur, at in omnibus canitie venerandis hisce versionibus fidelissime conservatur, uti cuiquam illas consulenti patebit. Sic et Jos. xv. 47, legitur הַיָּם הַגְּבּוּל הַגְּבּוּל mare *termini et terminum*, si versiones hoc in loco consulantur, statim liquebit vel scribas vel typographos hic errasse, et בּ pro דּ posuisse, הַגְּדוּל pro הַגְּבּוּל, *magnum.* Omnes enim versiones ita legunt, quibus et Masoretica correctio marginalis subscribit et astipulatur. At infinitus essem, si omnes hujusmodi locos a versionibus conservatos vel enumerem: sufficiat ideo impræsentiarum unicum alium tantum adnotare. וַיֹּאמֶר קַיִן אֶל-הֶבֶל אָחִיו, *et dixit Cain ad Hebel fratrem suum.* Hic sensus sane mancus et mutilus apparet, ut e solis textus Hebraici vocibus eruitur, adeoque et aliquid desiderari videtur, quod tamen in sacris versionum Thesauris non dico suppletur sed conservatur. Videamus paulisper Syr. סָאֵן: סָאֵן חֲסֵבָא אֲבֵתָא, *et dixit Cain ad Abelem fratrem suum, Eamus,* seu *descendamus in desertum.* Sic et utrumque Targ. Onkelos et Hierosolymitanum. *Et dixit Cain ad Habel fratrem suum וַיָּבֵא וְנִפְיָהּ לְאֶפְרַי בְּרָא, Veni et eamus in superficiem agri.* Targum Jonathan Ben-Uziel וַיָּבֵא וְנִפְיָהּ תְּרוּיָן לְבְרָא,

Gen. iv. 8.

[Apud Onkel.
non legitur.]

Veni et eamus ambo in agrum: ubi etiam sermones, quos Cain et Abel tunc temporis conserebant, fuse exhibentur. Sic etiam et versio Samaritana פֶּלֶאֶם בְּחַמְשָׁה, *eamus in campum*. Nec versio tantum sed et ipse textus Samaritanus (e quo textum Hebræum corrigere, non est ex versionum rivulis fonti integritatem conciliare, sed ex uno exemplari aliud, et fortasse e vetustiori recentius, emendare) ita legit פֶּלֶאֶם בְּחַמְשָׁה, *eamus in campum*. Pleniorum autem loci hujusce discussionem aliis relinquimus exagitandam. Ipse hoc tantum addam, me, salva aliorum reverentia, arbitratum hunc locum inter alios in versionibus conservatos merito posse recenseri, utpote qui tot versionibus ipso textu Samaritano roboratis emendatus videtur. Aliorum autem iudicio, modo solidis rationibus annixo, nostrum hic submissum damus. Hoc autem dum dicimus, et errata textus Hebraici in versionibus correctæ asserimus, ἀὐθεντία, auctoritati et integritati Scripturarum nihil detrahimus: etiamsi enim plurima hujusmodi sphalmata et errata e scribarum ignorantia et oscitantia aut aliis de causis in textum Hebraicum irrepserint (quod ‘Keri’ et ‘Cetib’ aliæque variantes lectiones a doctis collectæ liquido demonstrant) manet tamen Divina norma et regula, ad quam omnes versiones sunt exigendæ. Licet enim omnibus levioribus labeculis et erratulis textum immunem asserere, esset urgenti omnium doctorum consensui, imo et communi cujusque sensui in iis vel mediocriter versati oppugnare; ita tamen invigilavit Divina Providentia et Ecclesiæ Ipsius diligentia, ut in omnibus ad salutem necessariis, ad fidem et mores pertinentibus purus, sincerus, et incorruptus ubique manet, et ita in ultima secula remanebit.

Secundo, Ad vocabulorum explicationem. Atque hic sane patet magna et incredibilis linguarum Orientalium utilitas, quod multas voces in textu Hebræo reperire est, quæ non nisi ex aliis linguis sibi cognatis lucem accipiant. Licet enim lingua Hebræa, aliarum mater, olim satis grava et magno vocabulorum numero decorata, mutila tamen et exigua tantum sua parte in textu hodie exstat, unde ex aliis linguis suppleri debet et explicari. Multa in Veteris Testamenti Hebraica vocabula semel tantum aut bis occurrunt: Quomodo hæc nisi ex nota aliarum linguarum consuetudine

sunt exponenda? At præterea reverendi harum translationum auctores temporibus quando lingua hæc sacra illis erat vernacula longe propiores floruerunt, unde feliciores explicatio ex illis merito expectetur. Vocabulorum enim hujusmodi raro occurrentium et inusitatorum significatio illis ex majorum traditione accepta melius nota erat, quam nobis jam degentibus esse possit. Exemplum unum aut alterum proferam. *Et vocavit Pharaoh nomen Joseph, פִּצְנַת פִּצְנַת, Saphnath Pahaneach.* Quid sibi vellent hæc nomina, quæ Pharaoh Josepho imposuit, omnes linguarum imperitos penitus fugit. Atque hinc est, quod nonnulli de oscitantibus hujusmodi sciolis vocem esse Ægyptiacam somniant, adeoque et nobis ignotam. Consulantur autem versiones antiquæ, et dispersis tenebris lux e vestigio orietur. Versio Samaritana exprimit אֲבִי־מִסְתָּרִים אֲבִי־מִסְתָּרִים, *abscondita revelans.* Targ. Jonath. מְפָרְסִים מְפָרְסִים, *virum secretorum manifestatorem.* Targ. Onk. מְפָרְסִים מְפָרְסִים לְיָהוּ, *vir cui secreta revelantur.* Hisce etiam astipulatur Arabica translatio, ut et Syriaca, quæ hanc etiam reddit nominis illius rationem, vocavitque Pharaoh, nomen Josephi *سَفْنَاثُ پَانَاثُ كَيْسُفُوسُ*, *Saphnath Paanach cui secreta aperta sunt.* Quis tot testibus non fidem haberet? Proculdubio Vulgatæ Latinæ auctor, si tantam aliis linguis Orientalibus, quantam originariæ, navasset operam, nec tantæ derisioni nomen suum tribuisset, nec Josepho tam falsum nomen indidisset. Quid autem, eo iudice, vocavit Pharaoh Josephum? viz. *Salvatorem mundi.* Quis aliquid horum vocabulorum e textu eliciat? Satis autem se excusatum habere opinatur, dum interponit, ‘Lingua Ægyptica:’ verba profecto textui æque ignota ac ipsa verba in textu ei. Hunc autem in modum nos aliorum despectui et derisui prostituimus, dum Hebrææ linguæ nos totos damus, nihilque aliis reservamus. Cum revera etiamsi illæ sine hac possunt, hæc tamen sine illis edisci nequit. Simile autem huic quod Pharaoh, rex Ægypti, Josepho; est nomen illud quod Christus, Rex Regum, Petro imposuit; ut aliqui enim in illo, sic alii in hoc exponendo misere hallucinati sunt. *Σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς ὁ ἐρμηνεύεται ὁ Πέτρος, Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Scires unde vocabulum illud Κηφᾶς originem suam duxit? Consulas Cardinalem

Gen. xli. 45.

Joh. i. 42.

Betronium, et invenies eum cum Optato Milevitano aliisque [Fort. Petronum, vid. Gloss. in Extrav. Comm. lib. v. cap. 1, ap. Corp. Jur. Can. tom. iii.] ejusdem farinae miseris linguarum insciis ex lingua Græca derivantem. **ܨܦܝܦܐ**, inquit, dicitur, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, *a capite*, atque hinc ingens producit mysterium, imo et simul ingens ignorantiae specimen. *Petrus*, inquit, *est ܨܦܝܦܐ*, i. e. ἡ κεφαλῆ, *quia totius Ecclesiae Catholicae caput et fundamentum est, qui suam etiam vim Pontificibus Romanis continua successione communicavit.* [S. Opt. de Schism. Donat. lib. ii. cap. 2, p. 28. Edit. 1700.]

Spectatum admissi risum teneatis, amici?

Profecto si vel minimam linguæ Syriacæ imbibisset cognitionem, nec aliis tantum risum nec sibi tantum derisum movisset. Quid enim aliud est **ܨܦܝܦܐ** in lingua Syriaca, quam Servator noster locutus est, quam πέτρος seu πέτρα, quæ interpretatio et in ipso textu innuitur. Atque hinc est, quod Syrus non interpretatur, sed tantum dicit, **ܨܦܝܦܐ ܗܘ ܐܢܝܢܐ**, *Tu vocaberis Petra.* Est vocabulum illis satis notum, ideoque nec interpretatione indiget. Ut autem Syriaca sic et Chaldaica lingua multum confert ad hujusmodi vocabulorum explicationem. *Et reperit*, **ܨܦܝܦܐ**. Multum inter se discrepant Gen. xxx. 14. interpretes de genuina vocabuli hujusce significatione, nec aliunde peti potest, quam ex Chaldaica paraphrasi Jonathanis et Onkelos, qui verbum illud alio Rabbinis satis noto reddunt verbo, viz. **ܨܦܝܦܐ** (quam vocem etiam et Syrus retinent) *mandragoræ*. Sic etiam et dantur quædam in Novo Fœdere quæ non nisi ex Hebræorum libris, præsertim Chaldaica Paraphrasi, intelligantur, ut 2 Tim. iii. 8, hic Jannes et Jambres dicuntur Mosi restitisse. Quinam hi Jannes et Jambres fuerunt frustra quæritur nisi in Paraphraste Jonathane in Exod. iii. 15 et vii. 2, quibus locis dicitur illos fuisse principes Magorum. At nec linguæ Arabicæ suum in hac re desideratur commodum, ut Exod. xii. 9, *non comedatis ex illo ܨܦܐ*. Quid hoc vocabulo indiget, sine lingua Arabica cognosci nequit. Alibi sane in textu significat *nunc* vel *obsecro*, quæ tamen significatio huic loco non omnino quadrat. Arabicis autem hoc dubium statim resolvitur, quibus **ܨܦܐ** significat *crudus fuit*; quod etiam vocabulum in Arabica translatione retinetur, *Ne comedat quicquam, ex eo ܨܦܐ, crudum.* Sic nomen Dei **ܨܦܐ**

genuinam suam significationem e lingua Arabica tantum petit, qua الله est *religiose colere, adorare*. Job. xli. 9, occurrit vocabulum عَطِشَ, quod e lingua Arabica solum lucem accipit, qua عطس est *sternutare*. Hic autem liber Jobi (quem Arabum Theologum nominat Bibliander) per plurimis hujusmodi scetet Arabismis, ut quidem et tota Scriptura. Unde illud Kimchi in Præf. ad lib. Rad. (citante Reverendo Waltono,) *Apud magistros docetur quod linguam didicerunt ex lingua*, quod explicat de Hebraicarum quarundam vocum ex Arabismo intelligentia, ut Psal. lv. 23. Projice יהבך [onus tuum], nesciebant quid per יהבך significaretur donec ex Arabe mercatore audivissent, *Cape יהבך onus tuum et impone camelo*. Nos omnibus linguis Orientalibus ordine ad Hebræam idem applicemus, viz. Quod lingua Hebræa ex aliis linguis dicitur.

Tertio, Ad phrasium et idiotismorum illustrationem. Hoc autem ex eodem, quo prius, fonte fluit, quod celebres nimirum veterum harum translationum, præsertim Paraphrasium Chaldaicarum, auctores propius ad tempora, quibus lingua Hebræa vernacula viguit, vitam transigentes, varias ipsius loquendi formulas sibi a majoribus traditas, atque ita in omnes posteros traductas, melius tenere et verius fideliusque explicare potuissent, quam qui longiori intercapedine ab hisce temporibus separantur. Hoc autem exemplis potius quam verbis demonstretur. *Dicit Deus ire faciam eam*

Hos. ii. 14. *desertum* לְבָהּ עַל לְבָהּ וְדַבַּרְתִּי עִי וְדַבַּרְתִּי עִי *et loquar ad cor ejus*. Quid per *Ad cor loqui* indigitetur nullibi, nisi Paraphrasi Chaldaica Jonathanis explicatur, quæ ita παραφράζει, וְדַבַּרְתִּי עִי וְדַבַּרְתִּי עִי, אֲמַלֵּל תְּנַחֲמִין עַל לְבָהּ, *Et per servos meos Prophetas loquar consolationes ad cor ejus*. Hanc etiam expositionem et abunde confirmat Syrus Novi Testamenti Interpres, dum verbum παραμυθῆσθαι nunc per *consolatus est*, nunc per

Joh. xi. 19. *locutus est ad cor* εἶπεν εἰς τὴν καρδίαν, *ut loquerentur ad cor earum*; at ver. 31, παραμυθούμενοι αὐτήν, Syr. *consolantes eam*. Sic etiam et παραμύθιον seu παραμυθία nunc reddit per *locutio ad cor*. Nunc autem per *consolatio*. E quibus dilucide apparet phrasin hanc, *Ad cor*

[Vid. Antisophist. lib. iii. p. 207.]

[Bibl. Polygl. Proleg. xiv. sect. 7, p. 94.]

Phil. ii. 1.
1 Cor. xiv. 13.

loqui per totum Orientem idem valere ac *consolari*. Atque ita passim alibi in Vetere Testamento accipitur, ut Gen. l. 21; Ruth. ii. 13; Esai. xl. 2, et alibi. Sic Psal. xxxiii. 3, הַיְטִיבֵי נֶגֶן בְּתִרְוָעָה, *benefacite canendo cum jubilatione*: quid phrasid hæc *benefacere canendo* valet e versionibus tantummodo hauriatur. Hanc autem phrasin optime illustrant translatio Syriaca et Arabica. Syr. $\text{وَصَلُّوا مَجْمُوعًا}$ *canite decenter cum voce*. Arab. $\text{رَتَّلُوا لَهَا حَسَنًا}$, *psallite ei bene cum júbilo*. E quibus patet *benefacere canendo*, et *bene canere* phrases esse æquivalentes. *Quærite mihi mulierem dominam Pythonis*. Quid per hanc phrasin intelligitur explicat Targum. $\text{אִתְּרָא דִּידְעָא לְאַפְקָא בִּידֵין}$, *mulierem quæ sciat educere Pythones*: et Syr. [זֶלֶט] [עֲלֵמָה] [וְעֹלֵת] , *mulierem quæ ascendere faciat Pythones*, viz. Pythonissam. Perplures autem hujusmodi formulas a verbo בַּעַל ortas ex hisce versionibus explicatas reperire est. Ut Gen. xlix. 23; Exod. xxiv. 14; 2 Reg. i. 8; Prov. xviii. 9, et xxii. 24; et passim alibi uti legenti occurrunt. Ad hæc etiam revocanda sunt loca obscura quæ hisce versionibus illustrantur, ut Exod. xii. 40. *Et commoratio filiorum Israel qua habitaverunt in Ægypto triginta anni et quadringenti anni*. Quam misere hic locus Interpretes vexavit cuique notum est, nec sine causa. Certissime enim ex ipsa Scriptura colligitur Israelitas non multum supra ducentos annos Ægyptum incoluisse. Codex autem Samaritanus omnem difficultatem tollit, qui legit, *Commoratio autem filiorum Israel et eorum patrum, qua habitaverunt in terra Chanaan et in terra Ægypti, quadringentorum sunt et triginta annorum*. Hæc autem supputatio cum sacra pagina optime convenit. Ad hunc etiam modum explicatur a Targumista Jonathane Ben-Uziel, etc. $\text{וַיּוֹמְרָא דְּתַרְבִּי}$, *Dies autem quibus habitaverunt filii Israel in Ægypto triginta annorum hebdomades, quarum numerus ducenti et decem anni. Numerus autem quadringentorum et triginta annorum ab eo tempore quo locutus est Dominus ad Abrahamum, ab ea hora qua locutus est cum eo decimaquinta mensis Nisan inter divisiones usque ad diem quo exhibant ex Ægypto*.

Huc etiam accedat, quod hæc linguæ non tantum ob libros

Sacræ Scripturæ in illas translatos, sed et ob alios in illis originarie scriptos, multum ad phrases illustrandas, adeoque et ad ipsum sensum eruendum, conferunt. Frequens, viz. in Sacris Scripturis rituum et cæremoniarum occurrit mentio, quæ populis Orientalibus olim in usu erant, nec ullibi nisi ex eorum libris lucem accipiant. Unico, quod sit instar omnium, instem exemplo, quod Pocockius olim observavit, et ex eo Waltonus in Prolegomenis, et Wasmuth in Parænesi. *Nam stetit rex Babel ad matrem* (i. e. in principio, uti Syrus) *via in capite viarum duarum ad divinandam divinationem*, *תְּרַפִּים רָאָה בְּפָכָד tersit sagittas, rogavit imagines, respexit in jecore*. Superstitiosus hic per sagittas divinandi ritus ex Arabum libris, quibus olim frequens in usu fuit, optime explicatur. Observavit enim prædictus D. Pocockius in Spec. Hist. Arabicæ quod cum negotium aliquod habuerint magni momenti peragendum, sagittas quasdam consulebant, quas tres vasculo inclusas habuerunt, quarum uni inscriptum erat *امرني ربي*, *jussit me Dominus*; secundæ *نهاني ربي*, *prohibuit me Dominus*, tertia autem nulla nota insignita erat. Cum aliquam ideo harum extraxerint, si illa, quæ juberet, occurrit, tanquam monente Deo pergerent; si illa quæ prohiberet, desisterent; si illa quæ nihil habuit inscriptum, hanc reposuerunt, donec alia prodiret, quæ vel vetaret vel juberet. E quibus loci allegati sensus dilucidissimus apparet.

Non est autem ut pluribus exemplis in proferendis ulteriores moras agitemus. E dictis enim, modo libero animo volutatis, perspicue satis liquet, quantum linguæ prædictæ Orientales ad linguam Hebraicam exacte ediscendam et ad textum Hebraicum perfecte intelligendum conferunt. Nec est, ut quis Divina harum linguarum studia superflua opinetur, eo quod omnes linguas ignotas, et quicquid in iis continetur, in notas habemus translatas. Non sane me latet dari mirum quoddam et prodigiosum hominum genus, qui omnia dilectæ adeo oscitantæ et ignorantæ quæritantes subterfugia hanc, quam in Hebraicam, etiam in alias linguas Orientales conjiciunt tragulam. Eo, viz. quod quascunque ipsius textus habemus versiones, easdem et in Latinam habemus versas, hinc statim colligunt quicquid commodi ex

[Specimen
Hist. Arab.
not. p. 327.
Oxon. 1650.]
[Bibl. Polygl.
Proleg. xiv.
sect. 8, p. 94.]
[Paræn.
Gram. Arab.
præf. p. 2.
Amst. 1654.]
Ezech. xxi.
21, [27, Heb.]

[Ubi supra,
pp. 327, 328.]

antiquis hisce textus versionibus hauriatur, idem et ex earum versionibus exsugatur. Hoc sane spiculum non ex iudicii sed ignaviæ pharetra depromptum videtur. Cum hæc autem sagitta eadem est cum illa, quæ in linguæ Hebraicæ latera vibrata fuerit, iisdem mediis quibus ab illa etiam et ab aliis linguis reflectatur. Atque insuper tenendum est versionum versiones sæpenumero claudicare, quæ nunquam verborum emphasis, aliquando nec ipsum sensum exprimunt. Et deinde præcipuus versionum usus a cognata illarum ad originariam vicinitate dependet, quæ tamen in versionibus minime apparet. Adeo ut ipse profecto semper reputavi versionum versiones solas consulere, idem esse ac littus arare, aut in ipso aere piscari; e quibus, viz. fructus aliquid aut commodi nunquam eliciatur, nec quicquid per laborem præter laborem metatur. At præterea, quid est quod miseros hosce ignaviæ vernas a tam sacro studio deterret? proculdubio nihil aliud quam difficultatis suspicio. Gravi nimirum formidine anguntur multum laboris exhauriendum, multos dies solis Musis consecrandos, noctesque multas vigiles transigendas, priusquam vel mediocris linguarum cognitio attingatur. Non autem est ut hac in re mens metu concidat, vel pavore vel minimo concutiatur. Mira enim harum linguarum facilitas omnibus in iis vel mediocriter versatis bene perspecta fuerit: post acquisitam enim linguam Hebraicam, quæ, ut in se est, sic et ab omnibus omnium facillima existimatur, quispiam in intimos cujuslibet aliarum recessus, pauculas solummodo indies impendens horulas, menstruo aut ad summum bimestri spatio, idque proprio Marte penetret. Nec hæc ab aliorum tantum sententia, sed et a propria experientia prolata. Cum primo enim sacra hæc studia aggressus sum (absit invidia dicto) neminem habui, qui errantem corrigeret, dubitantem resolveret, aut recte perspicientem confirmaret: nihilominus omnis nostra, qualis qualis est, linguarum cognitio, non multos annos, imo quidem nec multos menses serio illis deditos, ab aliis studiis diripiebat. Imo quidem, quod ad linguam Syriacam spectat, nondum bimestre spatium in illa transegeram, cum tot observatu digna inter legendum collexissem, ut de emendandis et corrigendis veterum Grammaticis, imo et statim de nova compingenda cogitatio subiit.

Non hæc ad genium nostrum ostentandum, sed ad gloriam Dei cœlestis mei Patris celebrandam, ad miram linguarum facilitatem demonstrandam, et ad alios in studia hæc adeo utilia pariter et facilia animandos, excitandos, erigendos.

At præter ea quæcunque hactenus dicta quæ omnes linguas Orientales nobis commendent, datur et aliud quod linguam Syriacam præ aliis celebrem illustremque reddit; quod, hæc, viz. Ipsius Christi Servatoris nostri vernacula fuerit, Divino Ipsius ore consecrata. Hoc autem a Judæorum historia clarissime demonstratur. Judæi enim post LXX. annorum captivitatem propriam linguam, ob tam longam cum Chaldæis consuetudinem, oblivione contriverant, adeo ut Babylone Judæam tandem reduces, novam linguam isti loco antea prorsus ignotam, Chaldaicam, viz. seu Syriacam secum duxerunt. Cum hæc ideo lingua in Hebraicæ locum Vulgaris et Materna successerit, et jam apud Judæos vernacula floruerit, Christus Æternus Dei Filius e cœlo descendit, utero concipitur, et tandem in vitam naturalem emergit, adeoque et hanc linguam a felicibus Virginalis matris uberibus simul cum lacte suxit, et, ut Ipse ad proveciorem adoleverit ætatem, ore suo sanctissimo hanc ipsam magis magisque sanctificare dignatus est. Et deinde quid aliud sibi vellent tot Syrorum vocabula per totum Novum Fœdus dispersa? Quid quod Evangelistæ, cum non tantum sensum, sed et ipsa verba, quæ Christus locutus est, exprimerent, Syrorum vocabula retinent? Hujusmodi

- Matt. v. 22. autem Syrorum vocabula passim occurrunt, ut 'Ρακά, ܠܝܐܘܪܐܝܢ
 Matt. vi. 24. *Raca*; μαμμωνᾶ, ܡܡܘܢܐ *momuno*, *Mammona*; Βᾶρ 'Ιωνᾶ,
 Matt. xvi. 17. ܕܘܠܝܘܢܐ *Filius columbæ*; Σαβαχθανι, ܣܒܚܬܐܢܝܐ *deseruisti me*;
 Matt. xxvi. 46. ܕܘܠܝܘܢܐ *Filius tonitruui*; Βοανεργῆς, ܒܘܐܢܝܪܓܝܝܢ *filii tonitruui*; ταλιθά κοῦμι, ܬܠܝܬܐ ܟܘܡܝ
 Marc. iii. 17. *puella, surge*; Κορβαῖν, ܟܘܪܒܐܝܢ *Γολγοθᾶ* (in textu dicitur, εἰς τὸν
 Marc. v. 41. λεγόμενον Κρανίου τόπον, ὃς λέγεται 'Εβραϊστὶ Γολγοθᾶ' illud autem
 'Εβραϊστὶ non ita intelligendum est ac si verbum esset pure
 Hebraicum, sed per linguam Hebraicam in Novo Testamento intelligitur lingua Syriaca Judæis sive Hebræis tunc temporis vernacula.) Hoc autem Syriace est, ܠܘܥܘܪܐܝܢ
 Marc. vii. 34. *cranium capitis*; ἐφφαθά, ܐܦܫܬܐܬܐ *adaperitor*, Syrus hoc vo-

cabulum non interpretatur quia omnibus hanc linguam callentibus satis notum est. 'Αββᾶ ^ⲁⲃⲁ ⲛⲓ ⲟⲩ πατῆρ' Κηφᾶς ^{ⲛⲓ}ⲃⲁ ^{ⲛⲓ}ⲃⲁ Marc. xiv. 36.
 ὁ Πέτρος· 'Ακελδαμά, ^ⲁⲃⲁ ^{ⲛⲓ}ⲃⲁ ^{ⲛⲓ}ⲃⲁ *Ager sanguinis*. Ubi obser- Joh. i. 42.
 vandum quod dicitur, ὥστε κληθῆναι τὸ χωρίον ἐκεῖνο τῇ ἰδίᾳ Act. i. 19.
 διαλέκτῳ (seu ut Syrus, *Lingua regionis*) 'Ακελδαμά, ex hisce enim verbis linguam hanc Syriacam tunc temporis τὴν ἰδίαν διάλεκτον, proprium eorum idioma fuisse aperte constat. Μαζάν-ἀθά, ^ⲁⲃⲁ ^{ⲛⲓ}ⲃⲁ ^{ⲛⲓ}ⲃⲁ *Dominus noster venit*. Quis in I Cor. xvi. 22.
 hisce et hujusmodi vocabulis Servatoris nostri vernaculam non legat? At nec vocabula tantum Syriaca sed et ipsi Syriacismi passim occurrunt: multa proferrentur exempla ad hoc demonstrandum, viz. fontem Græcum non pure fluere sed Syriacismis mixtum: unicum seligam. *Et ceperunt ἀπὸ μιᾶς excusare omnes*. Non est ut tam acriter hic contendamus pro interpositione βουλῆς aut γνώμης, aut φωνῆς· ἀπὸ μιᾶς enim est purus putus Syriacismus, Syris enim ^ⲁⲃⲁ ^{ⲛⲓ}ⲃⲁ seu ^ⲁⲃⲁ ^{ⲛⲓ}ⲃⲁ, verbatim ἀπὸ μιᾶς, est idem ac ἐξαυτῆς, παραχρῆμα, *statim, continuo, subintellecto*, viz. ^ⲁⲃⲁ ^{ⲛⲓ}ⲃⲁ *hora*. Perplura hujusmodi se legenti obviam eunt. Unde autem hoc, nisi quod sancti viri Syriace conceperunt quæ Græce scripserunt, et linguæ vernaculæ emphasin peregrinis vocibus indiderunt? Hic autem obiter observandum est triplicem fuisse linguæ Syriacæ seu Chaldaicæ dialectum. 1. Babylonicam omnium purissimam, quam edocti sunt Daniel et Ezras, quique capita quædam in suis libris hoc stylo exarata reliquerunt. 2. Antiochenam, in qua scriptæ sunt versiones illæ quas jam habemus, atque hæc κατ' ἐξοχὴν Syriacæ nomen jam obtinuit. 3. Targumicam, Judaicam, seu Chaldæo-Hierosolymitanam (ita ab urbe regionis metropoli dictam) quæ Judæis Babylone reducibus in usu fuit. Neutra priorum sed hæc tertia Christo et Apostolis ut et omnibus Judæis vernacula fuerit. At hujus dialecti et variæ erant dialecti; Hierosolymitana enim et Galilæana adeo inter se discrepabant, ut ex Petri sermone colligebatur ipsum fuisse Galilæum: magis enim rusticus, incomptus, rudis, et agrestis [Lex. Chald. in voc. ^ⲁⲃⲁ ^{ⲛⲓ}ⲃⲁ col. 436.] erat sermo Galilæus, uti Buxtorfius observavit: non secus ac aliquæ partes Angliæ agrestiori sermone quam aliæ usæ sunt. Hinc autem fit, ut translatio Syriaca non semper

exprimat ea vocabula Syriaca quæ a Christo in Novo Testamento prolata inveniuntur, quia diversa, viz. dialecto ab illa quam Christus locutus est conscripta fuit. Quod autem pluribus? Hac lingua *δοξολογία* Angelica modulata (utpote pastoribus intellecta :) hac promissio Spiritus et vitæ æternæ facta: hac omnes Christi conciones prædicatæ: hac Sacramenta instituta: hac verba Servatoris nostri de cruce prolata: Verbo, hæc Ipsi Christo vernacula. Quis non ediceret?

Dum in Divina autem hæc linguarum studia instanter adeo impellerem, non est quasi quispiam neglectis aliis se totum hisce daret: hoc sane esset fundamentum jacere sed nihil superstruere; seu nauci frangere sed nucem non degustare: sed tantum ut ab his ducamus initium, atque ita ad theologiam aut philosophiam, quo, viz. genius trahit, progrediamur. Et quidem cum linguarum periti semel evasimus, quænam studia futura sunt difficilia? Quot libros physicos, metaphysicos, medicos, mathematicos, aliarumque artium et scientiarum eruditos, hisce linguis exaratos adeoque et aliis ignotos, nos evolvamus? Sed quid moror istis? Harum linguarum gnari et Sacras Scripturas legamus: legamus? imo et intelligamus: e quibus solis veræ sapientiæ dulcedo, rectæ philosophiæ et theologiæ perfectio extrahatur. Hasce solas quicumque recte percipiat, veri ingenii argutiam præ se feret, et animum theologicum spirabit et vere philosophicum. Harum ideo studio invigilemus. In vernantissimis hisce Scripturarum pratis nocte dieque expatiemur. Hic amœnissimos colligamus flosculos, Divinas intelligo Christi gratias, quarum fragrantia terris delectemur, et e quibus gloriæ corona cælis contextetur, quæque etiam splendidissima gloriæ corona ipsa æternitate coronabitur.

BOOKS

PUBLISHED

BY JAMES PARKER AND CO.

OXFORD, AND 377, STRAND, LONDON.

Theological, &c.

HERBERT DE LOSINGA.

